# R. P. DANIELIS STADLER
SOCIETATIS JESU,
SERENISS. SAC. ROM. IMP. PRINCIPIS ELECTORIS,
BAVARIÆ DUCIS &c. &c.
CONFESSARII

# TRACTATUS
DE

# DUELLO
HONORIS VINDICE
AD THEOLOGIÆ, ET JURIS PRINCIPIA
EXAMINATO.

*CUM FACULTATE SUPERIORUM, & PRIVILEGIO CÆSAREO.*

INGOLSTADII, & AUGUSTÆ VINDELICORUM
Sumptibus Joannis Francisci Xaverii Crätz, Bibliopolæ Academici,
Et Thomæ Summer, Bibliopolæ Augustani.
ANNO M. DCC. LI.

SERENISSIMO,
AC
POTENTISSIMO
PRINCIPI,
DOMINO, DOMINO
MAXIMILIANO
JOSEPHO,
Utriusque Bavariæ, & Superioris Palatinatus
DUCI,
COMITI PALATINO RHENI,
SAC. ROM. IMP.
ARCHIDAPIFERO,
ET
ELECTORI,
LANDGRAVIO
LEUCHTENBERGENSI,
&c. &c.

# SERENISSIME
# PRINCEPS,
## POTENTISSIME
# ELECTOR,
## DOMINE
## CLEMENTISSIME!

PErmitte, ut Sereniſſimo Tuo Nomini inſcribam opus à me elaboratum horis, vacuis à curis aliis, quarum præcipua mihi ſemper fuit, intra ſphæram muneris, à Te mihi clementiſſimè injuncti, ſolicitè pro Tua ſalute cogitare ad Numinis Gloriam & Felicitatem Patriæ. Ma-

teriam liber eam tractat, ad quam Tu, exemplum secutus Sapientissimorum Principum, Tuam quoque contulisti symbolam, dum non ita pridem inter sexcentas curas alias duellorum licentiam accuratioribus mandatis interdixisti.

Scilicet scrutaris vasti Regiminis capita singula, versas Te in omnem partem, ordinas, prospicis, nihilque omittis, quo Reipublicæ navem, ex superiorum temporum calamitatibus male quassatam, repares, frustra Te hinc avocante voluptatum choro; illinc incassum obnitente legione difficultatum; has enim non times: illas non audis.

Ad grande hoc opus, cui Te destinavit Cœli Providentia, paravit Te liberalis natura, dum iis Te dotibus instruxit, quæ non unius populi, sed generis humani felicitati sufficerent. Ingenii Tui vis atque facultas jam ab ineunte ætate se prodidit: tum verò Francofurti immortalem Tibi in conspectu totius Romani Imperii laudem peperit, ubi bis in arenam descendisti ex Philosophia, ac Mathesi pugil admirabilis, qui plus veluti per ludum didicisti, quàm felicia etiam ingenia pertinaci studio addiscerent. Quibus initiis præparatus non minore felicitate excepisti juris naturæ, ac Romani Imperii placita.

Præterquam quòd intellectum ejusmodi scientiis ornares, præcipuum Tibi ac jucundissimum studium erat

erat voluntatem doctrina Ethica excolere, & hac duce quàm profundissimè in cognitionem humanorum cordium descendere. Theoreticæ doctrinæ Ethices addidisti libros Regum Judæ & Israël, quorum explicationi attendisti plurima cum meditatione, præquam aliis quibuscunque disciplinis.

Memoriam Tuam quod attinet, est ea omnium historiarum compendium, & rerum sub Te actarum fidele tabularium. Judicium adeò limatum & solidum es nactus, ut non nisi probè meditata ad Te afferre audeant, qui sapiunt: adeò ab omni præcipitatione remotum, ut ad passus singulos cautè attendas, nec induci in errorem unquam posses, nisi nunquam induci conditionem humanam superaret. Accedit secreti cura tenacissima, qualem inter viros, etiam ætate provectos, rarò invenire est: neque ulla re faciliùs offendi posses, nisi proditione secreti. De reliquo totus animus Tuus ab omni turbulento affectu vacuus est. Ira est tranquilla, amor castus, moderatum gaudium, mœror heroe dignus. Non es effusus in luxum, non prodigus in lusum, non pronus in vindictam, non credulus ad malum. Nil dare es solitus præconceptis opinionibus, nil delationibus invidorum, nil vanæ loquacitati, omnium minimè adulationi: mens tota sana est. Nec meus hic tantùm, sed omnium, quotquot te nôrunt æqui virtu-

tum æſtimatores, unanimis ſenſus eſt, gratulantium terris Boicis Principem, omni carentem vitio, & id ſolum deſiderantium, ut diu Te ſerves Tibi, Tuiſque.

Huic menti corpus natura aptavit vegetum, nullo unquam tentatum morbo, ad quasque exercitationes agillimum, factum ad artes omnes, & tam amænam frontis, oriſque majeſtatem ſpirans, ut, quoties ſinis promicare hoc jubar, toties intuentium, vel Tibi loquentium animi miro capiantur illicio. Dresda teſtis eſt, teſtis Praga, teſtes Legati, quotquot Te accedunt, teſtes Sereniſſimi atque Eminentiſſimi Patrui, teſtis ipſe hodiernus Auguſtiſſimus cum ſua Auguſtiſſima ab eo tempore, quo in Straubingano colloquio à Tua ſe comitate captos prædicant.

Ita à natura Te comparatum juſſit inopinatò manus gubernaculo admovere mors heu! præmatura nimis Auguſtiſſimi Parentis. O quàm optâſſes Tu hujus ſub ductu per nonnullos adhuc annos uſu excolere fœcundum naturæ fundum. At vel invitus debebas in Te molem ſuſcipere Imperii ſane difficillimi, eo rerum articulo, quo bello arduo implicatus fœderatos videbas recedere, copias proprias ſuccumbere, Patriam gemere, Tibique fatalem neceſſitatem imponi vice jam tertia deſerendi Bavariam.

Itaque

Itaque, quod mox ab Augúſti Genitoris obitu cœpiſti moliri, Patriæ amore ductus, bello finem feciſti : deperditas terras, & ad terras reditum mercatus es pace, qua opulentiorem poſt tot clades, & in ipſo exilio, quin interclusâ poſt ſuperatum ab hoſte Lycum à tergo ulteriore fugâ, obtineri vix poſſe, vocatis etiam in conſilium ſuperiorum temporum hiſtoriis, judicabas.

Quod Serenitatis Tuæ judicium dum, ùt par eſt, demiſsè veneror, certiſſimum eſſe aſſevero, à primo in Patriam reditu primum Tibi votum fuiſſe genti Tuæ exhauſtæ quietem indulgere. Et indulſiſſes etiam, ſi multiplex neceſſitas, & innumeri ſupplices quietem indulſiſſent Tibi. Vota Tua differri dolebas immanibus belli malis, quæ profectò ſola ſubſcriptione pacis non poterant abſtergi; neque enim ceſſantibus in diluvio nimbis mox prima dies ſiccitatem agris attulit : nec brumali frigore concretæ arbores primo poſt ſolutam nivem ſole fructus pariunt : etiam ægroto corpori, è mortis faucibus recenter erepto, tempore opus eſt, donec vires recuperet. Emortuæ Imperialis Dignitatis moles tota tibi ſimul incumbebat : vix non opprimebat Te militum, Ducum, Legatorum, Advenarum, Creditorum, Clientum, famulantûm relictus cumulus, & onerosâ appendix, quos neque omnes retinere poteras, nec dimittere, niſi ingenti vi pecuniæ, quæ debeba-

tur,

tur, numerata. Ærarium erat exhaustum, gaza Tua ùt plurimùm oppignorata, æs alienum velut tumentes super Te fluctus assurgebat. Regionem habebas magna ex parte depopulatam, undequaque emunctam, onera domestica multiplicia, sumptuosa: ad hæc gregem integrum eorum, quos aliud quàm honestatis meritum subselliis admoverat. Ut nil dicam de calumniandi, ac carpendi licentia, de figmentis ac mendaciis quotidie sparsis in vulgus credulum, de pessimo exemplo, quod hac in re præbebant illi, à quibus omnium minimè exspectari debebat.

Pudet ultrà detegere, quæ tunc temporis Patriam depascebant, ulcera. Satis sit dicere, adeò difficilia fuisse regiminis hujus initia, quèis difficiliora non facile Principum quispiam expertus sit.

Quo tamen Tu, Serenissime Princeps, nequaquam territus, confisus brachio præpotentis DEI, gubernaculo strenuè admovisti manus: uti cœpisti grandibus illis donis, quibus provida Te natura instruxerat, consultationibus omnibus adesse præsens, evolvere varia, plurima, & quo plus evolvebas, eo plus detegebas rerum Tuarum morbos, videbásque difficultates necti difficultatibus, obstacula obstaculis.

Viri

Viri probi, qui Te intimius noverant, in animo equidem Tuo latere ſciebant ingentem virtutum theſaurum: metuebant tamen, ne Tu territus difficultatum horrida mole, aut fatigatus contrariis ſtudiis tandem animum deſponderes, & in ea ætate, abjectis curis adeo ſeriis, moleſtiſque, regimen aliis relinqueres, Téque liberiori auræ. Neque deerant mali, quibus id placuiſſet. Certè Divinæ bonitatis, Te roborantis prodigium eſt, quòd infractus non ſolùm à labore non deſtiteris, ſed majore indies ardore continues.

Senſim initiô progreſſus es, ac pacatè; quia pro genio Tuo, ac prudentia malebas flectere, quàm frangere. A temetipſo voluiſti incipere, ut queri nemo poſſet, & mox tibi tollere ardeæ venationem pretioſam, unáque voluptatem, quam exinde poteras percipere. Spectaculi quidem genus unum, idque optimum ſervaſti ad aulæ decorem: ita tamen, ut non ex ære publico, ſed ex Tuo privato ſuſtineas. Idem de Tuo veſtitu ordinâſti, in quo quidem omnem adeo luxum refugis, ut, exemplo Tuo in omnium oculos incurrente, ægrè jam non ferre debeat populus, quòd ei auri, argentique in veſtibus uſum interdixeris.

Tum id maximè attendebas, ut debita ad te tranſlata ſenſim ſolveres: neque Tu contraheres nova. Illis in annos ſingulos medium millionem Imperialium (non levem hercle ſummam) aſſignâſti, ex qua Tibi nihil remanet, quàm invidioſa moleſtia colligendi. Neque tamen per tantam ſummam, expendendam in debita, impeditum eſt, quo minùs ſteurarum, ùt vocamus, onus

 ſeu

ſeu tributum ſaltem aliquantum quotannis attenues, & & illud vino, atque Nicotianæ impoſitum vectigal non parum imminueris, plura in hoc genere promptiſſimè facturus, quamprimum per tempus licuerit.

Ne de novo æs alienum (quo Tibi nil magis exoſum eſt) contrahere debeas, œconomiam aulæ Tuæ in meliorem ordinem redegiſti. Neminem equidem tuorum, quamvis non paucis carere poſſes, ſuo loco moviſti, id quod alibi gentium ſine ſcrupulo factitatum vidimus: ſed pro innata Tua clementia alia uſus es dexteritate, quarumvis minutiarum ipſemet repetito labore ſedulus examinator, qua tantum rebus Tuis, reſtituto meliore ordine, attuliſti commodum, ut locata opera abundè fuerit compenſata.

His, ſimilibúsque ſtudiis eò res Tuas provexiſti, ut Tuorum cuilibet ſtato tempore jam à pluribus annis conſtitutum ſalarium numeretur ea accuratione, cui ſimilem ſe vidiſſe unquam nemo meminit, quamque ſiſtere, vel abrumpere nec palatii incendium potuit, nec nuptiarum magnificentia. Et quid pluris exigere queant quidam importuni gnathones, nunquam ſaturi, eorumque Patroni malè conſulti? num eouſque profuſum velint Principem, ut plus expendat, quàm annui proventus ferant? ſanè qui hoc deſiderat, bonus ille per me homo ſit: at malus eſt Civis; imo hoſtis eſt Patriæ, quam ulterioribus debitis mergi profundius dolet parum, modò ipſe, & ſui habeant multum.

Quid de adminiſtratione juſtitiæ dicam, quæ, ſi primas Principum curas meretur, Te totum ſibi vendicâſſe

câſſe dicenda eſt? Toto animo geſtiebas labantem erigere, & mox dotare uberiùs, ne egens ipſa Jus, fásque venderet. Mirabantur nonnulli hoc Tuum conſilium; cùm antehac ærarium non ſuffeciſſet doti minori accuratè perſolvendæ. Sed nihil hoc Tu permotus, quod juſtitiæ miniſtris ex veteri ſtipendio adhuc erat debitum, numeräſti, novúmque addidiſti, dicens, Principes à populo conſtitui, & tributa capere, ut adminiſtrent juſtitiam incorruptam: huic ergo primas expenſas eſſe ſacrandas, & ſufficientes: tum primùm videndum, quantum rebus aliis reſiduum maneat. Doti addidiſti meliorem juris dicendi formam; ne texerentur in foro litium ambages immenſæ, vias, per quas ſuum quisque quærat, breviores feciſti, aliáque adhibuiſti ſtudia, profectò ſaluberrima: quæ inter & illud eſt, quòd quovis trimeſtri Catalogum accuratè inſpicias, in quo legas trimeſtres judicum ſingulorum labores, cauſas necdum deciſas habeas in numerato, &, quid emendandum, quive ſtimuli adhibendi ſint, expeditè intelligas. Præterea in ſenatum non adlegis niſi viros, quorum Tibi ſcientia & probitas maximè eſt commendata: hæ ſolæ portæ ſunt, per quas apud Te ingreſſus patet ad tribunalia. Unde ſpem concipimus, fore, ut Boica Themis cum tempore integerrimum ſuum ſplendorem recuperet. Illi quoque juſtitiæ, quæ criminibus pœnas decernit, curas Tuas adjeciſti, itáque conſcripto doctiſſimo codice mox innovabitur, ut rei minore carceris tædio, & minore Tuo ſumptu celeriùs, quod meriti ſunt, conſequantur.

 Neque

Neque ita ſoli juſtitiæ Te impendiſti, ut ſcientias vel commercia negligeres. Ædificium Academiæ Ingolſtadienſis, vetere ſqualore abſterſo, reſtauraſti cum ornatu. Adjeciſti Cathedram Juris naturæ, publici Imperialis, ac Patrii. Ut nil dicam hîc de æſtimatione, amore, imò honore, quo literatos proſequeris, dum jam in Baronum adlegis numerum, jam, dum aliud non potes, magna eisdem voluptate colloqueris.

Commerciis ut facilitatem afferas, cœpiſti inſtaurare vias publicas. Curas, ut domî fabricent noſtrorum manus, quod ab exteris emunt cum ingenti pecuniarum detrimento. Ut genium nationis noſtræ ad ejusmodi opera, & fabricandi induſtriam inflecteres, linum & lanam præbuiſti, quêis telam texerent, tingeréntque, cujus hodie uſus eſt frequentiſſimus. Socium Te, non Dominum junxiſti iis, qui eidem operi ſe, ſuáſque opes addixêre. Lentè res proceſſit: cùm tamen Tu necquidquam defatigabaris, maturitati proximum eſt opus, quod Bavaros Tuos doceat, eos pro diverſis artificiis eadem pollere dexteritate, quam carò hactenus exteris perſolverunt.

Atque inde ulteriora repagula paras mendicitati publicæ, feliciter à Te proſcriptæ, &, ne redeat unquam, laboribûs occupandæ. Forum & compita antehac obſederant mendicabula, quorum magis importuna magis dignis eleemoſynam præripiebant. Purgâſti hac fæce vias & fores: verè egentibus domî ſuæ ſuccurritur ſatis liberaliter, & eò magis minuetur egentium numerus, quo magis per Te florebunt artificia manuum. Sic nihil

il intentatum relinquis, quo boni Principis officia implere, ac prodesse Tuis valeas, evolvis omnia, excutis minima, vel legis ipse: vel Tibi prælegi, aut referri audis.

Ne verò quid temere videaris agere, consilio uteris, & omnia ferme per consulationes conficis. Nunquam tractâsti gravia nisi cum gravibus, & cum seriis seria. Iis consultationibus dum assides, (assides autem omnibus) admirabili facilitate penetras universa,,&, siquidem rite exposita sint, æquitate inviolata decidis. Si res ejusmodi sit, quæ liberiorem suffragantium vocem postulet, separatim ministros audis, & viros probatos: vel etiam scriptô Tibi soli suam sententiam ut exponant, petis. Ex his nullus est, in quo Tu non noveris intimos animi recessus, etsi sæpe dissimules. Quin etiam illos singulos ferme distinctè nôsti, qui per provinciam totam dispersi vel jus dicunt, vel alio eminentiore loco constituti res Tuas & Patriæ agunt., Fideles, probósque amas quàm tenerrimè, eorum gaudes alloquio, imò honoras. Unde jam fidelitas caput magis & magis erigit, & virorum proborum numerus indies major detegitur.

Atque hæc quidem exteriora sunt, Clementissime Princeps, quæ videmus, scimus, admiramur, quotquot res Tuas oculo propinquo inspicimus, ac mente limpida. At si cui penetrare altiùs datum est, & ipsum rimari mentis Tuæ sacrarium, quos ille virtutum thesauros non detegit?

Primo ſtatim loco occurrit Religio, non illa umbratilis, & vacuis pietatis exercitiis contenta: ſed vera illa, ſolidáque, quæ Deo amorem, atque æſtimationem ſuam teſtatum facit obſervando mandata. Qua in re adeo admirabilis es Princeps religioſiſſime, ut ab unguiculis eximium peccati horrorem, & puriſſimam mentis integritatem in hunc uſque diem ſervaveris, in flore ætatis, vigore ſanguinis, malorum inſidiis, aulæ illecebris. Eadem Religio Sanctæ Matri Eccleſiæ tam arctè Te devinxit, ut non ſolùm hujus præcepta, quamdiu licet, ad ſcrupulum uſque impleas: ſed & inter præcipua incitamenta, cur vires Tuas reparare, atque augere ſatagas, illius defenſionem habeas. Ordinem Eccleſiaſticum univerſum ſicut veneraris, ita eidem eam indulges clementiam, quam grati prædicabunt ſinguli, ſi oculos velint non nihil extra Bavariam per orbem reliquum circumferre. Religionem, adeo profundè in animo Tuo plantatam, roboras quotidie, dum diem quemlibet à pia meditatione incipis. Unde nata Tibi eſt arcana, & creberrima cum Deo communicatio, quæ quouſque perducta fuerit, dicere me prohibes: providebo tamen, ut hæc, & his majora poſteritas non ignoret.

Quid pro juſtitia, quæ in Principe individua eſſe debet Religionis Comes, feceris, ſuprà memini. Fluxere egregia ea facta ab æquitate illa animi Tui, quæ à recto, ſibi rite propoſito, tam parum deflectit, quàm parum ſol à ſua eclyptica. Sæpius jam, dum de jure tribuendo agebatur, nec ſexui Tu, nec generi pepercisti. Multo minus Tu ipſe cuiquam mortalium ſua Jura, vel

Privi-

Privilegia aufers: ſed ut iis rite ſemper utantur, invigilas. Delatoribus faciles nequaquam aures præbes: &, ſiquidem audire juvat, fidem ſuſpendis, donec intimè, quid ſubſit, perſpexeris: unde difficillimum, imò impoſſibile eſt virum probum, ac innocentem Tuâ gratiâ evertere.

Quid de Fortitudine dicam, heroum virtute, & Tua? hæc Tibi inexperto adhuc Palinuro robur addidit, ne navem reipublicæ deſtitueres in mediis fluctibus, aut à malè quaſſata curam reparandi retraheres. Nil vidi unquam Te timere, præterquam offenſam Numinis. Hic Deus, qui ſuos adverſis caſibus ſolet exercere, neutiquam molliter Te hactenus habuit, tyrocinium difficile Tibi dedit, ut in magnum Te Principem effingat. Charus propterea DEO ſis, neceſſe eſt, ùt quidem exinde pro ſua ſapientia collegit ipſa Auguſtiſſima Tua Mater, pretioſa ſuperis, atque à Te maximo amore non minùs, quàm honore ex æquo culta. Igne etiam probari debebas, quia aurum eras. Certe in illo palatii Tui veteris incendio præ flammis Tua fortitudo illuſtriùs emicuit. Nemo dejectum in te vultum vidit, nemo querulam vocem audivit. Tibi præſentiſſimus diſpenſabas imperia, & compluribus providentiâ Tuâ vitam ſervâſti. Id ſolum in illa conſternatione timebas, id ſolum, ne, ſi flamma gravius damnum afferret, corriperétque novum palatium, pendere Tuis non poſſes accuratè ſtipendia, vel exigere tributum cogereris reſtaurandis ruinis: hoc ſolum, velut malorum ſummum, optabas averti: votis itaque ad cœlum conceptis flammam ſtitiſti, ne ultra ſerperet.

In

In quo horribili rerum articulo quicunque Tuam fortitudinem ſpectabant, atque animum ſibi præſentiſſimum, tacitis ii votis optabant Tibi aliquando ſummum in præliis imperium. Occaſioni certè non eſſes deſuturus, ſi quando eam Tibi non deeſſe contingeret; namque belli non minùs (ſiquidem neceſſarium ſit) quàm pacis ſtudia amas. Difficillimam luctam in animo Tuo arbitrati ſumus, quando minuere copiarum numerum debuiſti, ſanum faciliùs dentem evelli Tibi fuiſſes paſſus, quàm uni legioni miſſionem dares: harum tamen tot ſervâſti, ad capitum numerum in pace ſolitum redactas, quot in media pace neminem Majorum Tuorum aluiſſe Tibi fuit demonſtratum. Alia quoque jam paras opportuna inſtaurandæ militiæ, adeò Tibi charæ, ut ipſus nullam veſtem lubentius ac frequentius induas, quàm militarem.

Nec fortitudini, nec alteri virtutum Tuarum palmam cedit Clementia. Proh quantus in Te agon exoritur, dum alicui deberes ægrè facere! moras trahis, effugia quæris, obluctaris, donec ratio & conſcientia id, quod juſtum eſt, à Te extorqueant. O quàm gaudes, ſi quis ex Conſiliariis mitiorem ſententiam proponit! non inclinas in eam tantùm, ſed, niſi prudentia validè retineat, ruis. Limites ne excedat ea Clementia, tecum ipſo providè reputas, ſæpe erga publicum crudelem eſſe, qui erga privatos nimiùm bonus eſt.

Huic Tuæ Clementiæ arcta cognatione jungitur amor ille in ſubditos, quem alis perfectiſſimum. Non mihi hìc ſermo eſt de amore quodam ſpurio, qui extima

oris

oris gratia, & ſermonis melle totus abſolvitur, fucúmque facit: ſed de illo, qui vera ſubditorum commoda quærit, ſéque ſubditis, non ſubditos ſibi natos eſſe credit; ac opere demonſtrat. Talis Tuus eſt amor. O utinam rimari cor Tuum poſſent omnes, & ſcripta in eo tenerrima ſenſa legere. O quàm beatum tum demum te crederes, ſi ſemper dare poſſes, nunquam accipere: quod cùm nequeas, id ſaltem curas, ut, quæ accipere neceſſitas cogit, utiliter expendas. Id ſingulare, & rarum, quòd inutiliter expenſum crederes, quidquid Tibimet ſuperflui impenderes. Unde apud omnes in confeſſo eſt, Principem noſtrum ſibimet ipſi eſſe parciſſimum: totique Patriæ ſolatio cedit, quòd, quidquid vel ipſa contribuit, vel etiam ab exteris in ſubſidium venit, in ſuum iterum emolumentum convertatur.

Nil mirum ergo, quòd Tua Frugalitas celebretur paſſim, quæ nihil quidem magnificentiæ, qualis aulam Boicam decet, deeſſe patitur: cæterum omnium judiciô tanta eſt, ut, ſi omnes æquè Tibi fideles œconomos haberes, ac Tu Tibimet ipſi es, in ditiſſimum evaſurus eſſes Principem. Sed ſpera, propitius Polus dabit, ut, poſtquam *facta eſt pax in virtute Tua*, etiam fiat *abundantia in turribus Tuis*. Tunc licebit durìs probè exercitato reſpirare, bonóque frui, tot curis parto.

Interea curas Tuas, id quod boni omnes rogamus, perge adhibere reipublicæ Navi. Potiſſima difficultas ſuperata eſt: quod reſiduum eſt, ſponte ſua fluet, modò cœptis egregiè inſiſtatur.

*Fac repares, dabitur reparanti plurima Proles:*
*Hactenus una fuit; nam Pater es Patriæ.*

Illius Patriæ, quam ceu prolem diligis.

Vela jam contraho. Quæ hîc dixi, veritatis ſtudio dixi, & ad poſteritatis notitiam. Non apologiam ut darem, qua contra manipulum ſubditorum non egent magni Principes, prudentiorum æſtimatione, & affectu contenti. Nil aſſentationi dedi, à qua me, æquiſſime Princeps, adeò ſcis eſſe remotum, quantum ego Te veritatis patientem novi. Atque ut inde finiatur mea Oratio, unde exordium duxit, patere, Clementiſſime Domine, ut hoc meum qualeunque opus, & unà me totum Tibi conſecrem.

SERENITATIS
TUÆ

*Servorum infimus*

DANIEL STADLER,
Soc. JESU.

# AD LECTOREM.

PRæſente libro materiam tibi, benevole Lector, propino unicam; de variis quippe ſcribere quàm facile id eſt, tam parum eſt utile reipublicæ literariæ hac ætate, ubi ſexcentos libros reperies, qui ſexcentas materias tractent, quamvis ad unum forte titulum revocatas: pluribus autem intentus minor eſt ad ſingula ſicut ſenſus, ita & intellectus. Eam de duello, ſe mihi forte offerentem, ſelegi; tum quia occaſio mihi fuit uſu quidquam ea in re experiendi: tum quia elucidanda plurima ſupereſſe adverti, quorum in libris, hactenus editis, vix veſtigium. Patebit hoc ex *cap. 9.* ubi Magiſtratibus ſcripſi: præcipuè ex *6to.* ubi tres Conditiones ventilavi, requiſitas ad duellum aliquando licitum. Collegi etiam ex multis Principum edictis modos omnes, quibus prætenſa duellorum neceſſitas tolli queat, Canonum, ac Theologiæ Doctoribus non ſatis notos *c. 2.* Ipſa edicta, in compendium redacta, leges *c. 9.*

Methodo ea uſus ſum, ut præmiſſis, atque explicatis neceſſariis de duello Notionibus *c. 1.* demonſtrarem, quantum contenta in eo pravitas à recta ratione deflectat *c. 2.* tum diſcuterem, an in ſtatu naturali licitus aliquando ſit duelli uſus ad defendendum honorem *c. 3.* vel periclitantes cum honore fortunas *c. 4.* A ſtatu naturali progreſſus ſum ad ſtatum civitatis male ordinatæ, in quo ſcilicet provocatus, aut in honore læſus nihil præſidii apud Magiſtratus invenit *c. 5.* addendo examen trium conditionum, requiſitarum ad duellum aliquando licitum *c. 6.* Dein primùm ad ſtatum civitatis bene ordinatæ converſus duellum conſideravi ùt prohibitum lege Divina *c. 7.* Eccleſiaſtica. *c. 8.* & civili *c. 9.* Demum poſt duellum noxium etiam de eo, quod aliqua ratione innoxium dici poteſt declaravi, quæ ſcitu digna, aut neceſſaria credidi. *c. 10.*

Hunc ordinem ſcribendi meo non tantùm genio, ſed etiam materiæ quadrare judicabam, ideoque mihi eligendum.

Styli puritatem ſervare ſtudui, quamdiu licuit, ac meis verbis ſum locutus. Imixtis paſſim factis ſeu caſibus, tum veris tum fictis, lucem, & amænitatem theoriæ quæſivi conciliare: neutiquam autem theoriam per caſus tradere. De cætero ſecurè me pro conſcientia ſcripſiſſe exiſtimo; ſi enim aliquando benignior fui, & licentiam duelli aſſerui arcta neceſſitate preſſis, aliunde huic malo veram medelam quæſivi, neutiquam molliter inculcando Magiſtratibus, quid agere poſſint, & debeant.

Boni itaque hunc meum conatum conſulas, rogo, amice Lector! cúmque nec ego materiam me exhauſiſſe imprudens credam, amplum ſaltem cogitandi campum me aperuiſſe exiſtimo illis, qui poſt me de duello volent ſcribere. Vale.

# FACULTAS
# R. P. PROVINCIALIS,
### CUM
# PRIVILEGIO CÆSAREO

CUm D. Franciſcus Grätz, Bibliopola Ingolſtadienſis, typis vulgare deſideret librum, cui Titulus: DUELLUM HONORIS VINDEX, &c. à P. Daniele Stadler, Societatis JESU Sacerdote, compoſitum, & à deputatis ejusdem Societatis Patribus lectum, approbatúmque, ego Rudolphus Burckhart, Societatis ejusdem per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab A. R. P. Noſtro Franciſco Retz, univerſæ Societatis Præpoſito Generali, eidem ad hanc primam Editionem Facultatem impertio, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis, atque Typographis interdictum eſt, ne dictum librum citra conſenſum ſuperiorum recudere, aut intra fines S. R. I., & hæreditarias S. C. Majeſtatis Provincias inferre præſumant. In cujus rei fidem has ei manu propria ſubſcriptas, & conſueto officii mei ſigillo munitas dedi. Monachii 24. Octobr. 1650.

(L.S.)

RUDOLPHUS PURCKHART.

# CONSPECTUS OPERIS

## CAPUT PRIMUM.



## CAPUT II.

CAPUT

## CAPUT III.



CAPUT

## CAPUT IV.



## CAPUT V.



## CAPUT VI.



§. *I.*

## CAPUT VII.

## CAPUT VIII.



CAPUT

# CAPUT IX.

## Quomodo lege civili Duellum prohibeatur. 360



§. *III.*

CAPUT




# CAPUT I.

## DE NATURA ET VARIETATE DUELLORUM.

Quamvis pro ſcopo illud tantùm Duellum mihi præfixerim explanare, quod pro vindicando contra contumelias honore juxta Pſeudo-legem ævi hodierni ſuſcipi ſolet: præmittenda tamen ſunt ea, quæ Duella universè attinent; ab univerſalibus quippe, ùt Scholæ volunt, ad particularia deſcendendum. Unde hujus Capitis *Articulo I.* examinabitur, quid & quotuplex ſit Duellum. *Articulus II.* aget de Perſonis ad Duellum concurrentibus. *Articulus III.* de Cauſis, ob quas olim fuerunt ſuſcepta Duella. *Articulus IV.* dicet, quid hodie circa Duellum uſus ferat.

### ARTICULUS I.

### *Quid & quotuplex ſit Duellum.*

NOn ſatis eſt hoc loco in genùinam de Duello ideam inquirere §. I.: ſed cùm hoc crimen in Foro tam Eccleſiaſtico, quàm Civili prohibeatur, ac puniatur, pro Foro utroque accommodanda idea erit, atque

Duellum à Rixa extemporanea discernendum §. II. & §. III. Demum §. IV. quæretur, quotuplex Duellum sit.

## §. I.

## Etymologia & Definitiones variæ Duelli.

1. *Etymologia vocis hujus* Duellum.
2. *Meritò ejus Definitio accurata quæritur.*
3. *Traditur, sed cùm evitari non possint litigia,*
4. *In solidius fundamentum inquiritur.*

1. OMnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur, ait CICERO. (a) Vox itaque *Duellum* idem olim sonabat ac bellum, unde PLAUTUS inter Thebanos ac Teleboas duellum intercessisse dixit. Et HORATIUS cecinit:

*Græcia Barbariæ lento collisa duello.*

Quin ùt vult GROTIUS (b) ipsum bellum est ex voce veteri *Duellum*, ùt *duonus* quod fuerat, factum est *bonus*, & *duis bis*. Hodie usus obtinuit, ut *bellum* significaret certamen non singulare, sed plurium, authoritate publica ob bonum publicum susceptum. Imò non tantùm *actionem* aliquam certaminis, sed *statum*, ùt docet GROTIUS. (c) Duelli econtra nomine venire solet certamen singulare, ex causa privata susceptum, quod voce græca *Monomachiam* dicunt.

2. Hujus cùm accuratam definitionem quærerent Docti, meritò delectum adhibuêre cum industria; cùm enim gravissimæ pœnæ tum Civiles, tum Ecclesiasticæ in Duella sint latæ, disquirendum non rarò acutè est, an hic vel ille conflictus veri Duelli rationem habuerit. Secernenda scilicet sunt ea, sine quibus Duellum esse non potest, ab aliis, quæ illud comitari plerumque tantùm ex usu solent, scilicet *essentialia* ab *accidentalibus*.

3. Itaque Duello hanc definitionem statuamus: *Est pugna singularis ab utraque parte spontè & deliberatè suscepta, ex condicto, designato tempore & loco, ad occisionem, mutilationem aut gravia vulnera inferenda.* (d)

Simil-

(a) De Offic. L. 1. (b) De J. B. P. L. 1. c. 1. n. 2. (c) Ibidem. (d) *Bonacina* de Censur. Disput. 2. q. 6. p. 2.

Simillimam definitionem habet GOBAT, (a) nisi quòd omittat voces illas ***deliberatè*** ac ***sponte***, fortè ideò; quia jam continentur in voce altera ***ex condicto***. Sunt, qui longiorem faciunt addendo ***ex causis privatis***. Omittendum hoc aliis videtur ob Duellum Davidis ex causa publica susceptum; sed negant illi, quòd Davidis pugna ***duellum*** fuerit; partem publici belli vocant hoc & similia certamina. Magìs necessaria censentur illa verba ***designato tempore & loco***. Hæc ad definitionis perfectionem pertinere credit TAMBURINUS (b); ne scilicet rixa extemporanea quandoque pro Duello habeatur. Putat tamen SCHIARA (c) illud ***ex condicto*** jam involvere quandam designationem temporis & loci, tacitè saltem, si non expressè. Neque verba ultima prorsus superflua esse volent ***ad occisionem aut mutilationem, aut gravia vulnera***; ne videlicet malè inter Duella recenseantur pugnæ, quales committunt fœminæ, in capillos mutuo involantes, aut viri pugnis ferientes aliísve instrumentis, non factis ad inferenda gravia vulnera.

Quòdsi tamen dicas, illa verba comprehendi in voce ***pugna***, quam utique non qualemcunque intelligas, sed ***cruentam***, non erit, cur tecum ultra contendam de vocabulo.

4. Ut breves simus in hac logomachia, ad Duellum verè dictum requiri videtur, ut sit pugna singularis duorum vel etiam plurium, ex utraque parte stantium, suscepta sponte, deliberatè, ex condicto, designato loco & tempore, ad occisionem, mutilationem, aut gravia vulnera inferenda.

An verò hæc vocabula singula ad integritatem Definitionis necessaria sint: item an non jam unum contineatur in altero, pluribus disputare operæ pretium non est. Utilius erit exponere, ad quid præcipuè attendi soleat tum in foro Ecclesiastico, tum in Civili, ubi de conflictu quodam statuendum venit, an verè Duellum fuerit, vel extemporanea tantùm rixa, cui per varia edicta Principum (d) mitior statuta est pœna quàm conflictui, post maturam satis deliberationem suscepto. Normam dare juvat, ad quam utriusque fori Judices exigere judicium suum consueverint; quamvis fatear, non ita propriam esse uni foro suam normam, ut hæc non etiam ab altero vocari in subsidium utiliter possit.



(a) Experim. The. Tract. 7. n. 572. (b) Dec. L. 6. c. 1. §. 3. (c) Thl. Bell. L. 1. Diff. 21. n. 2. (d) Vid. Coloniense novissimum.

## §. II.

### Unde potiſſimùm duellum à rixa extemporanea diſcernatur in foro Eccleſiaſtico.

5. *Fori hujus norma ſunt duæ conſtitutiones Pontificiæ,*
6. *Quæ facilè inter ſe conciliantur, &*
7. 8. 9. 10. 11. *Deciſionem ſuggerunt pro variis caſibus.*

5. FOrum Eccleſiaſticum normam, ſive regulam ſuam depromit ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum, qui dum ſacra fulmina torſerunt in Duella, ſimul declarare non omiſerunt, quas pugnas *Duelli* nomine accipiant, pœníſque feriant.

Gregorius xiii. (a) eos pugiles Duelli reos ſtatuit, qui *ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco convento* monomachiam commiſerint. Clemens viii., cujus Conſtitutio (b) jus in hac materia noviſſimum facit, nominat Duellum ineuntes ex *compoſito. Statutum* autem *tempus*, & *locum conventum* hic Pontifex non exprimit. Unde

6. Dubium oriri pronum eſt, an geminum hoc caput, *locus* ſcilicet & *tempus ſtatutum* ad Duelli rationem pertineat in foro Eccleſiaſtico? Audire juvat Peregrinum Capuanum, qui prioris ſæculi anno duodecimo commentatus eſt in Bullam Clementis viii. juxta hunc authorem (c) "Duellum cruentum ſponte & ex condicto factum, nullo ſtatuto tempore & loco, eſt verum & proprium duellum; eo quòd habeat eſſentialia duelli, nempe ut ſit pugna privata, cruenta, ſponte ex utraque parte ſuſcepta, & facta data opera.

Obſervat tamen alio loco (d), quòd nunquam provocatio ſeu *Diffidatio*, ùt vocant, ſit absque ſtatuto tempore & loco *expreſſo* vel *tacito*. Hoc eò quoque ſufficere credit, ut quis incurrat pœnas, in duella ſtatutas, ſive deinde Conſtitutio Gregoriana per Clementinam, vel Clementina per Gregorianam explicari debeat.

Quod Peregrinus docet de loco & tempore *tacitè* definito, hoc Bonacina (e) tradit de loco & tempore non *præcisè* definito, ſeu *indetermina-*

(a) Conſtit. *ad tollendum.* an. 1582. (b) *Illius vices.* an. 1592. (c) De Duello, quæſt. 15. n. 4. (d) Quæſt. 20. n. 2. (e) De Cenſur. Diſput. 2. q. 6. p. 2. n. 6.

*minato.* Et bene; ſtare enim nos æquitas jubet illo effato: *Non tam ad vocum ſignificationem attendendum eſt, quàm ne fraus legi fiat* (a). Fieret autem fraus legi, ſi per implicitas dictiones, idem tamen ſignificantes, quod expreſsæ, ſubterfugere daretur ferientem Nemeſin. Duo itaque requiruntur, tum ut pugna ineatur *ex condicto* ſeu compoſito, id eſt, condicente parte utraque: tum ut ineatur *ſtatuto tempore & loco:* & ita quidem, ut ſaltem tacitè & indeterminatè definiantur tam locus, quàm tempus, id quod ex particula copulante *ET* colligunt Sanchez (b), & Floronus. (c)

## Hoc jacto fundamento deciduntur ſequentia:

7. I. Siquis, ferro nudato minax, obvium fortè in platea inimicum pugnare jubeat, duellum non erit; quia inimicus ad ſui defenſionem adactus, non condixit, adeóque pugna celebrata non fuit *ex condicto.* Quod hac propoſitione demonſtrat L. B. de Wolf. (d) " Si quis vi adoritur alterum, animo ad duellum eum cogendi, aggreſſor eſt, & contra eum ſe defendere licet: quando verò quis ſe defendit, duellum non eſt, ſed bellum ex parte defendentis juſtum. Quod ſi tamen, ſubjungit ille, alter paratus ſit ad vim tibi inferendam (non præſentem ſcilicet, ſed ſtantem adhuc intra minas) niſi in Duellum conſentire malis, & tu metu inductus conſentis, Duellum utique eſt.

8. II. Si Cajus adverſarium offendens, in platea exſpectare eum jubeat, donec arma ex domo ſua attulerit, Duellum erit, ſi adverſarius præſtolaturum ſe promittat; de loco enim & tempore paciſcuntur. Secus ſi pergat vias ſuas, & poſt nihilominus ab inſequente Cajo deprehenderetur. Duellum item erit, ſi quis, præcedentibus offenſis irritatus, in inimicum incidens, interroget, an hìc finire litem velit? & hic interroganti annuat. (e)

9. III. Si Hector Camillum, quem de ſe malè locutum comperit, adeat, & calumniam exprobret, admota capulo manu: quo indicet, ſe objecturum arma, ſi quidem Camillus, mendacii objecti impatiens, vim moliatur: quòd ſi etiam Camillus arma arripiat; Hector non dicetur Duelli reus, quamvis cum ruente in arma Camillo pugnare debeat; non enim condi-



(a) *Alciatus* ad L. lecta 40. ff. ſi cert. pet. (b) L. 2. Mor. c. 39. (c) De Duell. c. 2. (d) Jur. Nat. p. V. §. 1094. (e) *Farinac.* q. 119. n. 24.

dictum est in locum aut tempus (a): quin neque in pugnam; capulo enim manum admovit Hector non nisi promptæ Defensionis causa, si quidem hac opus foret sibi.

10. IV. Si quidem Hector Camillum domi suæ nil opinantem obruat, ad Duellum evocet, & donec annuat, ex ejus conclavi renuat pedem efferre: Camillus autem, molesto hospite se liberaturus, extra domûs limen ad plateam descendat, ibíque pugnet, dubitatur, num hic Duelli se reum faciat? videtur, quòd non; nam quid agat aliud in eo articulo Camillus? ædibus expellere Hectorem nobilem per famulos non decet: timendum foret, ne hic primum quemque, vim afferentem, confoderet. In domo propria pugnare moris non est, neque consultum, quemcunque pugna exitum sortiatur. Cùm igitur ab importuno hospite aliter se liberare nequeat Camillus, comitari eum ad plateam debet, ita, ut ipse defendentis, Hector aggredientis partes agere sit censendus. At fors alius magìs ad rigorem judicabit, Camillum post Hectorem, cui in egressu primas utique dederit, ostium debuisse claudere, & interim per viam aliam monere Principem: quod cùm omiserit, jam in arenam ultrò egressum non continuisse se intra defensionis limites veluti contra aggredientem: sed Duellum verè admisisse; præcipuè cùm ex condicto (promisit hoc enim in conclavi suo) pugnaverit, & quidem statuto tempore, scilicet dum plenè vestitus fuerit, ac loco, scilicet extra domum in platea. Duellum itaque fuit: an licitum Camillo? hoc colligendum ex alibi dicendis.

11. V. Si quis provocet alterum, ut pugnent, quamprimùm extra urbem sibi occurrerint, Duellum erit hæc pugna, ait Bonacina; (b) quia constitutum est tempus, & locus, ille scilicet & illud, quo se obvios habuerint. Sentit contrarium Pignatellus (c) cum Diana (d); eoquòd locus tam vastus, variæ scilicet extra urbem viæ, locus *statutus* & certus dici nequeant; item tempus, quo sibi primo occurrerint, incertum sit & vagum. Idem dicendum his authoribus videtur, si pugna statuatur in tempus, quo sibi occurrerint in urbe.

Certi

(a) *Pignatel.* Tom. 9. consult. 88. n. 88. (b) De Censur. Disput. 2. q. 6. p. 2. (c) Consult. 88. n. 9. (d) Part. 3. tr. 13. Miscel. 1. resolut. 59.

Certi ego quidpiam hac in re ſtatuere non auſim; utut enim certa ſint principia: certi tamen non ſumus de recto eorundem uſu; hinc nunquam finis erit dubitandi.

## §. III.

### Unde potiſſimùm Duellum à rixa extemporanea diſcernatur in foro civili.

12. *Rixa, quæ meritò à Duello diſtinguitur,*
13. *Confunditur autem à monomachis,*
14. *Notas characteriſticas has duas habet:* repentinum æſtum, *&* factum in continenti.
15. Repentinus æſtus *conſideratur politicè,*
16. *Etiam Theologicè.*
17. *Vocis in* continenti *non eſt ſignificatio æquè ſemper ſtricta.*
18. *Qualis ſit in Præſenti materia?*
19. *Ex his caſus dubii facilè deciduntur.*
20. *Præcipuè ſi inſuper attendatur ad varia indicia, à ſummis principibus ſuggeſta, pro diſcernenda rixa à duello.*

12. DUm Monomachia alicubi fortè committitur, nil frequentiùs audire eſt, quàm eam pugnam Duellum non fuiſſe, ſed rixam duntaxat, ſubitò exortam. Ad hoc advertunt ipſi magiſtratus ac judices, quorum officium eſt pugiles dare cuſtodiæ, ac punire. Unde Jacob. THOMASIUS (a) rectè duellum diviſit in *præmeditatum & extemporaneum.* Conflictum præmeditatum *duellum* dicimus: extemporaneum *rixam* ſeu fortuitum occurſum (b). At,

13. Quod Docti bene diſtinguunt, Monomachi malè ſæpe confundunt; unde præter alios Principes queritur EBERHARDUS LUDOVICUS, Dux Wirtenbergicus in edicto ſuo contra duellum edito (c), contingere non rarò, ut vero duello nomen & ſpecies allinatur ortæ ſubitò rixæ, & occurſus fortuiti; haud dubiè, ut ſtatuta pœna evitetur, vel in mitiorem ſaltem tranſeat; *Leviora enim ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata ac præparata inferuntur.* (d) & *inconſultus calor calumniæ vitio caret* (e). Itaque in jus vocati pugiles, ut fulmen declinent, repentino turbine ſe colliſos fuiſſe affirmant.

14. Ne

(a) Diſp. de Duell. Moralit. (b) Rencontre. (c) An. 1714. *Lunig.* Corp. Jur. milit. (d) *Cicero* L. 1. Offic. (e) L. 1. §. Quæri. ff. ad SC. Turpil.

14. Ne verò fraudi locus ſit, & ut rixa à duello diſcernatur, vulgò inter viros nobiles ac militares, atque in ipſis etiam Principum edictis nominatim in edicto Leopoldi Cæſaris edito an. 1682. rixa dicitur ea pugna, quæ committitur *in repentino animi æſtu*, atque *in continenti.* Sæpe enim vix facta offenſa eſt, mox animi commotio oritur, prodit ſe vultu, aut verbis, proſilitur ad vindictam, & *proceſſu* veluti *ſummario* lis abſolvitur. Juvat ergo declarare tantiſper, quid ſit ille *repentinus animi æſtus*, aut pugna *in continenti* ſuſcepta.

15. Dum Gustavus Samuel Leopoldus Comes Palatinus Rheni Dux Bipontinus (a) Duella, & præcipuè injurias, utpote Duellorum fomites, publico edicto vetaret, primo æſtui unius quadrantis horarii, vel duorum ad ſummum quadrantum ſpatium attribuit, intra quod ſi injuriæ reddatur injuria, mitiori pœna plecti reum jubet ob concitati animi æſtum. Ita ille pro foro politico.

16. Quòdſi autem Theologos conſulamus, quid iis de primo æſtu videatur, non concedunt illi quadrantem, minùs duos illi iræ, quæ excuſari, & motus *primo primus* dici poſſit. Non equidem negant Theologi, eum mitiùs puniendum eſſe, qui *impetu doloris tractus*, uti ait Imperator (b), quenquam invadit; ut tamen in ſacro hoc foro à gravi culpa abſolvatur conſcientia, ita vehemens ſit oportet illa commotio mentis tunc, dum in actum erumpit, ut actus non ampliùs dici queat vel *liber*, vel *voluntarius.* Eſt autem *voluntarius*, ùt poſt Ariſtotelem (c) communiſſima Theologorum docet, qui *procedit ab intrinſeco;* dum nempe agens ſeipſum movet ad certam actionem, & cum *cognitione finis*, dirigendo ſcilicet actionem ad finem, à ſe cognitum, & quæſitum. *Liberè* autem agimus tunc, quando etiam poſſemus non agere, quod agimus; libertas enim *indifferentiæ* eſt potentia, *quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere, & non agere.* Jam autem indignatio irati animi adeò vehemens & repentina quandoque eſt, ut actus, ea incitante poſitus, *liber* dici nequeat: imò quandoque neque *voluntarius.* Offendatur vir nobilis verbis, vel, quod majus eſt, verberibus, proſiliet præcipiti vehementia abreptus ad

(a) In edict. contra Duell. an. 1721. vide *Lunig* Corp. Jur. Milit. (b) L. 38. ff. ad Leg. Jul. de adult. (c) 3. Ethic.

ad vindictam, quin ulla ei argumenta occurrant, à vindicta retrahentia. Sic aget sine libertate; quia libertas non datur, ubi nihil prorsus agnoscitur, quod in contrarium movere possit; neque enim voluntas ferri potest in *incognitum*. *Voluntaria* tamen hæc vindicta esse poterit, quia *concupiscentia*, qualis est ira, *voluntarium non tollit;* sed *auget intensivè*, seu est causa, ut voluntas intensiùs velit, ùt docet D. THOMAS (a). Quòd si tamen *concupiscentia* seu ira ita invalesceret, ut usum quoque rationis everteret, neque *voluntariam* ampliùs eam actionem liceret dicere.

Si jam petas, ut definiant Theologi spatium temporis, quo ejusmodi ira, libertatem evertens, durare possit, varii variè tibi respondebunt. Ego quidem existimo, metiendum id esse tum juxta gravitatem offensæ irritantis, tum juxta offensi indolem magis, vel minùs aliàs placidam. Ægrè cuiquam adeò fusca bilis dominabitur, ut intra quadrantem vel omninò semi-horam serenior sibi radius non affulgeat. Quod itaque in Bipontino edicto de hoc intervallo dicitur, ad forum Nemesis potiùs pertinere arbitror, quàm ad forum conscientiæ: potiùs ad pœnam, quàm culpam definiendam.

17. Declarandum jam venit, quid illud *in continenti* sibi velit. Multa de hac voce differit CARPZOVIUS (b). Id certum, quòd ejus vocabuli significatio non sit æquè semper stricta. Aliquando idem dicit, ac *mox*, *illico*, *confestim*, *statim*, quæ voces vi propriæ significationis videntur denotare temporis momentum præsens & proximum sine aliquo intervallo. Ita BARTOLUS (c). Quod videtur etiam probari ex legibus (d), ubi actus stipulandi & promittendi debet esse continuus non interpellatus, ita, ut partes interim discedant ad alia negotia.

Unde liquet, *in continenti* esse idem, quod confestim nullo interjecto tempore vel intervallo. Contra verò quòd dictio *in continenti* non præcisè de momento temporis sit intelligenda: sed cum aliquo spatio temporis accipienda, colligitur ex alia lege (e) dicente, verbum *in continenti* accipiendum esse cum aliquo spatio temporis. Unde quamvis pa-

B renti

(a) 1.2.Q.6.a.7. (b) Pract. crim. p. 1. q. 31. (c) In L. 3. n. 2. ff. ut in poss. leg. serv. &c. (d) In primùm cit. & ex L. continuus. 137. junct. Gloss. de V. O. (e) L. 1. §. Item si ita. ff. ad L. Falcid.

renti adulterum cum filia non nisi in continenti juxta Leges antiquas occidere liceat, ita, ut prope uno ictu & impetu utraque cædes peragatur: tamen si priùs adulterum occidit auffugiente filia, & aliquot horis interpositis à patre ipsa quoque interfecta sit, *in continenti* occidisse dicetur (a). Alibi etiam verbum *in continenti* accipitur de eo, quod fit intra triduum proximum (b) (c). Denique Authores nonnulli, imò plerique hujus temporis, ait CARPZOVIUS, definitionem Judicis arbitrio ac moderationi committendam esse censent. Casum si legere placeat, in hanc rem accommodatum, vid. n. 229. præsentis tractatus nostri.

18. Crediderim ego, pro ratione materiæ ampliorem vel strictiorem huic voci addendam esse vim, ùt ex ipsis adductis legibus satìs apparet. In præsenti materia, ubi de vindicanda illata injuria agitur, ita accipiendam esse judico vocem *in continenti*, ut inter ortam collisionem seu altercationem, & inter pugnam vix aliquod notabile temporis intervallum intercedat, hoc est, ùt ait CARPZOVIUS in simili materia, " ut dimicetur ar-
„ mis, *antequam ad extraneos actus divertatur.* Hoc si fiat, duellum
„ propriè dictum non erit, nec locus erit pœnæ *ordinariæ*, seu à lege sta-
„ tutæ. Contra rixam tamen habebit locum pœna *extraordinaria*, hoc
„ est, definienda judicis arbitrio pro multiplici diversitate intervalli &
„ actuum intercedentium. Non tamen arbitrium ita laxum Judex habeat, ut
„ pro motu animi sui pœnam mitiorem imponat: sed exactè & diligenter ex-
„ pensis circumstantiis quibusvis, & imprimis examinato intervallo, post
„ rixam elapso, advertere, & exactè considerare debet, an durante adhuc
„ dolore & ira, antequam divertatur ad extraneos actus, ventum ad arma sit.

Nec frustra dixi, non debere intercedere notabile temporis intervallum inter *collisionem seu altercationem, & pugnam*; fit enim quandoque, ut injuria, seu qualiscunque offensa, aliquamdiu antè illata, & interim dissimulata, data subin occasione, recrudescat, & collisionem seu altercationem excitet. Quòd si hanc altercationem *in continenti* excipiat pugna, rixa erit dicenda, quamvis offensa præcesserit intervallo complurium dierum. Unde decides facilè sequentes casus dubios.

19. I.

(a) L. quod ait. 23. §. fin. ff. ad L. Jul. de adult. (b) C. de Judic. L. fin. (c) C. de error. Advocat. L. fin.

19. I. Si duo in jurgium inciderint ob factam quamcunque injuriam, & durante calore jurgii, ad locum, etiam aliquantum distantem, pugnandi causa accesserint strictis confestim armis, judicandi sunt rixam commisisse potiùs, quàm verum duellum. Multò minùs duellum dicetur, si eodem loco, quo altercantur, etiam pugnam absolvant.

II. Si qui, collisi in templo aut palatio Principis, exeant, locum reveriti, & pugnent in eodem calore, quo concitante ad exeundum condixere, duellum non committunt; quia, cùm non intercesserit spatium temporis: quo ad *actus extraneos se converterint*, censendi sunt *in continenti* pugnâsse.

III. Si duo verbis vel pugnis primò certent, mox uterque domum abeant, allaturi arma: tum reduces manus conserant, duellum non est; quia non satis interrupta fuit altercatio, & prima ira. Quòd si unus duntaxat necesse haberet apta domi arma quærere; adeóque alterum eo loco præstolari jubeat, donec redierit, dubitant Authores, an commissa subin pugna duellum fuerit. Affirmat Sanchez, negant Diana & Tamburinus (a). Mihi distinguendum videtur. In foro Ecclesiastico, ubi ad id attenditur, an pugna celebretur *ex condicto, destinato loco & tempore* (vid. N. 5.) existimo pro duello esse habendam ejusmodi pugnam. At in foro Civili, ubi consideratur potissimùm, an dimicatum fuerit in primo æstu, & in continenti, crediderim à duelli crimine esse absolvendam.

20. Tractationi huic lucem, & ornamentum accessurum spero, si subnectam ex variorum Principum edictis singularia quædam indicia & notas, quas Præfectis suis & Magistratibus locorum suggerunt ad discernendam rixam à duello, quantum quidem pro foro suo satis est.

Edictum Brandeburgicum (b) jubet, eos, qui commissæ à se pugnæ, nomen fortuitæ rixæ prætexunt, rigido examini subjici, & jurisjurandi religione adstringi, ut fateantur, an antè voce aut calamo, vel per internuncios ac famulos de pugna convenerint. Trutinari simul mandat rei adjuncta omnia, ut ex illis appareat, an potiùs ex motu primo, cui resisti vix potest, collisi, quàm meditatò, & in fraudem legis congressi fuerint. In eundem ferme sensum loquitur edictum Civitatis Hamburgensis, an. 1699. renovatum 1720.



(a) Apud *la Croix* L. 3. p. 1. n. 846. (b) An. 1688.

Rex Christianissimus, LUDOVICUS XIV., qui plantando, & evellendo regnum Galliæ ad hodiernum florem perduxit, ita statuit (a): " cùm „ sæpiùs acciderit, ut multi occasionem sibi occurrendi de industria quæsierint, hac specie fortuiti occursûs duellum palliaturi, mandamus, ut, „ qui post acceptam injuriam ad Judices, pro eo causarum genere à nobis „ constitutos, querelam deferre neglexerit, si postea solus cum solo, vel „ æquali utrinque stante comitum numero, paribus armis congrediatur, „ jam non de rixa, sed de duello reus habeatur. Idem de iis statuimus, „ qui ex terris nostris abeunt, ut alibi injuriam, hìc acceptam, ulciscantur, vel in regni finibus de industria congrediuntur; ejusmodi enim „ frustra prætendunt præcipitem iram. Nec litteras veniæ stat cuiquam „ concedere post tumultuariam pugnam, nisi antè vel in Regia nostra, vel „ in alia provincia custodiæ mancipatus, finem inquisitionis exspectârit. „

Hoc ultimum de subeunda interim custodia, statuit etiam magni proavi dignissimus Pronepos LUDOVICUS XV. (b) postquam id pridem LUDOVICO XIII. suaserat Card. de RICHELIEU (c). Inhæret item firmus ei sententiæ, ut, si inter quosdam litem vel simultatem ante pugnam intercessisse constet, de qua nihil illi ad Judices, *de puncto honoris* dictos, detulerint: pòst tamen mutuo sibi occurrentes conseruerint manus, pœna capitis plectantur, non aliter, acsi duellum verè commisissent.

Easdem omnino leges observandas præscripsit priori sæculo Princeps Arausicanus HENRICUS WILHELMUS unitarum Provinciarum Gubernator. (d)

Dux Lotharingiæ LEOPOLDUS prudentissimè statuit tria veri duelli indicia, & notas characteristicas. 1mò si causa dissidii ad Judicem delata non fuerit. 2dò si paribus armis. 3tiò si in loco suspecto fuerint congressi. (e)

Adstipulatur edictum JOSEPHI CLEMENTIS Electoris Coloniensis (f). Item recentius CLEMENTIS AUGUSTI (g).

Recensita hactenus indicia adeò clara sunt, ut Magistratus ac Judices ex iis facilè duellum à rixa discernerent, modò nollent quandoque ultro suis oculis glaucoma obducere ad excusationem quærendam crimini.

§. IV.

(a) Edicto an. 1669. (b) Edicto an. 1723. (c) In testament. polit. cap. 3. sect. 2. (d) In edicto an. 1684. (e) In edicto an. 1699. (f) An. 1704. (g) 1742.

## §. IV.
### Quotuplex sit Duellum?

21. *Solemne, & Privatum. Extrajudiciale, & Judiciale. Lethale, & non Lethale.*
22. *Vindex honoris, Vindex fortunarum. Equestre, & Vulgare. Propriè, & minùs propriè dictum, &c.*

BReviter indicare juvat Duellorum genera varia, quorum per hujus operis decursum amplior passim memoria occurret.

21. Dividitur Duellum 1mò in ***Publicum***, quod etiam solemne dicitur, & in ***Privatum.*** Illud sub certa forma, seu solemni ceremonia peragitur missis chartis provocatoriis, adhibitis patrinis, invitatis spectatoribus, feréque in loco securitatem præstante, quem ***Campum francum*** nuncupant. " Committuntur, ait Gobat (a), in nostra Germania satis rarò per Dei gratiam duella solemnia, id est, decertationes factæ vi provocationis ad certum diem, locum, cum chartellis, coram testibus & fidejussoribus: at verò privata satis supérque frequenter. „ ***Privatum*** est, quod ex condicto quidem & destinato loco ac tempore committitur: sine aliis tamen ceremoniis, nisi quòd etiam patrinos (***Secundantes*** vocant) admittat.

Dividitur 2dò in monomachiam ***Extrajudicialem***, & ***Judicialem.*** Illa citra Judicis authoritatem committitur, ùt ferme hodie assolet. Hæc authoritate Judicis præscii, vel etiam præsentis, & judicantis de eventu pugnæ, & causa inde dependente. Olim admodum hæc viguit certandi ratio, de qua vid. Art. 3tium hujus Capitis.

22. Dividitur 3tiò in duellum ***Lethale***, & ***non Lethale.*** In illo pugiles quærunt, vel saltem non abhorrent dare vulnera qualiacunque, mutilationem etiam, aut ipsam necem allatura. In ***non Lethali*** cavetur pacto, aliáve industria, quantum fieri potest, à vulnere graviore. Vide varia hujus specimina Cap. X.



(a) Theol. Experim. Tract. 7. c. 18.

IV. Ratione finis duellum aliud poteſt eſſe vindex *Honoris*, aliud vindex *fortunarum*, prouti ſcilicet vel per contumelias honor, vel per injuſta damna fortunæ ac opes in diſcrimen adducuntur. Ubi utraque læſio concurrit, idem ſæpe duellum vindicabit honorem, ac connexas cum honore fortunas.

V. Aliud juxta KNIPSCHILD (a) eſt duellum *Nobile* ſive *Equeſtre*, celebratum ſcilicet inter viros ordinis Equeſtris: aliud *Vulgare*, quod ad omnes pertinet, tam plebejos, quàm nobiles.

VI. Denique aliud eſt duellum *propriè* dictum, aliud *minùs propriè* acceptum. *Propriè* dictum à rixa extemporanea differt, juxta dicta §. præcedente. *Minùs propriè* acceptum cum illa nonnunquam confunditur. Sic etiam, dum nobis de licentia vel malitia ejusmodi pugnarum multus in hoc opere erit ſermo, non ſemper duellum ſtrictè & propriè dictum afferemus, niſi ubi de pœnis agitur, ſatis in duellum ſtrictè acceptum; quamvis & minùs ſtrictè dictum ſuas pœnas mereatur, à Magiſtratibus ex gravi obligatione infligendas.

## ARTICULUS II.

### *De Perſonis ad Duellum concurrentibus.*

NOn requiruntur ad duellum neceſſariò plures, quàm duo, *provocans* ſcilicet, & *provocatus*; cùm enim neglecto tribunali jus ſibimet dicere velint efferi homines, vel potiùs gladio dicendum committant, actoris veluti unus partes agit, & provocat: Rei alter, & provocatur, cauſam decidente gladio. Accedere tamen ex more ſolent etiam *patrini*, & ſubinde internuncii, aliíque hujus furfuris homines: & ſiquidem de ſolemni duello loqui libeat, etiam *Judex*, ac *Procurator*. De his omnibus quatuor §§. agemus.

### §. I.

### De Provocante, & Provocato.

23. *Pars provocans, & provocata poteſt pluribus conſtare capitibus.*

24. *Provocatio fit expreſsè, vel tacitè.*

25. *Quis* ...

(a) De Nobilit. L. 2. c. 3.

25. *Quis autem provocaverit, colligimus ex doctrina Alciati,*
26. *Confirmata exemplis.*
27. *Contra provocantem datur exceptio, si sit infamis.*
28. *Quamvis non omnis infamia in considerationem veniat,*
29. *Item si non sit nobilis, & vocet nobilem.*
30. *Provocatus non sit ejusmodi, quem provocans singulariter colere debeat,*
31. *Neque omnino rudis in tractandis armis,*

23. NOtandum imprimís, quòd pars tam provocans, quàm provocata non duo tantùm, sed plura etiam capita numerare possit. Stetêre ex una quandoque tres vel decem pugiles: totidem ex altera, quando scilicet vel causa communis tangebat, & involvebat plures: vel solus amicitiæ titulus utrique principali plures commilitones adjunxit, Theseos & Pirithoos amicos usque ad orcum. (a) Legi aliquando viginti simul grandi in flumine Insulam conscendisse, & subducto lembo tamdiu in mutuas sæviisse cædes, donec non nisi unus, & ipse malè mulctatus, stragi superfuerit. Hodie mitigato furore ferme non nisi duo confligunt: cæteri patrinos agunt, non pugiles.

24. PROVOCANS est, qui ad pugnam evocat, idque vel per tabellam provocatoriam (b), vel per internuncium, vel ipsus coram & præsens. Uti autem solent provocantes plerumque verbis ejusmodi, quorum sensus potissimùm ex usu interprete colligi debeat. Exemplum cape. Hector in hunc modum scripsit Camillo: cùm per astutiam tuam præripueris mihi altiorem illum in exercitu nostro gradum, quem præstiti servitii diuturnitas mihi adjudicare debebat, facilè conjicies, quid læsus viri equestris honor exigat, cui, spero, te satisfacturum.

Aliàs Titius Coriolano: Quædam verba tibi excidisse memineris, queìs in dubium vocata est stirpis meæ antiquitas; eorum cras, peto, ut explicationem des prope civitatis pomœria ad hortum Claudii. Hæ similésve phrases, ex usu ritè intellectæ, provocationem ad duellum continent, quibus parere necesse habet provocatus, nisi ignavus ex hodierna pseudo-lege audire malit.

25. Illud

(a) *Amelot dela Houssaye* Memoires tom. 2. (b) Vulgò Cartel.

25. Illud adhuc magis declarandum est, quis universè pro *provocante*, & quisnam pro *provocato* sit habendus; adeò enim perplexa quandoque contentio exoritur, ut, quis duello initium dederit, difficulter dignoscatur. Necesse tamen est dignoscere; cùm quidam Principes mitiorem in provocatum pœnam statuerint: vel is certè veniâ judicandus sit dignior. Qua in quæstione ALCIATUS (a) ita differit: " Non est dubium, „ ex vi sermonis eum provocatorem intelligi, qui primò cœperit, & unde „ prior exorta est injuria: sed sicut in Jure quandoque dubitatur, quis „ actoris, & quis rei partes sustineat, ita & in monomachia plerumque „ ambigitur. Nam & reus, in cujus bonorum possessionem ob contumaciam itum est, si revocari decretum prætoris postulet, actor dicitur.

„ Idem in eo, qui pignoris capionem, vel aliam executionem „ principaliter cancellari intendat. Is quoque, qui instrumentum rescindi „ petit, si non possideat, actor dicitur. Quibus exemplis ego arbitror, „ non eum, à quo prior injuria orta est, provocatorem esse, sed eum, „ qui priùs certamen indixit. Ille ergo *injuriæ* provocator rectè dicitur, hic „ *duelli*. Quam sententiam, scio, plerosque lanistas non probaturos: sed „ ego, quæ à Jure-Consultis tradita sunt, quæque à præstantissimis hujusce artis accepi, ea magis insequenda arbitror, quàm horum innixas nulla ratione opiniones.

Et hanc ALCIATI sententiam hodiedum tenendam esse existimo; injuria enim ad summum dici potest provocatio *remota*: *proxima* autem provocatio est ipsa duelli denunciatio. Nec obstant ea, quæ ARISTOTELES (b) scribit: *Quæ per iram fiunt, talium non est author & causa is, qui iratus facit, sed is, qui lacessivit, atque irritavit; ob injuriæ enim speciem animo objectam, ira commovetur.* Aliud ex hoc non concluditur, quàm quòd ille, qui alterum injuria lacessivit, atque irritavit, provocationi causam dederit: non autem quòd provocaverit.

Quin neque causam dedisse, si pressè loquamur, verum est; confugere quippe debebat læsus non ad duellum, & privatam ultionem, sed ad Judicis præsidium; *neque enim singulis concedendum, quod per Magistratum fieri possit, ne occasio sit majoris tumultus faciendi.* (c)

Quam-

(a) Cap. 5. de duello. (b) 5. Nicom. 8. §. 9. (c) L. 176. ff. de R. J.

Quamvis non diffitear, æquum esse, ut, qui provocationem facit, & ***remotam*** & ***proximam*** simul, majore plectatur pœna, atque ille, qui solam proximam, vel solam remotam; id quod bene observatum legimus in edicto Brunswicensi Georgii Magnæ Britanniæ Regis (a). Juxta hanc doctrinam etiam teneo casus, ab Alciato bene decisos, sequentes.

26. " I. Qui te proditorem dixerit, quamvis tu mentiri responderis, non tamen provocator idcirco dicetur, nisi recepta responsione ad pugnam te invitaverit. Quòdsi tu respondendo mentiri eum, téque singulari certamine id approbaturum professus fueris, tu ille ipse verus provocator es; potuit enim existimare, qui te proditionis insimulavit, alia te ratione honoris tui causam suscepturum, quàm duello, cúmque tu ad specialem duelli probationem suscipiendam eum appellaveris, meritò actoris partes sustinebis. „

" II. Sed & si te sic compellavero: ***Quoniam id à te in dedecus meum dictum, factum est, ut honorem meum defendam, volo tecum armis concurrere, sícque me defendere,*** arbitror me provocatorem esse; nec enim verborum integumentum formulam actionis variat. Et sicut in judiciariis libellis conclusio ipsa spectanda est, nec verborum sonus attenditur, sic & hoc casu id observándum est, quòd ego in bellum provocem, tametsi *defensionem* appellem, quæ respectu congressûs offensio est. „

" III. Idem respondendum censeo, si hac formula verba concepta proponantur: ***Quoniam in honorem injustè debacchatus es, si te affirmes rectè fecisse, paratus sum judice gladio ostendere, falsa te opinione niti, & mentiri.*** Et hic enim, si sibi respondeatur, rectè atque verè factum, nihilominus actor est; ipse enim ad pugnam ultrò provocat. Alter igitur rectè ***provocator injuriæ*** dicitur, alter ***duelli.*** Sed parùm refert, quis in injuria occupârit, solúmque inquirimus, quis in duello actor sit. „

" IV. Ex facto illud quoque quæstionis fuit hac in specie. Scripsit Venetus Gallo: ***Accepi, te Duces exercitûs Veneti imbelles dixisse, quod judicio meo improbè à te dictum est: cúmque id mea non parum referat,*** " ***velim***



(a) An. 1718.

„ *velim certior à te fieri, an verum id sit.* Responsio Galli: *Ducibus Venetis non maledixi, nec mei moris est: verùm quod tu improbè me dixisse affirmas, mentiris, ídque tibi in campo probaturus sum, si ejus designationem literis ad me tuis declaraveris.* Dubitatum est, uter duelli provocator esset. Et Gallum non esse, vero propius est; quoniam, qui sibi designari campum petit, is consuetudine Cisalpinæ Galliæ reus est, id est provocatus. „ Hactenus ALCIATUS. Ego huic consuetudini suum pretium relinquo: si tamen decisionibus prioribus insistam, Gallum provocâsse dicam.

27. Cæterùm cùm duellum judicii quodammodo formam imitetur, in quo provocans actorem, provocatus reum agat, nemo mirabitur, contra actorem quasdam *exceptiones* dari, quibus iniqua ejus provocatio elidatur.

Ac imò quidem provocans non sit homo *infamis* oportet; ferme sicut in judicio accusatorio non admittuntur ad accusandum infames, & criminum rei tam de Jure Canonico (a), quàm & de Jure Civili (b). Est autem alia *infamia facti*, quæ nascitur ex ipsa, soláque inhonesti operis, vel defectûs, apud probos & honestos viros notam afferentis, turpitudine manifesta. Alia *Juris*, quæ authoritate Legis, vel Canonis ob turpe factum decernitur. Ejusmodi facta sunt v. g. bina sponsalia, binásve nuptias suo nomine, vel ejus, quem quámve in potestate habet, eodem tempore constitutas habere (c): histrionem agere, & pro quæstu turpes ludos edere (d). Juramentum promissorium contractui, & transactioni appositum ex culpa non servare (e), hæresi inhærere (f), usuram manifestam exercere, & exigere injustè usuras usurarum. (g)

Infamis item est *sententia Judicis*, qui doli mali suo nomine admissi, vel calumniæ & prævaricationis in publico judicio commissæ est damnatus (h). Vel, qui ignominiæ causa exauthoratur militia, ordine movetur,

(a) Can. 18. causa 2. q. 7. (b) L. 4. ff. de accusat. (c) L. 1. & 13. ff. de his, qui not. infam. (d) L. quod ait. 2. §. fin. ibid. (e) L. Si quis major. 41. C. de transact. (f) C. Excommunicamus. 13. §. 5. de Hæret. (g) L. Improbum. 20. C. Ex quibus causis infam. irroget. (h) L. Fustibus. 16. C. Ex quibus caus. infam.

tur, vel honoribus interdicitur (a). Plura vide apud Doctores paſſim. Nota tamen, juxta morem hodiernum exceptionem etiam dari contra eum, qui indignum aliquando actum admiſiſſe paſſim dicitur, quamvis ſententia Judicis non fuerit declaratus reus: ſufficit, quòd necdum fuerit purgatus.

28. Quacunque ejusmodi infamia ſi quis notatus ſit, ad duellum etſi provocet, non auditur, nec quisquam tenetur provocanti morem gerere. Ita pro certo ſtatuit pſeudo-Lex de duello, hoc ſaltem ex capite non irrationabilis; nulli enim provocantes deberent audiri: ergo multò minùs infames. At illud incertum, an omnes illos pro infamibus habeat, quos Jura habent; certè cum eo, qui crimen raptûs admiſerat, non horruit olim nobilis quispiam in arenam deſcendere: & tamen infamiam hoc crimen affert (b). Nunquid juxta idem Tridentinum infames ſunt unà cum patrinis ſuis monomachi? nihilominus pſeudo-lex commiſſo ſemel duello eos etiam poſthac ad duellum admittit. Vice verſa eum excludit velut infamem, qui vel ſemel duellum recuſaverit. Quin & eum, qui ex legibus Evangelii calumniam, vel ignominiam, aut verbera inultus tulerit, adeò ſusque déque vertit omnia.

29. Exceptio etiam locum habere dicitur, dum ignobilis nobilem provocat. Equidem ALCIATUS, quem Sæculo XVI. Jurisprudentiæ barbariem abſterſiſſe dicunt (c), de ſuo ævo dum loquitur, contendit, imparem in nobilitate, vel dignitate conditionem nihil ad monomachiam facere, ita ut gregario quoque militi fas ſit Ducem provocare (d). At de duello *judiciali* ibi ſermo eſt; patet ex ratione, qua ſuam ſententiam tuetur; eo, quòd ſcilicet monomachia genus probationis ſit, cui DEUS præſidere credatur, apud quem omnes pari jure agant. Contrarium tenent nonnulli cum BALDO (e): hodierni mores ferunt, ut nobilis provocatus ab ignobili comparere non teneatur. Quin orti de antiquò ſtemmate cum aliis, quos vel recentior Principis gratia nobiles ſcripſit, vel ſola toga, aut calamus primis etiam ſubſelliis admovit, manus conſerere detrectant. Aliud obſervatur inter eos, qui caſtra ſequuntur, ubi inter Duces



(a) L. 1. Prætoris. ff. de his, qui not. infam. (b) Trident. Seſſ. 24. de reform. matrim. (c) Vid. M. *de Thou.* (d) De ſingul. cert. c. 30. (e) Apud *Pignatell.* Tom. 9. Conſ. 88. n. 3.

ces non habetur sanguinis ratio. Meum non est, ejusmodi regulas ad examen vocare. Excludant pace mea, quoscunque placet, à cruento hoc pugnandi jure, quò severiores erunt, eò magis parcetur humano sanguini. Id adverto, sanguinem viri sapientis, qui togâ illustris præclara obit munia in Reipublicæ commodum, æque pretiosum esse ac alterius cujusquam, cujus tota gloria est commemorare

*Et genus, & proavos, & quæ non fecimus ipsi.*

30. In provocato requiritur, ut non sit talis, quem provocare per bonos mores non licet, quémque cum provocante pugnare ob authoritatem dedecet. Sunt potissimùm illi, quibus jure naturali, vel civili singularis honor debetur. Sic nefas est provocari parentes à liberis, Patronos à Vasallis, à Subditis Dominos, à Discipulis Magistros. Neque decens erat jam ALCIATI ævo, ut privignus vitricum, vel nepos avunculum, aut civis Consulem, ac Prætorem in arenam vocaret.

Militiæ quoque moris est, ut Dux exercitûs, vel Præfectus legionis atque cohortis à quoquam sibi subdito adigi ad singulare certamen nequeat, tunc saltem, si offensa orta sit ex mandato quodam Ducis, quo disciplinam hic militarem ex officio curabat. Id tamen subdolè jam agunt aliqui, ut dum duriùs secum actum fuisse à Præfecto existimant, missionem petant, eáque obtenta, ad locum alterius ditionis invitent correctorem suum. Huic malo occurrere laborârunt Principes multiplici industria, ùt recensebimus alibi Cap. 2. & 9.

31. Id præterea, credideram ego, in provocato requiri, ut in tractandis armis non prorsus rudis esset; quæ enim laus provocanti accrescat, si ipse in arte digladiandi versatissimus, rudem adversarium, & in palæstra hac vix novitium, veluti ovem lanio ad macellum pertrahat? contigit tamen, ut veteranus gladiator vexilliferum, qui recens ex laribus paternis venerat, nescio, qua de causa frivola, in arenam educeret reluctantem, & obtendentem suam in tractando gladio inscitiam.

Instabant patrini quoque, ineluctabilem necessitatem inculcantes, nec spatium mensium aliquot indulgentes, donec tyro athleta se exercendo profectum caperet ad sui defensionem. Itaque bonus vexillifer in arena jam constitutus, educto gladio, in genua procumbit, ultimas deprecationes adhibet: &, dum surdis canit, à desperatione mutuans consilium, durum ad-

ver-

versarium nihil minùs opinantem transfodit, gravi adeò vulnere, ut ab eo nunquam ex integro sanatus, & curvo corpore miserè tota vita reliqua incedens, ridiculum prope spectaculum multis præbuerit thraso.

Hæc de personis principalibus *provocante*, & *provocato*. Quibus cùm plerumque Patrini (sive Secundantes) accedant, de his jam disserere ordo monet.

## §. II.
## De Patrinis.

32. *Unde Patrinorum nomen.*
33. *Horum officium est pugnæ assistere.*
34. *Debebant olim etiam pugnare.*
35. *Hodierni videntur excusari à culpa & pœna,*
36. *Etiam ex fundamentis Theologicis.*
37. *Sed refutatur excusatio,*
38. *Addita gravi ratione,*
39. *Absterso fuco Theologico,*
40. *Et accedente oraculo Ludovici M.*

32. P*Atrinus*, ignotum Latio nomen, iis primò tributum est, qui infantem de sacro fonte suscipiunt, & rectiùs Patres lustrici, vel Patres baptismo adoptivi dicuntur (a). Pòst mutuare hoc nomen, & profanare ausi sunt monomachi, affingendo id patromachis suis, qui duellis solemnibus adfuêre velut *baptismo sanguinis*, constituti pugilum patroni, atque advocati, utpote quorum jura tuerentur, & coram judicibus causam dicerent, ob quam illi descendissent in arenam. Ejusmodi Patrinorum memoria & species quædam servatur etiamnum ad pompam in catadromo, ubi ludicræ decursiones (b) celebrantur, atque Equitum, vel Amazonum turmis singulis (c) bini aut quaterni junguntur.

33. Ad hodierna duella adhibentur eo potissimùm fine, ut testes sint pugnæ juxta leges peractæ; ne scilicet quis fortè in inermem adversarium irruat, antequam hic gladium strinxerit, aut sclopum manualem expediverit: aut ne pugiles, vulnerato alterutro, ira abrepti vehementiùs sæviant: néve alia fraude aut arte insolita utantur, & si qui sunt alii ejusmodi fines. Finito negotio, dilaudant patrini pugiles suos, strenuíque viri partes dicunt implêsse. Mox eos reconciliare satagunt, & iis, quorum interest, testatum faciunt, litatum



(a) Pomey V. Parrain. (b) Carrousels. (c) Cadrille.

fuisse satis læso honori. Unde & ille, qui contumeliam acceperat, jam ab omni mala nota absolutus habetur. Itaque gladius, & duo patrini effectum dant, quod nec Magistratus, nec Princeps ullus juxta corruptum judicium ejusmodi hominum tota sua authoritate valuissent.

34. Durior antehac erat Patrinorum conditio, vel, ut veriùs dicam, inhumanior cæcitas. Usque ad HENRICUM III. Galliæ Regem, spectatores tantùm agebant: at in duello Queli, & Entraguetii etiam ipsi manus consêruere. (a) Invaluit tunc perniciosus hic mos præcipuè in Gallia. Narrat Thuanus (b) plura ejusmodi exempla tragica. Inter alia de duello Levii, & Caroli Balsaci hæc habet: " Cùm alter ab altero de injuriis sibi, usurpata apud nos inter nobiles ratione, satisfieri peteret, horam & locum duello condicunt, quo & duos ex amicis, inaudito apud alios more, cæterùm vana decoris ostentandi cupiditate nunc satis frequenti, secum pugnaturos adducunt. Hi omnes summo silentio in equorum foro Lutetiæ ad mutuam perniciem, orto vix sole, certarunt. " Si causam quæras, ob quam sibi socios adlegerint, scito, LUDOVICO Magno teste (c), ideò principales quandoque involvere *secundos* & *tertios*, eo quòd sibi diffidant, & præsidium quærant in aliorum dextera. Nec Germania penitùs sapiebat, id quod colligere datur ex *Concluso* Imperii, contra duella edito (d), & ex *resolutione* LEOPOLDI Cæsaris, data ad hoc Conclusum (e), ubi longè acrior pœna statuitur in eos patrinos, qui ipsimet etiam pugnant, quàm in alios pugnæ duntaxat assistentes; præterquam quòd egregio ibidem encomio hi pugiles mactentur, dum *inhumanum*, *diabolicum & pessimi exempli inventum* sectari dicuntur. Sed tandem abolitus est hic mos in Gallia, qui extra Galliam non admodum se diffuderat. Et meritò ad extremam barbariem ablegata hæc est rabies, quæ, dum plures trahebat in societatem, lites ex litibus serebat, & pugnas ex pugnis. Jam etiam olim duella solemnia ac judicialia inficere parabat hoc moris monstrum: sed oraculis Jurisperitorum proscriptum est; eo quòd neque ex Jure Civili contra advocatum, procuratorem, tutorem, quibus similem personam patrini credebantur sustinere, unquam actio judicati daretur (f).

De

(a) *Amelot de la Houssaye* Memoires tom. 2. (b) Lib. 66. ad an. 1578. (c) In edicto contra duell. an. 1679. n. 15. (d) An. 1667. (e) An. 1668. & 1670. (f) L. 4. ff. de re judic.

35. De eo dubium moveri posset, an pœnæ tam à lege civili, quàm Ecclesiastica generaliter in Patrinos latæ, quas suis locis recensebimus, hodierni quoque moris patrinos feriant. Innocuum hi videntur munus agere; non ipsi suadent duellum, nec ad cruentam pugnam excitant: sed, quod ab aliis decretum est, ut sine fraude, aut furore absolvatur, id curant unicè. Quò non ageret quandoque ira efferos pugiles, vel quas malas artes non suggereret vitæ amor, si moderatores abessent, & testes? præstat hos duello adesse, quàm abesse, ut scilicet malum, quod impediri jam non potest, fiat cum minori periculo, ac damno. Nónne quis benè se jungit alteri comitem, quem scit in suo consortio peccaturum saltem moderatiùs; huic enim tribuetur, quòd peccatum quidem fuerit: illi, quòd non fuerit peccatum magis. Itaque non abs re quæri potest, quinam patrinorum nomine veniant in Pontificum, Principúmque edictis, quæ in ejusmodi multa cum severitate fulmen, & gladium vibrant. Illos haud dubiè solos spectabunt intentatæ pœnæ, qui vel duello solemni operam commodant, vel in privato ipsimet arma arripiunt.

36. Opinio hæc est, quam multorum animis altiùs insidere deprehendi, quàm ut facilè eximi valeat. Quid? quod etiam speciem quandam veritatis theologicæ præseferat. Si enim tale patrinorum obsequium licitum non esset, tunc ea ex ratione, quòd peccato operam locant, seu *cooperantur?* at sine piaculo hoc agunt; quia *qualemcunque* operam ad peccatum conferre non semper vetitum est. " Tunc licebit juxta Theologos (a), si " 1mò tuum opus, seu cooperatio sit secundùm se bona, vel saltem in- " differens. 2dò si bona intentione, vel saltem rationabili ex causa fiat: " non ut juves alterum peccare. 3tiò si alterius peccatum impedire ne- " queas, aut saltem non tenearis propter causam rationabilem. "

Atqui totum, quod Patrini hodierni in duello præstant, indifferens est, vel etiam bonum: assistunt, furori ponunt modum, dolosas pugnandi artes excludunt, & tandem de pugna hoc modo peracta, testimonium dant. 2. Ista agunt bona mente, justóque ex fine, ùt patet. 3. Eò jam vident rem devenisse, ut impedire pugnam, vel eam clientibus suis dissuadere non sit integrum: à reatu ergo absolvi debebit hæc innoxia opera, seu *mate-*

(a) Vid. *la Croix* L. 2. n. 250.

*materialis cooperatio*, ferme ſicut caupo ille abſolvitur, qui in urbe Catholica Acatholicis carnes apponit die jejunii, ſi ſciat, ſe tergiverſante caupones alios hoc hoſpitibus obſequium exhibituros multa cum lubentia. Quod idem nôrunt etiam Patrini, ſcilicet alios, ſi rogentur, haud difficulter hanc ſpartam fore ſuſcepturos.

37. Contrà omnino tenendum, in Pontificum Bullis (a) ac Principum edictis (b) vapulare tam antiquioris, quàm hodierni ævi patrinos. Dabo pleroſque veteres Canones, & quaſdam Pontificum Conſtitutiones in patrinos ſolemnis tantùm duelli detonuiſſe: dabo quoſdam Principes, præcipuè Reges Galliæ ab Henrico III. uſque ad Ludovicum XIV. illis duelli privati patrinis minas intentaſſe, qui pro illius temporis more arma ipſi quoque ſolebant ſtringere. At Leges recentiores, Bullæ, edictáque plurima loquuntur de hodiernis; eſt enim temporis habenda ratio, quo quævis ejusmodi Conſtitutio lucem aſpexit. Quales tunc erant patrini, tales quoque damnati, & pœnis ſubjecti fuerunt. Conſtat autem multas Conſtitutiones fuiſſe editas ultimis temporibus, quibus duellum ſolemne vigere jam deſiit, & iis in Provinciis, in quibus patrini ferme ſemper à pugna abſtinere conſueverant. Accedit, quòd ii, qui ipſimet pro more pugnabant, *ſecundi* & *tertii* potiùs vocentur, quàm patrini. (c)

38. Adde, quod ex ſana etiam ratione condemnentur hodierni Patrini. Quodſi enim duellum inire culpa non vacat, ùt ſuo loco abunde demonſtrabitur: neque culpa vacabunt, nec pœnis ſe ſubducent, qui patrinos agunt; nam ſine patrinis duella vel nulla haberemus, vel rara, id quod ex eorum officio, cujus partes paulò antè enumeravimus, liquet. Quis enim volet ſe adverſario ſuo, exacerbato ſæpe hoſti committere ſine arbitro? quì ſecurus ero, ne fortè à tergo me ille invadat, ne me præveniat hærente adhucdum in vagina meo gladio, vel antequam firmum in arena pedem fixerim? quodſi ego ei vulnus infligam, & is inhoneſtis me modis egiſſe poſtea calumnietur, quem teſtem opponam? ſi glandem ego ejus prior excipiam innnoxiè, & nolit ille meam exſpectare, exſpectâſſe tamen mendax jactitet, quì confutabo? ſi eum occidam, cui probabo, me juxta honeſti leges

(a) Vide has Cap. 8. (b) Vide eas Cap. 9. (c) Vid. Edictum Ludovici XIV. n. 495.

leges dimicâsse? vulneremur uterque, quis opem advocabit laborantibus? illæsi abeamus, vel non nisi leviter saucii, nónne judicabunt commilitones nostri, nos post offensam reconciliatos, non nisi umbratilem pugnam commisisse? quî ergo purgabimur, quî ad societatem & commercium æqualium admittemur, qui tamen duelli finis est? quæ cùm ita sint, apparet satis; sinè patrinis nulla, vel rara oppidò duella fore. Quisquis ergo patrini officium in se suscipit, duella fovet, id est, malum fovet, omni jure condemnatum, peccátque graviter in DEUM & Rempublicam. Accedit, quòd patrinorum præsentia pugiles animet ad pugnam seriam, fortè aliàs cessaturos ante datum vulnus. Ob similem causam in spectatores duelli lata est excommunicatio, id quod est extra dubium: ergo etiam, & multo magis lata est in patrinos: malè hi agerent, quamvis non nisi spectatoris noxam admitterent.

39. Unde etiam facilè abstergitur fucus Theologicus, & concidunt tria suprà allata Capita, ex quibus cohonestari ea *cooperatio* videbatur. 1mò enim opera, quam navat patrinus, indifferens non est; unicè enim duello est sacrata & dedicata. Aliud est de opera artificis, qui gladium fabricavit, & vendidit, pòst duello adhibitum; gladius aliis etiam usibus factus, & aptus est.

2dò. *Neque ex bona intentione, aut rationabili causa* patrinus assistit. *Malum*, ais, *sic fiet minore cum periculo & damno.* At operam suam omnino neget, & malum omnino evitabitur, dum cessabit duellorum usus, vel saltem frequentia. Non nego, rixas nihilominus non cessaturas; at huc non pertinent rixæ, ubi de solo duello est sermo.

Neque 3tiò patrino favet, quòd duellum jam impedire non potuerit. Dixi utique, impeditum iri duellorum usum, si patrinum agere pro sua quilibet conscientia recuset. Quid? quòd etiam tenearis impedire, ne scilicet tum monomachis, tum etiam Reipublicæ mala gravissima ex ea corruptela eveniant. Neque credas, cauponem ex hoc solo argumento à peccato excusari, quòd sciat *alios carnem apposituros:* sed ideo juxta doctrinam eorum, qui eum excusatum volunt, quòd hoc modo ipse notabile damnum esset passurus, dum paulatim nemo ad eum veniret (a).



(a) Vid. *Sanchez* L. 1. Mor. c. 7. n. 16.

Edic autem ſodes, quodnam damnum imminet patrino, ſi id officii detrectet? denique eò tenderet apologia pro hodiernis patrinis, ut etiam patrini duelli Judicialis, aut alterius ſolemnis à noxa deberent abſolvi, ita, ut ſi hodie Principum quiſquam refragante licèt conſcientia, ejusmodi duellum permitteret, huic patrinos ſe addicere poſſent, ſi qui vellent, quin in Leges Divinas, humanáſque peccarent, quod profectò à recta ratione & Doctorum omnium judicio eſt quàm alieniſſimum.

Firmet hæc omnia prudentiſſimi Regis Galliæ Ludovici XIV. ſententia, pronuntiantis, patrinos ejusmodi malè implere viri honeſti & Chriſtiani partes, dum, quas tricas ſopire debebant, viis his, à vera magnanimitate alienis, promovent, ſpurium amicis ſuis præſtantes obſequium (a).

## §. III.

41. *Internuncius.* 42. *Adjutores cæteri.*

41. POſt principales perſonas, ſinè quibus duellum vel eſſe non poteſt, vel non eſſe facilè ſolet, recenſere oportet etiam alias minùs neceſſarias. Offert ſe primo conſpectu *Internuncius*, qui chartam ſeu libellum provocatorium ei affert, quem provocans ad pugnam depoſcit. Vile hoc hominum genus eſt, & abhorrent ab hoc officio, quibus nobilior eſt animus.

Commerito hos internuncios encomio mactavit Augustus Dux Brunswico-Luneburgicus (b), dum eos appellare non dubitavit *homines malos ac diabolicos.* Pœnas, in eos ſtatutas tam jure Civili, quàm Eccleſiaſtico, recenſebimus Cap. 8. & 9. Interim etiam illos pro internunciis reputandos eſſe cenſeo, qui ſermone referunt, quod ſcribere provocans omiſit. Quin & illos, qui juſſi, vel rogati chartam ad alterum perferunt, ſcommatis adeò malè ſonantem, ut inde duellum ſecuturum haud difficili conjectura præſentiant. Et hunc fimum qui vehunt, eos omnium maximè contemptu dignos exiſtimant prudentes.

42. Minoris notæ ſunt perſonæ reliquæ, quæ quidem ipſæ operi manum non admovent: *indirectè* tamen, ùt dicimus, promovent. Omnes hujus furfuris diſtinctè admodum enumerat Conſtitutio Clementis VIII. quam illu-

(a) Edict. an. 1679. n. 15. (b) Edict. an. 1646.

illustratam dabimus Cap. 8. Interim notos tibi habeto ex celebratis illis versiculis, quos legere est apud D. THOMAM (a)

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*
*Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

## §. IV.

43. *In duello solemni Judex.* 44. *Procurator.*

43. IN duello solemni præter eas personas, quas privato jam dedimus, memorandi adhuc veniunt *Judex* & *Procurator.* Judicis erat primò quidem locum securum, quem *campum francum* vocant, intra ditionem suam pugnantibus designare, id quod non nisi supremæ potestati competere poterat (b). Dein assistere debebat is Judex pugnæ, vel alii id officii demandare, atque ea finita pronunciare, penes quam partem stetisset victoria, ut hac ratione legem atque ordinem acciperent negotia, & causæ, quas ex hac victoria dependere, ac duello definire pugiles volebant.

44. Accedit etiam *Procurator* (campionem dixêre). Mirum! *in criminalibus causis*, ajunt antiquæ leges (c), *nec accusator, nisi per se, aliquem accusare potest: nec accusatus per aliam personam se defendere permittitur*; æquitati namque repugnat, ut innocens procurator, si causa fortè cadat, ferat pœnam illi debitam, cujus ipse personam in judicio sustinuit.

Ideo etiam more hodierno actor per procuratorem agere non permittitur, nisi in iis tribunalibus, ubi pœna talionis abrogata est: sed ecce absona in materia duelli dogmata; per hæc licebat olim in duello sibi substituere alium, præcipuè dum de crimine probando agebatur, qui causam armis dirimeret. *Licebat*, inquam; nam adstringi ad id nemo poterat, qui ex æquo impedimentum afferebat, quo minus ipsus compareret; quia, cui jure *exceptio dilatoria* competit, is non cogitur per Procuratorem litigare; cur enim provocatus honorem suum salutémque alienæ fidei & dexteritati committeret? neque tamen hæc æquitas ubique gentium sedem fixerat; teste namque ALCIATO (d) Lege Langobarda, & Siculorum usu cau-



(a) 2. 2. q. 62. art. 7. (b) *Gonzal.* ad cap. 2. de Cler. pugnant. (c) Can. 2. Caus. 5. q. 3. (d) De singul. cert. cap. 35.

cautum erat, ut provocatus per vicarium pugnaret, si ipsus esset impeditus, vel provocantem sibi imparem crederet, vel causam similem obtenderet, ne scilicet (hem! ponderosam rationem) dilata pugna, delicta viderentur impunè abire. Sed demus veniam ætati illi, quæ saltem in eo humanitati consuluit, quòd Procuratorem non admitteret, qui in alia monomachia herbam porrexisset.

Illud mirari liceat, quòd reperire fuerit mercenarios, qui sanguinem vitámque venalem exponere non dubitabant, nullo adstricti vinculo, sola allecti pecunia. Sed nempe

*Auri sacra fames quid non mortalia cogis*
*Pectora?*

## ARTICULUS III.

### *De causis, ob quas olim Duella commissa fuerunt.*

Cum ex instituto de illo maximè duello agere mens sit, quod pro vindicando honore solet suscipi hodierno more, de aliis veterum duellorum causis, non est, cur fusiùs agamus. Neque tamen penitus silentio prætereundæ sunt, cùm nexus doctrinæ subin aliquam de iis notitiam desideret. Dicendum igitur, quibus de causis, tum *intra*, tum *extra* judicium duella inire usitatum fuerit.

### §. I.

### De Duello extrajudiciali.

45. *Duellum extrajudiciale ostentationis causa olim usitatum*
46. *Improbatur.*
47. *Non minùs torneamenta periculosa.*
48. *Neque probatur duellum inter milites duorum exercituum,*
49. *Nisi prosit ad victoriam.*
50. *Ad finiendum bellum rectè initur,*
51. *Siquidem utilitas inde speretur.*
52. *Hinc refutatur Cajetanus,*
53. *Discutitur Grotius,*
54. *Ponderatur notatio Gobatiana.*
55. *Quis demùm in his pugnis victor censendus sit?*

45. Apud Græcos jam viguit duellorum usus, Alciato teste (a), inventúmque à Mantineis in Græcia, eo ex argumento constare, ait, quòd

(a) De singul. cert. c. 2.

quòd bellicum sagum, veterésque armaturas *Mantineas* appellent. Accedit, quòd etiam HOMERUS non uno in loco duelli meminerit, núncque Menelaum cum Paride pro Helena singulari certamine coram utroque exercitu pugnantem inducat: nunc Hectorem cum Ajace: VIRGILIÚSque Æneida suam concluserit nece Turni, congressi cum Ænea pro uxore Lavinia.

Græcos æmulati sunt Romani, dum gladiatores suos habuêre, venali sanguine in arena decertantes, quos magistri & institutores, quibus *Lanistarum* nomen, ex servis & libertis legebant. Eorum genera quatuor, Retiarii, Secutores, Mirmillones, Hoplomachi. Ludis funebribus committi solebant, quòd sic Manes Deos placari persuasum haberent. Tum ea potissimùm causa inducti sunt, ut hoc spectaculo firmati tyrones cruentum hostem minùs expavescerent.

Accidebat plerumque, ut in hoc munere etiam liberæ conditionis viri nomen darent, specimen virtutis edituri. Sed tandem Romanos cruenti hujus spectaculi satietas cepit (a), gladiatores Quiritum jure, & edicto Prætoris infamia notati sunt, donec THEODOSII Constitutione sint penitùs Republica ejecti. De his speciatim agit Lex Constantiniana (b) his verbis: *Cruenta spectacula in otio civili, & domestica quiete non placent: quapropter omnes gladiatores esse prohibemus.*

46. Ejusmodi pugnas, solius roboris ostentandi causa initas, ex æquo damnat Joannes de LIGNANO (c), inter antiquissimos, qui de duello scripsêre, Authores. " Ait introductas quidem esse jure naturæ, ùt " sumitur hoc jus pro instinctu naturæ, proveniente ex sensualitate, eo " quòd naturaliter quis moveatur ad duellandum in spectaculo ad finem " gloriæ consequendæ: esse tamen inhibitas jure naturali sumpto pro na- " turali intelligentia. „ Mox verò non abs re sibimet objicit, quòd si hoc duellum æquitate naturali vetitum est, quî fieri potuit, ut lege Civili vetere permissum fuerit unquam? Extant enim in lege quadam (d) hæc verba: *Si quis in colluctatione, vel in pancratio, vel pugiles, dum inter se exercentur, alius alium occiderit, siquidem in publico certamine occiderit, cessat Aquilia; quia gloriæ causa & virtutis, non injuriæ gratia, videtur*

 *damnum*

(a) *Alciat.* ibid. (b) L. un. C. de gladiat. (c) In Tract. de duell. (d) L. Qua actione ff. ad Legem Aquil.

*damnum datum.* Respondet mentem Legislatoris eam fuisse, ut pœna remitteretur occidenti. Igitur pugnam illam olim fuisse permissam sola permissione *remissiva pœnæ ;* eo quòd non injuriæ gratia damnum videatur datum.

47. Solent, qui de duellis scripsêre, huc etiam referre Hastiludia seu torneamenta, quæ duella ludicra appellantur. At cùm omne duellum sit bellum ; bellico autem seu hostili animo non congrediantur, qui in his ludis decertant, duellum propriè dictum non sunt censendi committere. Accidit equidem jam non semel, ut pugilum unus infelici eventu occubuerit, uti Henricus ii. Galliæ Rex, quem Mongomerius, cohortis prætorianæ præfectus, transfixo dextero oculo vel invitus prostravit, festivum Hymenæum funestante Libitina ; utut autem periculosæ sint ejusmodi pugnæ, hostiles tamen non sunt, ideóque nec ad duella propriè referendæ. Id certum, quòd temerarios hos ludos potestate Principum coërcere, atque abolere oporteat, ùt pridem monuit Panormitanus (a): *Omnes ludos, in quibus periclitatur hominis salus, aut animarum, omnino tollendos esse, quòd pugnent cum verbo Dei.* Præcipuè cùm exercitationis hujus jam nulla ferme ad bellum utilitas sit; utpote cujus gerendi ratio plurimùm immutata est inde ab Henrico Aucupe, quem torneamentorum authorem extitisse tradunt. Jure sane Ecclesiastico hi ludi dicuntur *detestabiles nundinæ seu feriæ* (b), & occisus privatur Ecclesiastica sepultura. Unde Doctores colligunt, ejusmodi interfectorem ex L. Cornel. etiam ad subeundam homicidii pœnam esse condemnandum.

48. Aliud, quod *extra judicium* suscipitur, duellum militiæ locum habet, ubi ex utraque parte adversâ duo, vel plures, & quidem authoritate Ducum, committuntur, qui singulare certamen ineant, in quo nobis non tam pugilum numerus, quàm causa consideranda est ; vel enim ostentandæ virtutis causa id agitur? vel ut bellum resolvatur in duellum, & sic parcatur humano sanguini? si primum, errant Principes, ùt tenet Cajetanus (c), " Concedentes quasi spectaculi causa, cùm in bellis sunt, cer„ tamina quasi singularia, puta, decem hinc, & decem illinc ad osten„ tationem virorum fortium. Diabolica sunt hæc, & sicut duella judi„ canda

(a) In C. felicis. de torneam. (b) C. 1. De torneament. (c) In 2. 2. Q. 95. Art. 8.

canda eadem ratione. Nec excusat eos tempus belli & conflictus partia- " lis hostium cum hostibus; quoniam justi causa belli in partiali hoc con- " flictu locum non habet; quia habens bellum justum ùt sic ad ostenta- " tionem non pugnat. „ Eandem sententiam tenet SCHIARA (a), aliíque. Et bene; ùt ex eo maximè patet, quòd vita horum pugilum temerè exponatur discrimini; quid enim utilitatis ex inani gloria sperare liceat? Nec excusat accedens Ducum licentia aut exhortatio; neque enim ipsis licet invitare, aut facultatem dare ad inutilem necem virorum fortium. Ad Theodosii Imperatoris exemplum deberent animum advertere, qui populo, petenti gladiatores in theatro, respondit: pium Principem oportere non tantùm regnare, sed etiam spectare clementer.

Si de pœnis, in hæc certamina statutis, quæratur, BONACINA equidem etiam docet vetitas esse has pugnas: pœnas tamen Ecclesiasticas, in duella generatim statutas, ad easdem extendere veretur (b). Ego autem non satis perspicio, cur ab iis pœnis immunes sint; duellum enim propriè appellare licet ejusmodi conflictum; cùm sit singulare certamen ex condicto, loco & tempore statuto initum; quamvis decem omnino, aut etiam plures hinc atque inde concurrant; non enim duellum quasi pugna *duorum hominum*: sed quasi *duarum partium* bellum dicitur, teste GONZALEZ (c). Authoritas publica frustra impenditur actui lege divina prohibito. Nunquid etiam duella, judicialia quæ dicimus, simili olim authoritate tegebantur? nec tamen sub hac lauro à fulmine Pontificio secura credebantur.

*Oppones* fortè, CLEMENTEM VIII. in Bulla sua (d) eos solùm pœnis Ecclesiasticis ferire, qui contra alios in adversariorum exercitu milites, permissu Ducum ad singulare certamen descendunt, *privatas simultates, & inimicitias publicæ causæ intermiscendo:* ergo qui ab hoc sibi cavent, ne scilicet privatas simultates & inimicitias publicæ causæ intermisceant, non puniuntur à Pontifice, modò Ducum permissio accesserit; nam communis Doctorum apud PANORMITANUM (e) docet: *argumentum à contrario semper esse validum, quando verbum ponitur causativè, nisi reperiatur in jure expressum*

(a) Theol. bell. L. 2. diff. 12. (b) De excomm. part. extra Bull. Cœn. disp. 2. q. 3.
(c) Tit. de Cleric. pugnant. in duell. (d) *Illius vices.* §. Idem quoque.
(e) In Cap. publicato. n. 6. de Elect.

*ſum contrarium.* Cùm ergo puniantur, quia immiſcuerunt privatas ſimultates: non puniuntur, ſi non immiſceant. *Reſp.* id neutiquam evinci: vel pro eo ſolùm caſu valiturum, quo cauſa publica ſimul eſt juſta. Jam verò *juſta* cauſa non eſt nuda oſtentatio virium. Imo hæc cauſa reprobata eſt à legibus, ùt ſupra vidimus: ergo regula, ex Panormitano adducta, nil prodeſt ad præſentem caſum.

Quòdſi tamen fingatur, quòd particularis hæc pugna ad prælii, aut belli ſucceſſum momenti quidpiam conferre poſſit, ùt olim contulit pugna Davidis cum Goliatho, ajo, ſi caſus ita ferat, ùt Monomachia prælii, aut belli fortunam poſt ſe tractura judicetur, licere eo jure monomachiam inire, quo prælium. Hunc in ſenſum docet P. Schmalzgrueber: (a) *licitum eſſe militibus acceptare ſingulare certamen ſibi oblatum ab hoſtibus, ſi periculum eſt, ne duello non acceptato, exercitus bonam exiſtimationem amittat apud hoſtes, & iſti animoſiores reddantur...* idque etiam verum eſſe, *etſi hoſtis duellum obtuliſſet cauſa ſolius ſpectaculi, vel oſtentationis.* Liberalior adhuc eſt P. Wiestner (b), *in bello*, inquiens, *licitè acceptantur, & offeruntur ſingulares pugnæ unius, vel plurium militum cum totidem adverſæ partis, quando id ad frangendos hoſtium animos, & milites ad cupiditatem, ac ſpem victoriæ erigendos neceſſarium, ac utile eſſe, judicatur.* Affert pro ſe Suarium (c) & Becanum (d).

50. Altera duelli hujus cauſa, dum ſcilicet bellum in duellum reſolvitur, magis probatur prudentibus quibusdam rerum arbitris, ſive dein rei ſumma committatur quibusdam militum, ſive ipſis Principibus placeat diſcrimen ſubire, & ſaluti ſubditorum proprium devovere caput, modò paciſcantur de finiendo bello, quiscunque duelli ſit futurus exitus. Alciatus totus eſt in commendando hoc conſilio (e). " Principes ipſos, ait, „ de regno ambigentes, contentiones ſuas hoc modo finire jus fásque eſt; „ cùm enim bellum non niſi maxima humani generis calamitate invehatur, quid juſtius excogitari poteſt, quàm ut, tanta noxa è medio ſublata, hi potiſſimùm ſoli armis decernant, ad quos ea res pertinet, victorém-

(a) Tit. de Cleric. pugnant. &c. n. 8. (b) Eod. Tit. n. 4. (c) Diſput. 13. de bello. S. ult. n. 9. (d) De Fide, cap. 26. q. 1. n. 3. (e) De ſingul. cert. c. 3.

ctorémque res sequatur? Extant hujus rei apud veteres exempla, quo- "
rum Caroli Andegavensis, & Petri Arragonensis illud potissimum est, qui "
cùm de Insula Sicilia diu bellum gessissent, Martini Pontificis Romani, "
Collegiíque Cardinalis authoritate Burdegalæ in Aquitania armis con- "
currere pacti sunt, juréque jurando sanxerunt, uter victus esset, insula "
decedere, nec ampliùs de ea re controversiam facere. Memorabile est "
duorum fratrum, Hungariæ, quæ inferior est Pannonia, Regum; cùm "
enim instructo exercitu jam jam congressuri forent, periculúmque esset, "
ne in gentis internecionem certaretur, alter solus, intra fratris præsi- "
dia ingressus, ad eum se rectà deduci clara voce petiit, progressúsque: "
*Quid*, inquit, *Frater, opus est tot fortissimorum hominum sanguine al- "
terutri victoriam quærere? quin nos potiùs committimus manus?* atque "
hæc identidem inclamans hostem trucidavit, omnibus ejus audacia per- "
territis, & quia Regis frater erat, tela inhibentibus, sícque universa "
gens in victoris jus, atque ditionem pervenit. Rarissima tamen sunt "
hujusmodi exempla, & quæ vix ætatibus singulis proveniant; nam qui "
in Principum consilio sunt, alii socordiam, timorémque Domini obte- "
gentes, alii publicis malis locupletati, consulere solent, ne in apertum "
discrimen præceps eat, aut causam, quam optimam mentiuntur, fal- "
laci armorum judicio subjiciat; nec difficilis hac in re persuasió est. "
Sarmatæ tamen & Germani, apud quos plurimum plebs potest, ple- "
rumque Principes suos ad id adigunt, ut mutuo decernant, ipsi horum "
malorum securi, & aliud agentes. Pontificis itaque factum laudo, atque "
cæteris imitandum censeo. „ Ita ALCIATUS Mediolanensis, qui postquam in Gallia & Italia docendo floruit, diem supremum obiit anno M. D. L.

Doctrina hæc Alciati placet etiam quibusdam recentioribus Theologis. SCHIARA (a) firmat eam effato quodam Concilii Toletani (b) dicentis: *Duo mala, licèt sint omnino cautissimè præcavenda, tamen si periculi necessitas ex his unum perpetrare compulerit, id debemus resolvere, quod minori nexu noscitur obligare. Quid autem ex his levius, quid gravius, pura rationis acumine investigamus.* Idem arguit ex alia quadam lege (c).

 Jam

(a) Theol. bell. L. 1. diff. 21. (b) Ex cap. duo mala, dist. 13. (c) Cap. quod David. XXII. quæst. 4.

Jam autem quis neſcit, duellum minus malum eſſe bello publico? quando autem juſta cauſa dat facultatem gerendi bellum, cur non etiam, imò cur non potiùs det facultatem ad duellum, quo bellum vel præpediatur, vel finiatur?

51. Id tamen anteà tam parti provocanti, quàm provocatæ ſedulò perpendendum, an ſcilicet mutando bellum in duellum rebus ſuis conſulant. Et imò quidem, ſi qua pars, conſideratis ſuis viribus, prævideat ſe in bello ſuccubituram potentiori, gratuletur ſibi, ſi duello dubio perniciem nimiùm probabilem amoliri concedatur. Licebit, imò oportebit hanc aleam tentare; uti dictat ratio, quam paſſim ſequuntur Authores (a). Quòd ſi econtra Princeps, conferendo ſuas cum hoſtium viribus, polliceri ſibi poſſit proſperum prælii, aut belli exitum, tunc incertæ unius duelli aleæ utique committere non decebit ſuam, & patriæ ſalutem. Sed fingamus jam 3tiò, æqualem ſpem, metúmve obverſari de belli, aut prælii ſucceſſu, an etiam tunc ad duellum *æquè dubium* deſcendere liceat, in controverſiam deducitur.

52. Cajetanus (b) videtur id negare tam in bello vindicativo, ſeu *offenſivo*, quod dicimus, quàm *defenſivo*. Argumentum audiamus. „ Tunc tantùm duellum eſt licitum ad talem finem (ſcilicet ad terminandas lites & contentiones) quando habet rationem juſti belli. Bellum „ juſtum aut eſt vindicativum, aut defenſivum. Si vindicativum, hoc „ eſt, quando indicitur ad vindicandam injuriam, illatam patriæ, indi- „ cens bellum, gerit perſonam Judicis, utpote utens publico gladio con- „ tra extraneos impugnatores Reipublicæ. Hujusmodi autem Judex & „ vindex fungitur perſona & officio agentis : agens autem debet ſuper- „ excedere patiens, ut poſſit illud ſubjicere ſibi: & propterea non debet „ ejusmodi bellum, niſi à potentiori indici, & ſic potentiori, ut, licèt „ varius ſit eventus belli, humana tamen ratione quaſi certa ſit victoria, „ aut ſaltem non ſuccumbere, quemadmodum Judex contra internos pa- „ cis perturbatores non procedit, niſi habens tot ſatellites, ut ſit quaſi „ certus, quòd capiat malefactores. Hoc autem in duello ſervari non po-

(a) *Peregrin.* de duello quæſt. 16. *Valentia* tom. 3. diſput. 3. q. 17. *Navarr.* in Manual. c. 11. (b) In 2. 2. q. 95. art. 8.

potest; quia in singulari certamine aut par est utriusque conditio, aut " uni facilè possunt accidere in illo actu aliqua, quæ fortiorem facient " succumbere. Et propter hanc rationem, quamvis bellum aliquando in- " dicere sit licitum; indicere tamen duellum nunquam est licitum. „

At ego parùm moror, quæ de *excessu agentis supra passum* allata sunt, veteris Philosophiæ axiomata. Id verissimum, quòd pars, læso jure suo, sanè temerè bellum vindex inchoaret, nisi solidam de prospero successu spem conciperet; patriam enim decumanis malis exponeret, ex infelici bello profecturis. Fingamus autem, parti læsæ tantas vires non esse, nec prævideri facilè unquam adventuras, per quas prævalituram se credat in bello publico: an causam non liceat decidere indicto duello, sícque jus suum sibi vindicare, siquidem tamen pars adversa consentiat? certè ex hoc duello, utcunque succedat, ea mala non pullulabunt, quæ ex bello, minùs prosperè gerendo, oritura timentur. Dein fingamus, partem læsam incepisse quidem bellum cum opinione probabiliore de obtinenda victoria, eò tamen jam fuisse attritam, ut dubio omninò Marte certare debeat, quid, rogo, oberit, quo minùs ex angustiis se expediat duelli compendio? Nec validiora sunt ea, quæ CAJETANUS contra duellum, pro finiendo bello *defensivo*, suscipiendum affert. " Si bellum justum est de- " fensivum, inquit, prout patria aliqua indictum sibi bellum oportet susti- " nere, aut succumbere, tunc suscipiens bellum gerit personam ac offi- " cium resistentis, & propulsantis injuriam. Et ideò oportet tunc imi- " tari res naturales, quæ, quantùm possunt, resistunt contrariis suis, & " debet in hujusmodi bello fortificari virtus resistiva, quantum potest: " hoc autem non fieret in duello; quia dum unus solus ponitur ad resi- " stendum uni, nimìs debiliter consulitur huic defensioni. „ Hæc quoque tunc tantùm valebunt, ubi ad defensionem tantæ suppetant copiæ, & armorum vis, ut victoria certiùs ex justo prælio, aut bello continuando, quàm ex duello sperari possit. In tali rerum statu utique nemo prudens volet remedium arripere incertum præ certiore; adeóque cessat quæstio, ibi solùm habens locum, ubi æqualis pro duelli & belli successu stat incertitudo. In ejusmodi rerum statu existimo, pondus habere ea, quæ antea ex ALCIATO, & aliis retulimus: ita tamen, ut, si non solius Principis, sed etiam populi salus in tali conflictu versetur, hujus quoque consensus exquiratur.

 53. Quæ-

53. Quæſtionem hanc eandem, quam Hugo Grotius valde agitatam dicit, ipſus quoque agitat (a); exiſtimat autem, ſolo Jure Gentium ea duella permitti: vetari in conſcientia. Tota ratio in eo eſt, quòd vita à Deo data prodigatur, ſalus innocentium periclitetur, & juſtitia cauſæ ex incerto duelli exitu quæratur. Argumenti hujus debilitatem, quæ ſua ſponte eluceſcit, oſtendit Herzius (b). Addit, ſententiam Grotii tum habere ſuum pretium, ubi bellum contra barbaros, Chriſtiani nominis hoſtes, geritur, & regio non tantùm, verùm etiam religio ancipiti aleæ per duellum committeretur. Hæc cùm ſit cauſa Dei, cunctæ vires humanæ exercendæ ſunt, locata ſpe firma in Dei auxilio. Sed & ipſe Grotius exceptionem ſuæ regulæ ſtatuit, pro eo tamen unico caſu, ſi alioquin exſpectandum ſit, ut, qui injuſtam cauſam fovet, victor ſit futurus. Notat inſuper (c): " qui ſic in duelli exitum conjiciunt controverſiam, ſibi quidem „ jus, quod habent, adimere poſſunt, non etiam alteri, qui non habet, „ dare, in illis quidem regnis, quæ in patrimonio ſunt. Itaque ut valeat „ pactio, etiam populi, &, ſi qui jam nati jus habent ad ſucceſſionem, „ conſenſum neceſſe eſt accedere, in feudis non liberis etiam Domini ſive „ ſenioris. „ Hæc Grotius circa quæſtionem hanc *valde agitatam.*

54. Quam ultrà agitare ſupervacaneum duco, ſi de duello, ab ipſis Principibus quidem ineundo ſermo ſit, dum ad notationem Patris Gobat (d) animum applico. Acutè hic Author dijudicat id, quod Masenius (e) narrat de Francisco I. Galliarum Rege, hunc ſcilicet, ut creſcentibus in dies diſcordiis finis imponeretur, Carolo V. Imperatori, ad ſingulare certamen provocanti, hæc inter alia reſcripſiſſe: Quid verbis armíſque inter tot hominum exitia contendimus? noſtro duorum, ad quem me provocabas, gladio hanc litem dirimamus, duellóque, quod poſtulas, experiamur, utri cauſa, & æquitas faveat, huic locum tempúſque deſigna. " Hæc Masenius, inquit Gobat, ego autem ad quæſtio- „ nem perquam ancipitem reſpondeo, ignorari à me, utrùm illam pro- „ vocationem & acceptationem duelli illorum duorum ſummorum, verè „ fortiſſimorum Monarcharum veſtiverint omnes omnino circumſtantiæ, quæ

(a) J. B. P. L. 3. c. 20. §. 43. (b) De Fide pacta. cap. 2. §. 3. n. 38. (c) Loco cit. §. 44. (d) Theol. experim. Tract. 7. caſ. 18. (e) Anima Hiſt. c. 4. n. 266.

quæ rem in abstracto, & per se licitam, efficerent etiam in concreto, " seu, ùt loquimur, hìc & nunc licitam: & ea etiam ex causa non defi- " nio; quòd expendens ingenia tam Gallorum, quàm Hispanorum, exi- " stimem, haud quaquam futurum fuisse, ut alterutro occiso rediret, fir- " maretúrque alma pax. Quòd si voluerint illi Reges, ùt verba FRAN- " CISCI videntur innuere, cognoscere ex alterutrius nece, uter eorum justo " titulo bellum gereret, tunc sanè jam pridem NICOLAUS Papa tulit senten- " tiam (a); etenim tentâssent DEUM. Malo tamen illam Regis sententiam " interpretari in religiosiorem partem. „ Utique non abs re timet GOBAT, ne, occiso alterutro Rege, bello finis non fuisset impositus. Fortè exarsissent acriùs odia, stimulatura ad vindicandum sanguinem regium exacerbatos animos, nulla pactorum præviorum religione satìs continendos. Id adhuc noto: siquidem periculum subesset, ne extincto per duellum Principe, de Jure succedendi lis, & inde turbæ intestinæ orirentur, consultiùs ejusmodi duello abstineretur.

55. Quæri denique potest, quis in ejusmodi duellis pro victore sit habendus? Respondet GROTIUS (b), & clariùs PUFFENDORFF (c): " Si " inter duos pugnetur, ille victor erit, qui adversarium occiderit, aut ita " debilitaverit & oppresserit, ut victum se ipse fateatur, sicut egit Tur- " nus graviter saucius (d). Ubi plures pugnant, illa pars victrix erit, " quæ adversarios occiderit, aut fugatos ita debilitaverit, ut resistere am- " pliùs nequeant. Qui loco cessit post conflictum, in dubio magìs est, ut " fugisse credatur. Quòd si apud neutram partem sint certa victoriæ in- " dicia, res manet eo loco, quo fuit ante conflictum, & ad bellum, " aut novas pactiones erit redeundum. „

## §. II.

### De Duello Judiciali.

56. *Duellum Judiciale, quod apud varias gentes,*

57. *Etiam apud Germanos erat usitatum,*



58. *Quin*

(a) Cap. Monomachiam. II. q. 5. (b) L. 3. c. 20. §. 45. (c) De J. N. L. 8. c. 8. §. 5. (d) Æneid. 12.

58. *Quin Sanctionibus firmatum,*
59. *Ad ipsos Clericos & mulieres extensum,*
60. *Est ratio inepta finiendi lites,*
61. *Vel superstitiosa:*
62. *Fors tamen in casu raro licita.*

56. Duellum *Judiciale*, quod suprà N. 21. definivimus, ita declarat ALCIATUS (a): " Quamvis Jure Civili & Pontificio duellum pro„ hibeatur, quibusdam tamen Gentium moribus receptum fuit, ex qui„ bus vetustissimi Longobardi, quoties coram Judice integra probatione „ destitutus quisquam esset, & aliquid, ad plenam intentionis fidem Præ„ tori faciendam, deesset, duellum multis casibus concedebant; dum ta„ men, qui rem pugna decidi optabat, jurejurando sanxisset, non dolo „ malo, nec calumniæ causa eò confugere: sed quia aliter quàm Divino „ judicio rei gestæ veritas erui non posset. „ Tum recitat novendecim omnino casus, in quibus, vi legis Longobardicæ, ad cruentum hoc deficientis justitiæ supplementum fas erat recurrere.

Longobardicus mos universam Italiam inundavit, tenuítque per plura sæcula. Poëtæ, Jurisperiti, quin & nonnulli hujus gentis Theologi statuêre certas duello leges, per Academicas passim concertationes ventilatas. Multa cum laude & eruditionis abundantia veterem hanc caliginem peragravit Marchio SCIPIO MAFFEI (b). Alias quoque gentes idem error abduxerat, dum scilicet Jus etiamnum squallebat confusa caligine, & Leges vel nondum erant conditæ, vel ignoratæ; unde tritum illud invaluit:

*Si non sufficiunt Jura, veniamus ad arma.*

Meminit ALCIATUS de Gallica lege, condita à PHILIPPO Pulchro, & ALCIATI etiamnum ætate observata, qua sancitum erat, ut, siquis occulti criminis, capitalísque reus sit, atque ita de eo constet, ut quæstioni subjici possit, condemnari non possit, is arbitratu accusatoris duello experiatur.

Pugnas ejusmodi plurimas non sine elogio legere est præcipuè apud DU CANGE. (c) Id tamen laudi dandum genti Gallicæ, quòd præ aliis tollendo

(a) De cert. sing. cap. 3. (b) Della Scienza chiamata cavallaresca. L. 3.
(c) Glossar. med. & inf. Latin. V. Duellum.

lendo cuicunque duello ultimis temporibus laborârit. Anglos suos SELDENUS (a) ab hoc delirio immunes extitisse ante Normannorum invasionem defendit, cui autem contradicit BASNAGIUS (b).

57. Quid de veteribus Germanis dicam? narrat AVENTINUS, senatum populúmque Bojcum unà cum Sacerdotibus DEUM publica voce invocâsse, ut certamini adesset judex omnium æquissimus, & litem pro æquitate dirimeret. (c) Præterea testis locupletissimus sit nobis CHRISTOPHORUS LEHMANUS, quo nemo rerum Germanicarum facilè fuit peritior. Hic testatur, (d) quòd, siquis innocentiam suam contra accusatorem per testes satis demonstrare vel non potuerit, vel non voluerit, id reliquum habuerit, ut pugna publica ab accusatione se purgaret: usúmque duelli apud veteres Francos etiam post suscepta Christiana Sacra ita invaluisse, ut ad lites levis cujusque momenti decidendas sanguinarium hoc consilium arripuerint, justitiam & innocentiam heteroclita hac ratione in apricum protracturi, quasi verò viribus debilior semper debiliorem quoque causam haberet.

Et quod mirêre, non solùm dubiæ quæstiones *facti*, sed & *juris* duellis illis decisas fuisse legimus. Ejus rei insigne exemplum idem author affert (e). Disceptabatur, imperante OTHONE, multa cum contentione, an demortuo patre superstites filii ac filiæ solæ, vel unà cum his etiam unius fortè ante patrem defuncti filii aut filiæ superstites liberi ad capienda bona hæreditaria essent admittendi *in stirpes* saltem, ùt loquimur, si non *in capita*. Visum erat compluribus, excludendos esse hos nepotes ab hæreditate avi. Contrà sentiebant alii. Hinc emergente casu multum quandoque sanguinis fusum est, donec OTHO in pagum, Strela dictum, selectos arbitros convocavit, qui re seriò discussa, in eam tandem concessère sententiam, jus fásque postulare, ut illi quoque nepotes ad adeundam hæreditatem admitterentur. Non displicuit OTHONI, & Imperii Proceribus sententia: visum tamen est eis, æquitatem etiam duello examinare, veluti argumento, ùt credebant, minimè fallaci. Quare delecti Equites invitantur, qui in arenam descenderent, in duas turmas divisi. Harum una tuebatur latam illam ab arbitris sententiam, oppugnante altera. Pugnatum est, &, victoria re-

lata

(a) De Duell. c. 6. (b) Reflexions sur les Duels. c. 4. §. 14. (c) Annal. Boic. L. 4. c. 14. (d) L. 2. Chron. Spir. c. 30. (e) L. 5. Chron. Spir. c. 4.

lata à ſententiæ propugnatoribus, in legem Imperii receptum, ut etiam nepotibus pars ſua poſthac obveniret.

58. Cùm duellum non aliter, atque Ariadnæ filum in pretio eſſet, cujus ope è labyrintho emergeret perplexa Juſtitia, non mirum, quòd pro ejus conſervatione leges quoque ſummi imperantes condiderint. OTHO II. Imperator, teſte GONZALEZ (a), in Romaniola de Principum Italorum ſententia lege promulgata ſtatuit, ne deinceps in Italia controverſias *jurejurando* definiant propter perjuriorum multitudinem, ſed duello potiùs; (b) & tamen, teſte ALCIATO (vid. ſupra n. 56.) neceſſum eſſe ducebatur, qui rem pugna decidi petebat, *jurejurando* ſanciret, non dolo malo ſe eò confugere. Addidit OTHO (c), ut idem obſervaretur non ſolùm in laicorum, ſed etiam Eccleſiarum litibus. FRIDERICUS Imperator (d) ita ſtatuit: *Si quis hominem, intra pacem conſtitutum, occiderit, capitalem ſubeat ſententiam: niſi per duellum hoc probare poſſet, quòd vitam ſuam defendendo, illum occiderit.* Sileo integros libros ab antiquis conſcriptos, quibus ſolemnitates, formæ, ac jura duellorum diſcutiuntur uberrimè, ita ut hæc pugnandi ratio teſte BONAVENTURA GANERIO (e) ad formam *judicii contentioſi* redacta ſit. Si quis vel ſolum ALCIATUM legat, mirabitur, rem injuſtiſſimam multa cura ad juſtitiæ apices fuiſſe examinatam. Plura BASNAGIUS (f) commemorat hanc in rem.

59. Creſcet admiratio, dum legitur etiam ab iis obſervatum fuiſſe inhumanum hunc morem, à quibus obſervari omnium minimè debebat. Refert GONZALEZ (g) controverſias varias, quas Clerici olim duello diremerant, vel adhibita manu propria, vel per ſubſtitutos. Unde ad tollendum indecentem uſum procuſus eſt titulus iſte in libris Decretalium *de Clericis pugnantibus in duello*, carnificinam illam è Clero proſcribens. Quin ipſæ imbelles fœminæ, ad colum natæ, per procuratorem pugnare jubebantur, præſertim lege Grimoaldi, Longobardorum Regis, ubi adulterii ſuſpicionem incurrerant. (h)

60. Pau-

(a) Ad c. 2. de Cleric. pugn. (b) L. 2. Leg. Longob. Tit. 55. edit. *Lindenbrog.* (c) Leg. ult. ibid. quæ eſt Lex 11. *Ottonis II.* in Corp. Jur. Germ. antiq. col. 1271. (d) Feud. 2. Tit. 27. (e) Diſput. de Duell. th. 43. (f) Reflexions ſur les Duels c. 10. (g) In Tit. de Cleric. pugn. (h) Lib. 2. Leg. Longob. Tit. 55. l. 12. quæ eſt lex 7. *Grimoaldi. Baſnage* L. cit. c. 4. §. 11.

60. Pauca hæc lineamenta monstrosam judicialis duelli faciem adeò luculenter exprimunt, ut nisi rudibus illis sæculis incredibilis dominata fuisset inscitia squallentibus litteris, vel ipsa etiam ætas illa deformitatem palpare debuisset. Quid enim? ut stringam breviter: vel persuasum habebant Præsides duellorum, judices, singulari Numinis providentia ita temperandam fore pugnam, ut certò victura esset ea pars, quam sciret DEUS justam fovere causam? vel credebant, pugnam geri naturali prorsus robore ac dexteritate; sicque duellum adsciscebant, non tam ut justa causa triumpharet, quàm ut liti finis imponeretur? si hoc, tunc pessimè functi sunt officio judicis; hujus enim est non tam curare, ut lis finiatur, quàm ut finiatur secundùm jus & æquum. Quænam autem hæc æquitas, innocentem æquali cum nocente discrimini objicere? quænam æquitas, ex armorum successu de causæ justitia ferre sententiam, & eum, qui succubuit, quasi verè reum, gravi supplicio, imò vita mulctare? si in causa criminis liti finis quæritur, absolvatur reus, dum accusator in probando deficit. (a) Vel si quid valent accusatoris argumenta, quæstioni subjiciatur reus adhibitis tormentis, vel jusjurandum adhibeatur in subsidium. Fortè cum Othone II. perjuriorum multitudinem quis timet? perjurium timeamus, & non horreamus effusionem humani sanguinis? perjurium jurantis malitiæ imputabitur: econtra innocens effusus sanguis judici, cæcis armis committenti causam. Unde non immeritò ALCIATUS contra legem FRIDERICI, paulò antè recitatam, sic arguit (b): " Quis putaret hanc legem observandam, quæ à ratione naturali, publicáque utilitate penitùs aliena est? cùm enim de delicto non ambigatur, constétque occisum hominem, debet reus ipse exceptionem suam probare, quòd defensionis causâ fecerit; cùm adversùs eum sit legis præsumptio. Finge, neminem velle cum eo congredi, an jus vindictæ, quod ad Rempublicam pertinet, extinguetur? quàm absurdum, ut, qui injuriam sibi, vel alicui suorum factam, Judici indicavit, prosecutus est, probavit, rei arbitratu armis decernere compellatur, & malum malo addere. "



(a) C. L. 4. de edend. (b) De singul. cert. c. 3.

At id ego miror, quòd ALCIATUS legem Fridericianam improbet; illam tamen PHILIPPI Pulchri (vid. n. 56.) Constitutionem summa dicat æquitate niti. Quæ enim peregrina illa æquitas, quæ ad exsculpendam veritatem modum aptum, scilicet equulei cruciatus reiicit, electo alio prorsus inepto, Duello scilicet, in quo plerumque succumbit, non qui causa, sed qui arte & viribus inferior est? in causis civilibus, ubi quæstio juris oritur, consulatur recta ratio, hujus est dictare leges condendas, & conditas interpretari. Cur adhuc in duello quæsivit OTHO II. quod in prudentûm judicio jam invenerat? vel præponderat causa unius, majúsque pro se momentum habet? ergo adjudicetur ei victoria. Si utrinque lanx fluctuet in æquilibrio, urgeantur partes, ut amicè componant litem. Feræ ita lites dirimunt, ut idem sit causa & pugna vincere: hominibus id indignum judico.

§. 61. Nisi fortè credant, Numen intervenire, & singulari providentia moderari certamen, ne unquam vincatur, nisi is, qui causam iniquam sustinet. At hoc ubi scriptum, ubi revelatum exstat? quando, & cui promisit id DEUS? speramus, inquient, ita à DEO temperandum fore certamen, ferme sicut olim speraverant illi, qui sortibus satis frequenter sunt usi, testibus sacris paginis. At, quod ibi refertur, vel disponente Numine factum, ut fas est credere de sorte, quæ JONAM prodidit: vel ex expressa DEI lege, quali originem debet poculum Zelotypiæ (a). Ubi autem DEUS vel expressè mandavit, vel cui tacitè suggessit, ut intricata causa gladio decidatur in judicio? cúmque ad ejusmodi sortem recurratur absque ulla necessitate, crimen id est, quod ad DEI tentationem pertinere asserit D. THOMAS (b); unde etiam duellum sortibus vetitis annumerat.

Ex eadem causa sacri Canones cum reliquis *purgationibus vulgaribus* duellum proscripsêre. Et utinam non eventus jam sæpius docuisset, quàm inani spe se lactent, qui præter rerum ordinem justæ causæ adfuturos Superos autumant. Ejusmodi casum legimus in libro V. Decretalium (c), ubi quidam furti crimine accusati, cum accusatore coacti sunt inire duellum, in quo succubuerunt, eapropter per Consules Spoletanos bonis propriis spoliati: postea tamen furtum apud alios inventum, ipsíque innocentes reperti

(a) Numer. 25. v. 15. (b) 2. 2. q. 95. art. 8. (c) Cap. Significantibus. de purgat. vulgari.

perti sunt. Unde INNOCENTIUS III. Pontifex Consulibus dedit in mandatis, ut ablata restituant universa. Etiam LUITPRANDUS Rex Longobardorum iniquitatem hujus Monomachiæ bene agnoscens: *incerti sumus*, inquit (a), *de judicio DEI; & multos audivimus per pugnam sine justitia causam suam perdere: sed propter consuetudinem gentis nostræ, Longobardorum legem impiam vetare non possumus.* (b)

62. Ultima verba ansam præbent quærendi, an unquam Princeps, vel quiscunque supremam potestatem teneat, permittere sine piaculo vel potuerit, vel possit, ut ejusmodi duellis causæ dubiæ decidantur. Teste NICOLAO DE LYRA (c) docent quidam, Principes in omni casu peccare graviter concedendo duella: sibi tamen hoc videri durum; eoquòd S. LUDOVICUS Rex Franciæ, & CAROLUS M. & multi Prælati hoc sustinuerunt: & quia licitum est tolerare minùs mala, ut evitentur majora, quæ nisi duella fierent, evenirent, ùt vastationes, incendia, homicidia &c. Ponderatis his rationibus, suam subjungit mentem CAJETANUS (d) asserens, peccare Principes *concedendo*; non autem *permittendo* ex urgenti causa, sicut nec peccant *permittendo* usuras, & meretrices. Non discutiam ego, utrùm elapsa retro sæcula tot & tanta mala timere sibi debuissent, & quidem nulla alia ratione avertenda, ut duella, tanquam mala minora, potuerint absque piaculo *permittere*, vel etiam *concedere*. Pro hodierna ætate fusiùs hoc dubium ventilatum invenies Cap. IX. art. 3.

Illud absque difficultate concesserim, si quis rudi illo ævo id, quod certè suum erat, alia via consequi non potuisset, aut vitam contra accusatoris calumniam non defendere, nisi acceptando coram judice, vel etiam offerendo duellum, sine labe conscientiæ id facturum fuisse; quia licitum pro defensione sui, & rerum suarum pugnare, ait CAJETANUS ex NICOLAO DE LYRA. Idem admittit MOLINA (e), aliique. Nec movet, quod in contrarium obiiciunt Observationes selectæ Hallenses (f): " tutius scilicet esse " mortem etiam injustam pati, quàm cooperando participem se reddere " culpæ alienæ; cùm illa dimicatio imperetur non tanquam tutela incul- "

F 2 ,, pata,

(a) Inter Leges *Luitprandi* lib. 6. leg. 65. (b) Lib. 1. Leg. Longob. Tit. 9. de homicid. lib. hom. l. 23. (c) In Lib. 1. Reg. c. 17. (d) In 2.2. q. 95. art. 8. (e) De J. J. tom. 4. tr. 3. disp. 17. n. 7. (f) Tom. 9. observ. 5.

„ pata, ſed tanquam probandi medium. „ Contra eſt, quòd Judex non tanquam *medium probandi*, ſed tanquam medium *litem finiendi* dimicationem proponere poſſit. Dein, cur nequeat conſcientiæ labem à ſe amoliri dimicans publicè profitendo, ſe non *divinationis*, ſed *defenſionis* cauſa pugnam ſuſcipere? Sed mittamus iſta: gratulemur potiùs hodiernæ ætati, quæ, exorta plena Juriſprudentiæ luce, ad tenebras damnavit ſanguinarium illud deſperantis cerebri inventum,

## ARTICULUS IV.

### *Quid hodie circa Duellum uſus ferat?*

NOn ampliùs certatur hodie ex vana oſtentatione virium, nec gladiatores atroces in Circo ludos dant. Non eſt neceſſe per hæc ſpectacula militiæ parare pubem; neque enim in hodiernis præliis tantum valet lacertoſum corporis robur, quàm expedita pulveris nitrati tractatio. Neque ſingularia in bello certamina ineuntur, præcipuè à ſummis Principibus; pretioſior quippe horum vita habetur, quàm ut pro vita gregariorum militum diſcrimini committatur, ſperato effectu nihilominus fortè non ſecuturo, ob fluxam in ſervandis pactis fidem. *Vid. n.* 54. Lites, ubi de fortunæ bonis agitur, æquior hodie Aſtræa decidit, cujus Deæ Sacerdotes eò perpolierunt leges ac jura, ut magis optem, modum illis poni, quàm ultrà acui. Neque ſi quis, primæ etiam Nobilitatis vir, per tritam juris viam, quod ſuum eſt, quærit, propterea ab adverſario provocari ad duellum poteſt; niſi huic fortè mendacium, aut calumniam obiiciat. Si quid autem famæ, aut honori noxium illatum fuerit, id non niſi armis depelli, aut vindicari poſſe exiſtimant, vel exiſtimare debent reluctante intellectu, tum Nobiles, tum militiæ Duces prope omnes; non enim fruſtra ſe gladios geſtare exiſtimant, & ſoli ferro ineſſe autumant vim ſanandi tabem, quam afflâſſe audacior homo creditur. Itaque diſpiciendum 1mò, quid ſit honor, quibſisque modis violetur. 2dò. Quid circa modum vindicandi hodie moris ſit,

§. I.

## §. I.

## Quid ſit Honor, quibúſque modis violetur?

63. *Definitur bona exiſtimatio, fama, honor,*
64. *Infamia, contumelia, & hujus genera varia, tum gravia, tum levia.*
65. *Refellitur idea falſa honoris.*

63. Dicendum inprimis, quid ſit *bona exiſtimatio.* Eſt ea aliorum de noſtra perfectione judicium (a). Quales perfectiones cenſentur virtutes, vires, ſcientiæ, pulchritudo, nobilitas, opes, favor Principum &c. talia enim commendant hominem, & bonam de ipſo exiſtimationem cauſant (b). Quòd ſi hæc exiſtimatio plurium animis inſideat, *fama* dicitur; exiſtimationem enim unius ad ſummum *famam partialem* licebit dicere cum Card. de Lugo. (c) Cùm tamen *fama à fando* derivetur, tum primùm fama completa erit, ſi exiſtimatio concepta à pluribus non jam ſolo animo concluſa maneat, ſed & ſermocinatione diffundatur. (d) Et ita explicandum venit illud juris: *exiſtimatio*, ſeu fama, *eſt, dignitatis illæſæ ſtatus, legibus ac moribus comprobatus.* (e) Si jam bonam exiſtimationem ei, de quo concepimus, actione externa ſignificamus, ac teſtamur, honorem ei exhibemus: unde *honor dicitur teſtificatio excellentiæ alterius* (f), vel, ùt habet Molina (g): *eſt exhibitio alicujus rei velut in teſtimonium & recognitionem quamdam excellentiæ, quam habet ille, qui honoratur.* Si detur hoc teſtimonium verbo: *laus* erit; ſi laus claritudinem acquirat, in gloriam abibit; nam *gloria* eſt clara cum laude notitia. De actibus externis, quibus exiſtimationem monſtramus, rectè ait Illuſtris Wolfius, (h) eos variare moribus gentium.

64. Facilè jam colliges, quid ſit *infamia.* Eſt ſcilicet concepta à pluribus de vitiis alicujus opinio, ſive, ùt Molina definit (i), eſt læſio ſtatûs, dignitatis ſeu conditionis, perſonæ alicujus. Qui opinionem hanc ſuam, ſeu judicium



(a) *Wolf.* J. N. p. 1. §. 538. (b) *Lug.* de Juſt. D. 14. n. 2. (c) Ibid. n. 1.
(d) *Illſung.* T. 4. D. 3. n. 101. (e) L. 5. §. 1. ff de extraord. cognit.
(f) *S. Thom.* 2. 2. Q. 103. a. 1. ad 2. (g) De Juſt. Tom. 5. D. 1. n. 1.
(h) J. N. p. 1. §. 538. (i) Tom. V. D. 7. n. 4.

cium de alterius imperfectione actibus externis declarat, alterum *ignominia* afficere dicitur, seu *contumeliam* inferre. Dubitari posset, an etiam tunc contumeliam inferat, cùm verum de altero dicit. Edictum Marefchallorum Galliæ, editum contra duellum (a) videtur id negare: at crediderim, intelligendum esse, si quis verum dixerit loco, & modo decente; secùs etiam veritas in contumeliam accipietur. Dividitur autem contumelia (b) in *Convitium*, quo vitium, vel defectus etiam naturalis obiicitur alteri cum ejus dedecore. *Exprobrationem*, qua idem obiicitur præsenti in faciem. *Irrisionem*, qua quis præsens, vel absens obiicitur risui. *Illusionem*, qua quis obiicitur ludibrio quasi tacitè. *Subsannationem*, qua quis obiicitur risui per gestus, aliósve motus corporis (c). Denique *calumnia* erit sermo, quo alteri imputatur imperfectio, qua non laborat. Hæc omnia communi nomine *injuriæ* veniunt; quamvis enim *injuria generaliter dicatur omne id, quod non jure fit: specialiter contumelia à contemnendo dicta est.* (d)

Porrò si per dictum vel factum honor, vel fama leviter violatur, *injuria*, vel *contumelia levis*: si graviter, *gravis* aut omnino *atrox* vocatur. Levitas, aut gravitas ponderatur ex conditione personæ injuriam inferentis, aut patientis: ex ipsis verbis, aut factis: ex loco, modo, tempore &c. Cæterùm potest quis etiam injuria affici in personis sibi arctè conjunctis, vel in sua potestate constitutis. Sic qui injuriosè tractat alterius uxorem, sponsam, filiumfamilias, famulum &c. injuriam dicitur fecisse hero, patri, sponso, marito. Universè attendi debet ad id, quod usus fert, & mores diversarum nationum; nam ex his potissimùm desumendum est, quanta sit injuria, an duello elui debeat ex Monomachorum pseudo-legibus. Illud adhuc notandum venit, quòd propriè *injuria*, aut *contumelia* non detur, ubi honor & existimatio non læditur dolosè, hoc est, non ex intentione & animo lædendi. Hinc qui per jocum profert verbum, alteri injuriosum, vel inconsideratè, injuriam non facit. Sed circa jocos, ùt bene notat P. Pichler (e), notandum, valde circumspectos esse debere, qui iis vexant alios; sæpe enim contingit, ut jocis nimis

(a) An. 1643. n. 1. apud Lunig. (b) *Lugo* D. 14. Sect. 11. (c) Vid. *la Croix* L. 3. p. 2. n. 1223. (d) Pr. Instit. de Injur. (e) Ad Tit. de injur.

mis salsis, & facetiis non satis liberalibus, præsertim si in aliorum corona aut frequenter jaciantur, alter non immeritò offendatur.

Nec semper juvat dicere, joco id factum; sæpe promicat latens nequitia, & animus alterum confundendi. Hinc, ut duella evites, cautè jocare, nec nisi cum iis, quos familiarissimè nôsti: secus scabrosi fortè ingenii homo in serium nimis, & partem malignam trahet jocum tuum. Ex æquo autem tunc judicatur, seu præsumitur adfuisse *dolus*, seu animus inferendi contumeliam, seu injuriam, si verba vel facta (nam & factis infertur injuria, quæ dicitur *realis*) de se jam sint contumeliosa, vel probrosa; licèt quis protestetur, se non dicere, vel facere malo animo; cùm sit protestatio contraria facto, nisi videlicet sufficienter probet, abfuisse iniquum animum (a). Sicut vice versa, si verba, & facta de se non sint contumeliosa, vel probrosa, judicatur abfuisse animus lædendi. Et hæc est, quam hodie docti de honore definitionem statuunt.

65. Notat autem Marchio Maffeius (b), quòd Authores illi, qui de *Scientia Nobilium*, seu methodo vindicandi honorem bello privato, minùs solidè scripserunt, in definienda honoris idea non satis aptè quandoque loquantur. Vocant honorem bonorum omnium supremum, cui opes, amicitia, & ipsa vita sit postponenda; & ut tanto faciliùs fidem inveniant, *honorem* non raro confundunt cum *honesto*, de quo utique verissimum est, quòd ejus cura homini debeat esse prima. Adverti ego, quòd in hoc sensu hodierni quoque viri Nobiles, ac militares quandoque honorem accipiant, dum, quanti honorem suum faciant, multo cum ardore prædicant. At probè notandum venit, quòd *honestum* plurimùm differat ab eo honore, quem ex legibus Monomachiæ privato bello defendere fas esse autumant. *Honestum* in animo viri probi residet, servatúrque, licèt ei negetur ille *honor*, qui dicitur *testificatio excellentiæ alterius*. Insurgant contrà mille convicia: suo tamen hoc bono gaudet mens conscia recti. Pro hoc *honesto* vitam rectè exponit in prælio miles, dum pugnat, non ut laudetur; hoc enim vanum quid est: sed quia modò pugnare honestum est, ac virtutis. Monomachi autem non pro hoc *honesto*, sed pro illa *testi-*

(a) L. 5. Cod. de injur. (b) Scienza Cavallerefca lib. 1. c. 2.

*testificatione* rixantur, quæ cùm non raro bene meritis negetur, exhibeatur autem indignis, jure tanti esse non debet, ut inter bona hominis supremus ei locus detur, id quod alibi demonstrabimus; interim monuisse contenti de vocis abusu, ne quis decipi se facilè sinat.

## §. II.

## Quid circa modum vindicandi hodie moris sit?

66. *Pro jacta injuria, communi judicio, præstanda est satisfactio,*
67. *Nonnunquam etiam pro exigua, & facilè excusabili.*
68. *Condicitur in modum satisfaciendi.*
69. *Eligitur quandoque modus compendiarius;*
70. *Præcipuè ubi obstructa est Juris via.*
71. *Dicentem calumnias, sufficit mendacem vocare, vel actionem instituere ex L. diffamari.*
72. *Alapa, aliáve verbera quale remedium postulent.*
73. *Damna recusantis duellum,*
74. *Etiam non lethale, vel fictum.*

66. QUæ mala persuasio, & quis exortus inde malus mos hodie apud plerasque gentes Europeas vigeat, stat enarrare. Nec tamen is est omnium consensus, ut non diversi diversa quandoque sentiant in re, quæ arbitrariæ potiùs tyrannidis, quàm rectæ rationis regulis nititur. Is ergo ùt plurimùm inter nobiles ac militares viros mos obtinuit, ut quacunque ex causa cuiquam verbum indecentius, aut injuriosum vel ore, vel calamo exciderit, sive in præsentem, sive in absentem prolatum, is satisfacere læso teneatur, nisi vindicem læsi manum experiri velit. Idem de actione ignominiosa statutum habetur, e. g. dum in faciem quis subsannat; aut alteriùs pectori manus iniicit. Quo facto neque læso liberum est satisfactionem exigere, neque lædenti eandem præstare. Utrumque jubet pseudo-lex tyrannica. Plerumque id quoque sancitum est, ut maritus ad duellum provocet, si uxori suæ à quoquam aspersa fuerit nota adulteræ: hac enim, ait BIRAGO, utrique conjugi aufertur honor. Multis hanc amentiam exagitat Marchio MAFFEIUS. (a)

Dixi

(a) Scienza Cavallerefca lib. 1. c. 7.

Dixi, hunc morem obtinuisse *inter nobiles ac militares viros*; ex hoc enim ordine sit oportet tam lædens quàm læsus, provocans ac provocatus. Vid. n. 29. Vixdum ergo ejusmodi læsio, veluti scintilla, temere promicuit, illico, ac si in pulverem pyrium incidisset, suscitat flammam, quam nisi in tempore amici probi, & fideles sopiant, crepitus pervadit militares turmas, & nobilium ædes. Mussitatur primò: tum altiore voce duelli necessitas ingeritur: læsus provocare debet, & provocatus comparere. Si quis horum longiores moras trahat, lividis passim notatur oculis: cætibus abstinere æqualium cogitur veluti leprosus, donec per vulnus aut mortem ab hac lue se purget.

67. Initia horum tumultuum sunt quandoque exigua, futilia. Contigit, ut Herus jactum ab alio in canem suum probrum duello debuerit vindicare (*Vid. N.* 314.). Sunt quandoque facilè excusabilia, dum mitiore explicatione diluitur dictum, quod temere excidit: modò hæc detur in tempore adhuc, & hominem inveniat pacificæ indolis (*Vid. N.* 82.). Hæc ubi nihil proficiunt,

68. Satisfieri sibi pars læsa postulat, vel per libellum provocatorium (a), vel per internuncium. Deliguntur utrinque patrini, de quibus dictum N. 32. seq. Constituitur dies, locúsque modô explicato N. 7. seq. Etiam genus armorum designatur, an scilicet nitrato pulvere, vel chalybe agere placeat.

69. Quandoque, præcipuè dum moras non patitur æstus, missis ambagibus, provocans & provocatus contendunt ad locum aptum, compendio rem absoluturi. Unde duellum extemporale oritur, quod rixæ nomine persæpe palliatur, vid. Art. 1. §. 3.

70. Ex re sua facturos se credunt multi, si fortè cum alio collisi, missa ulteriore mora, quamprimùm possunt, confligant; nôrunt siquidem, quàm multis difficultatibus obnoxium sit, quærere satisfactionem via Juris. De his difficultatibus vide amplam tractationem *Capite sequente Art.* 1. Minùs difficile est honorem absque duello reparare in statu Civitatis bene ordinatæ, sive ubi Principes, & Magistratus succurrunt læso in honore, vel provocato efficacissimis modis, quos sapientissimè excogitatos le-

 ges

(a) Cartel.

ges *Cap. seq. Art.* 1. Ubi etiam prospectum est pro casu, dum quis ab extero provocatur ad locum neutrarum partium.

Ubi autem vel leges ejusmodi salutares non vigent, aut non observantur, prima lex Monomachorum est: " *ne inultum quid feras, quo* „ *honor tuus, & existimatio est læsa.* „

71. Si facinus probrosum, vel crimen falsò tibi quis exprobravit, proderit eum arguere mendacii, & infamem declarare, donec dictum argumentis probaverit. In probando si deficiat, tu honorem salvâsti tuum, & alter inter infames abjicitur. Quòd si autem infestos tibi Judices nanciscaris, vel incentores socii adsint, præcipuè si contra te probatio saltem ad speciem aliqua afferatur, tum enimvero ad duellum condemnaberis.

Si coram aliis, te absente, malum contra te sparsum rescias, suaserim, ut hominem vel accedas tu, vel à te vocato dicas, nolle te facilè fidem adhibere rumori, qui ad aures tuas pervenerit: ne tamen gravetur coram præsentibus edicere, quî res se habeat. Sic dicendo dabis locum alteri, ut vel neget, ea à se dicta: vel narratione sua mitiget; unde pacificis vobis esse licebit, nisi incentores obstent. Licebit nihilominus semper, imò quandoque expediet, querelam ad Magistratum, quin ipsum Principem deferre. Licebit; quia agere ex L. diffamari prohibitum est nemini: nec ulla consuetudo huic Juri ad agendum, vel Juri Principis ad causam cognoscendam obesse potest. Atque ex hac lege qui agit, necesse non habet probare in judicio, *an* de ipso hoc verè dictum fuerit, vel an malè; prævenire solummodo quærit accusationem, & Judici indicia præbere, quibus vel in crimen suum, vel innocentiam inquirat. Expediet etiam quandoque ita agere: præcipuè si alicubi gentium calumniandi libido invalescit contra ipsos etiam Judices, & tribunalium Præsides, atque ipsæ partes litigantes dicantur similia spargere. Hanc causam deferre ad superiorem Senatum oportet, vel ipsum Principem, ne quis temere ausit posthac effutire quælibet, & ut Judices in administranda justitia, ac servanda morum disciplina sine molestia valeant pergere.

72. Quòd si alapa quis, vel baculo te percusserit, tunc ajunt, desperatum esse malum, aliúdque in toto, qua latè patet, terrarum orbe non dari pharmacum, quàm sanguinem in pugna fundendum, & quidem

non

non parcè. Plura alia, quæ de verberibus vindicandis ſtatuit Monomachorum Alcoranus, leges fusè *à N.* 194. *usque ad N.* 235.

73. Ad duellum ſubeundum condemnatus ſi quis abhorreat, & tergiverſetur, triplex habet, quod timeat, damnum. 1mò ignavi hominis notam fert cum contemptu. 2dò ſocietate æqualium, & nobiliorum circulis excluditur. 3tiò non rarò etiam dignitate, munere, ac fortunis excidit. *Vid. Cap. IV. V.*

74. Si quis per duellum non lethale, vel fictum moleſtiis ſe extricare poſſit, minùs ſaltem infelix erit. De quo duelli genere vide amplè dicenda *Cap. X.*

Plura, quæ de hodierni duelli more dicenda ſupereſſent, hoc loco prætereo, utpote enucleanda per tractationem materiarum ſequentium. Primo itaque Capiti finem imponimus, viſuri jam, *quale* ſit duellum, poſtquam examinavimus, *quid* ſit.

# CAPUT II.

## DE PRAVITATE HODIERNI DUELLI.

N*E quid inultum feras, quo honor tuus, & exiſtimatio eſt læſa: Legem habemus, & ſecundùm legem expedienda ſunt arma, ut honor in ſalvo ſit.* Ita conclamant hodierni Monomachiæ Sectatores. At legem hanc pſeudo-legem eſſe, nulla authoritate contra rectam rationem, dictante cœco furore, introductam, probi, doctíque omnes exiſtimant. Nec dubito, complures eſſe militiæ, domíque Nobiles, qui iniquitatem ejus, ac tyrannidem ſatis perſpectam habeant, ac deteſtentur: nihilominus torrente abrepti, & ipſi paratum circumferre debent ſanguinem, quo maculam lavent, ſi qua fortè honori aſpergitur. Pſeudo-legem ergo hanc excutere juvat, &, qualis ſit, ante oculos ponere, ſingula ejus probra enumerando, ut hodierni duelli pravitas ad oculum pateat. Ajo itaque: Hodiernum duellum I. nullo modo eſſe neceſſarium. Quin II. etiam ineptum ad reparandum honorem. III. Non

esse argumentum veræ fortitudinis. IV. Esse crudele. V. Injuriosum Magistratibus. VI. Noxium Reipublicæ. VII. Ignotum olim moratis gentibus. VIII. Christianæ legi summè contrarium. Singula per singulos Articulos discutiemus.

## ARTICULUS I.

### *Duellum nullo modo est necessarium ad tuendum honorem.*

NEcessitas, ajunt Monomachi, quæ *facit licitum, quod non est licitum in lege* (a), hæc animum egregium ad duellum cogit, dum vel labem est passus honor: vel, ne patiatur, discrimen imminet. Prætensa hæc ferrea necessitas clypeus est, quo se contra sacra æquè ac profana fulmina tuentur. Dehortari quisquam velit militarem virum à concepto pugnandi proposito, audiet illico argumentum hoc opponi, hunc Achillem in prima acie locari. Et profectò, antequam ego sapientissimas Principum diversorum Constitutiones pervolvendo, efficacissima remedia conspexi, quibus huic malo occurrere satagunt, curásque solertissimas, quibus in omnem se versant partem, ne difficultatem ullam non complanatam relinquant, antea, inquam, ipsus ego opinabar, prætensam hanc necessitatem non esse omnino inanem: in solis certè Theologorum libris ægrè poteram acquiescere; quamvis enim horum consilia, suggesta tum læso, qui provocare deberet, tum provocato, cujus esset comparere, utique suum pretium habeant: necdum tamen penitus videntur confringere jugum, quod vel inviti ferunt militares, ac nobiles viri: nec malo efficax medela erit, quamdiu Principum, penes quos suprema potestas est, studium non accedat, ùt rectè cum aliis sentit MENDO (b).

Experientia hactenus docuit, quantum in præcavendis, atque abolendis duellis Principes possint, si tamen seriò velint: & vicissim, quàm parum quæcunque remedia valeant, si supremam hanc authoritatem sociam non habeant.

Fuit etiam, quæ DEI gratia est, ea multorum Regum, ac Rerumpublicarum cura non postrema, ut, quacunque possent, ratione, huic malo

(a) R. J. 5. Decretal. (b) L. 3. Jur. Acad. q. 29. Append. de Duell.

malo irent obviam: adeò præclaram & multiplicem adhibuerunt induſtriam partim impediendis, partim puniendis duellis, ut, ſiquidem inhæreant iis, quæ ſaluberrimè conſtituerunt, à ſuis ſaltem Finibus quilibet excluſurus ſit hoc malum, ſuo, & ſubditorum ingenti bono. Edicta omnino quinquaginta ſex ſolus Lunigius (a) collecta exhibet, à variis, tam intra, quàm extra Germaniam Principibus, Regibus, Imperatoribus, atque Civitatibus Imperii liberis edita, quibus non ſolùm prohibentur duella, & cura adhibetur ſopiendis diſſidiis: ſed id inprimis curatur, ut injuriam fortè paſſo præſtetur ſatisfactio, ne opus habeat, armata eam manu quærere; probè enim notavit Fridericus Wilhelmus Rex Pruſſiæ (b), & cum ipſo Eberhardus Ludovicus (c) Dux Würtembergiæ, fruſtra fore ſaluberrima mandata, prohibentia duellum, niſi læſis alia ratione violatus honor reparetur. Inſuper in his edictis provocatus inſtruitur, quî gerere ſe, & expedire debeat, quin neceſſe habeat in pugnam condicere. Audiamus itaque §. I. Monomachum ſua ſe neceſſitate facundè excuſantem. §. II. Ponderemus conſilia Doctorum, læſo ſuggeſta ad evitandam neceſſitatem provocandi. §. III. Eorundem conſilia ſuggeſta provocato ad evitandam neceſſitatem comparendi. §. IV. Exponamus ſtudia ſummorum Principum ad elidendam neceſſitatem provocandi. §. V. Eorundem ſtudia ad elidendam neceſſitatem comparendi.

## §. I.

### Auditur Monomachus neceſſitate ſe excuſans.

75. *Perditur fama, & ſæpe officium, recuſato duello.*
76. *Nil juvat implorare Magiſtratum.*
77. *Nec expedit petere veniam, aut petitam dare.*

75. PAſſim audire 'eſt has, ſimiléſve voces querulas: Quis vitio vertat nobili animo, ſi vel provocatus compareat; vel dum injuriam paſſus eſt, ipſus provocet? *Honor, & vita pari paſſu ambulant;* &, *ſi perdamus omnia, famam ſervare monemur.* Quis autem famam, & honorem tue-



(a) Corp. Juris Milit. (b) Edict. 1713. (c) Edict. an. 1714.

tuebitur nisi vindex gladius? Recusat hunc quis stringere? illico audiet, vecors, ignobilis fungus, caudex honoris incurius, homo nauci, & si quæ sunt alia ejusmodi convicia. Recusabunt commilitones eum socium admittere in servitio: gregarii ejus detrectabunt imperium, desertum *absque synagogis facient.* Undique contemptus abstinere debebit societate æqualium, &, nisi passim velit probra excipere, ad desertas Insulas emigrare. Missionem petat à legione sua vir militaris? dabitur: at nullibi terrarum recipietur illotus: vel latente nota receptus, indies timere debebit, ne fama vindicati necdum probri eò quoque delata, nova eum statione deturbet. Fuit, qui à Rheno, ubi piaculo sibi duxerat acceptum convicium duello eluere, ad extremam Moscoviam profugus, illis sub vexillis ignotum, tutúmque se latitare credebat; sed adversarius, epistola eum insectatus, dedecoris inulti notam etiam inter Moscovitas propalavit. Unde ille coactus redire ad Rhenum, & invitus pseudo-legi obsequi, insectatorem suum aggressus est, quem, dum favente fortuna prostrâsset, in suæ fortunæ rota tandem clavum fixit.

76. Et quid aliud consilii poterat capere miser? num tribunalia imploraret, & justitiam Principis? at surdas non raro aures habent ad querelas ejusmodi; ignorare se affectant, quid rerum agatur: vel *tu videris*, reponunt, tu ipsus esto fortunæ tuæ faber, non est in nostra potestate cogere commilitones tuos, ut communia tecum servitia obeant. Et demus, seriò velle Principem opitulari subterfugienti duellum conscientiæ causa, qua vi legiones is integras coget, ut cum infami militent? Missionem dabit refractariis? at quanto damno suo id faciet? manumissis si subroget alios, in hos diffundetur infamia, & invidia manumissorum, ac pro uno duello complura succedent, Cadmeæ segetis instar pullulatura. Qui statione sua emoti fuerint, turbis omnia implebunt, vel etiam coacti exire ex provincia infamiam per oras exteras dispergent, obfuturam copiis universis ejusmodi Principis. Quid si dein copias has suas alterius nationis exercitui jungere casus postulet, nónne quotidiana erit vecordiæ exprobratio? & quis, nisi ignavissimus sit, tum se contineat ad objecta probra? quæ inde cædes sequentur? nónne præstaret dissimulando malum unum centena evitare?

Lau-

77. Laudabile quidem & illud est consilium, quo nonnulli existimant duella in herba posse suffocari, si scilicet is, qui temere læsit alterum, culpæ veniam precari publicè jubeatur. At num nobilis, aut militaris animus eò usque se demittere valeat? poterítne supervivere probro, & tam carò luere, quam ex præcipiti ira offensam intulit? Et valeant hæc utcunque intra provinciam sui Principis: si infelix pedem efferat post petitam humiliter veniam, continuò exprobrationem sentiet. Quin etiam læsus, qui hac ratione domi se purgatum credit, nihilominus alibi terrarum cum turpi nota apparebit, utpote quam non armis eluere, sed tegere voluerit, timide implorato Principe. Ita ferme pro se Monomachi hodierni perorant, subeundi duelli necessitatem obtendentes, quæ profectò adeò levia non sunt, ut ea Doctor Theologus mox uno halitu difflet. Remedia hi varia suggerunt, quibus se expedire queat provocatus: vel qui in honore afflictus, provocandi necessitatem sibi incumbere existimat. Juvat eadem exponere, & quàm facilis, atque efficax eorum usus esse valeat, prudentûm judicio relinquere, ac primùm quidem audiamus, quid suadeant, ne quis provocare debeat, quamvis in honore læsus: tum ne debeat quis comparere, quamvis provocatus fuerit.

## §. II.

## Consilia Doctorum pro evitanda necessitate provocandi.

78. *Suadent retorsionem convicii.*
79. *Velut petas mitiorem dicti, factive explicationem,*
80. *Ut patientiam exerceas,*
81. *Aut actionem injuriarum instituas.*

78. EXistimat non nemo, contumeliam posse propelli retorquendo, dum convicium convicio reponitur. " Rectè & optimè fit, " ait ille (a), si injuriatus injuriato dicat: tamdiu ego te pro fure, aut ad- " ultero habebo, donec probaveris, quod de me malum dixisti. Quòd " talis retorsio sit licita, probatur inde, quòd injuriam repellere, aut " suum defendere honorem omnia Jura permittant. Nec obest, quòd ac- "

„ cepto

(a) *P. Pichler* Comp. Jur. Can. L. 5. tit. 33.

„ cepto ictu vicissim adversarium percutere non liceat; talis enim percus-
„ sio non foret defensio contra injuriam inferendam; sed esset ultio inju-
„ riæ jam completè illatæ. In posteriori autem retorsio, debitè facta, est
„ defensio contra injuriam, nondum completè illatam, utpote quæ post
„ verba, physicè præterita, moraliter perseverat, & in æstimatione ho-
„ minum aliquis habetur pro tali, qualis ab altero fuit proclamatus, nisi
„ in continenti per retorsionem eximat audientibus suspicionem objecti
„ criminis. „ Legi præterea meretur HEN. RENNEMANUS (a).

Quamvis huic ego doctrinæ neutiquam refrager, viri tamen militares, ac nobiles malè sibi consulerent convicia conviciis reponendo; non enim per hoc se purgare Titius censetur, quòd Cajo in faciem idem, vel aliud stercus rejiciat: uterque potiùs habebitur conspurcatus sordibus, non nisi armata dextera abstergendis. Ita judicat hodierna duelli Schola.

Valebit quidem aliqua retorsionis species, ubi tu per *calumniam* læsus, alterum dixeris *mentiri*, & pro infami *calumniatore* habendum esse declares, donec dicti sui probationes attulerit. Valebit hæc, inquam; non enim hodie, ùt olim inter Italos (b), fas est ei, quem mendacem calumniatorem dixero, me illico ad suam armatam probationem evocare. Neque *mendacem* dicere prohibet Constitutio CLEMENTIS VIII. contra duellum lata; quamvis enim ea hoc dictum execretur, addit tamen (c): *si ejusmodi dicta sint præparatoria quædam ad duellum, & illorum veluti radices*; quod in casu nostro appellatio *mendacis* non est, spectando intentionem appellantis. Valeat itaque hæc retorsionis species contra calumniam: at non valet contra alias contumelias, quarum genera complura, suprà recensita N. 64. honorem mutilant, ùt bene observavit MAFFEIUS Marchio (d). Accedit, quòd non raró probatio, quam ille affert, qui mendax dictus est, ita confusa, & perplexa sit, ut quamvis non certitudinem, tamen speciem veritatis habeat: tum enimvero aliud supererit nihil juxta sententiam Monomachorum, quàm intricatum nodum gladio dissolvere. Universale itaque non est hoc, quod à Doctoribus præscribitur, pharmacum.

79. Solet

(a) De Jure Retorf. (b) Teste *Alciat.* Consult. de Duell. (c) §. 14. vid. Bullam infra n. 405. (d) Scienza Cavallerefca l. 1. c. 7.

79. Solent alii mitioris ingenii viri, altero die ab accepta injuria, dum conviciatorem non nihil deferbuisse credunt, eum cum amico uno, alteróve accedere, & refricare memoriam hesterni acerbioris dicti, addendo, de ejus humanitate se confidere, ea verba neutiquam esse prolata animo iniquo, aut studio offendendi. Quòd si conviciator, & ipse moderati consilii vir, profiteatur, se invito fieri, si in rigido, & minùs æquo sensu acceptarentur, quæ sibi subitò excidissent, honorificè se semper sensisse, & sentire adhuc de commilitone suo, tum res pro composita haberi solet. At si convicia sint ejusmodi, quæ mitiorem interpretationem non admittant: vel si turbulenti quidam homines excitari malint flammam, quàm sopiri, tunc ægrè dissidium amicè componetur. Item si læsus explicationem dicti, vel facti imperiosa voce postulet magìs, quàm petat, tunc alter probro sibi ducet jam vela demittere, negabítque à dictis suis vel latum unguem se recessurum. Et quid sequi tum aliud poterit, quàm provocatio ad conflictum? Unde Peregrinus (a) docet, quòd si similis declaratio petatur extra judicium, & dedita opera, ita, ut proximè occasionem possit præbere duello, peccari graviter, & incurri pœnas à Pontifice latas.

80. Alium clypeum suppeditat alius quispiam (b). " Primò, ait, " homines contentiosos, quantum potes, devita: si vitare non satìs potes, neglige, aut risu excipe, vel joco explode eorum injurias, ac si tangi " te non satìs sentires, etsi revera sentias aculeos tibi animum penetrare. " Quod si facias amore Christi te ipsum vincendo, maximi meriti virtutem exerces. „ Tum Socratem proponit in exemplum, Comœdorum crudos sales, & Xantippes pluviam fortiter eludentis. Saluberrima, fateor, sunt hæc consilia, principiis Ethicis, ac Christianis dogmatis maximè conformia. Atque utinam ea hodie tempora viveremus, quibus his dogmatis, atque illis principiis justum pretium poneretur. At neglecta jacet passim Ethica, scientia rationali homini præ aliis necessaria. Evangelio verò vim nullam inesse autumant in pseudo-legem, receptam pridem nobiles inter ac milites: aut ægrè non laturum existimant Divinum Judicem

H

(a) De Duell. q. 4. n. 6. in §. aut ad hunc effectum. Const. Clem.
(b) *P. Seybold.* Erotem. Jur. P. 2. Sect. 4. §. 3.

dicem, ſi in cauſa tam ardua, ubi de amittendo honore, & fortunis agitur, minùs obſequentes ſe præbeant; ſemper autem cavere, ne quis in turbulentum hominem incidat, eíque collidatur, hoc certè humanam induſtriam excedere.

81. Sunt, qui *actionem criminalem* ſuadent. Et hi propiùs ſcopum feriunt; námque *ſciendum eſt, de omni injuria eum, qui paſſus eſt, poſſe agere*, ſeu actionem inſtituere, ídque vel *criminaliter*, vel *civiliter*. (a) Actio civilis eſt vel *pœnalis*, vel rei *perſecutoria*. *Pœnalis* iterum eſt gemina, una deſcendit ex jure Prætorio, & vocatur *æſtimatoria*, qua læſus petit æſtimationem injuriæ, quanti nimirum æſtimat læſus ablatum honorem, v. g. dicendo, quòd maluiſſet amittere centum aureos, quàm hoc probrum ſuſtinuiſſe, quam ſummam, prævia tamen moderatione ſecundùm merita circumſtantiarum, Judex tenetur adjudicare læſo. (b) Actio altera deſcendit ex jure Civili, nimirum ex lege Cornelia, quæ tamen ſolùm competit ex injuria reali, & quidem ea tantùm, *qua quis pulſatum ſe, verberatúmve, vel domum ſuam vi introitam eſſe dicat* (c), tendit pariter ad æſtimationem injuriæ: ſed à Judice faciendam, & læſo adjudicandam (d). *Rei perſecutoria*, ſcilicet bonæ famæ, tendit ad revocationem injuriæ, & reſtitutionem famæ, per verba contumelioſa ablatæ, éſtque introducta per conſuetudinem, & vocatur *actio recantatoria, ſeu ad palinodiam*, qua potiſſimùm in Bavaria uti ſolet paſſus *injuriam verbalem*. Hæc actio non invehit infamiam juris de jure communi: bene tamen infamiam facti, niſi Judex, ùt fert uſus, ex officio tollat, & honorem reſervet: ad quod obligatur in Bavaria caſu, quo cauſa injuriarum non eſt adeò liquida: vel dubium, an læſus lædenti non dederit cauſam (e). Denique *criminalis* actio injuriarum eſt, qua læſus petit, ut reus debitè plectatur, pœna nimirum *extraordinaria*, ſeu arbitraria, nempe vel *corporis afflictiva*, vel *mulcta pecuniaria* Fiſco, aut Eccleſiæ applicanda. Plura de actionibus injuriarum paſſim apud Juriſperitos legere eſt.

Remedium hoc extra ſtatum *naturalem*, quem vocant, in Civitate utique convenientiſſimum eſt. Sed qua ratione inſtituetur actio, ſi Judex non

(a) §. 10. Inſtit. de injur. (b) §. 7. 10. ibid. (c) §. 8. ibid. (d) L. 37. §. 1. ff. de injur. (e) Statut. Provinc. Tit. 46. Art. 10.

non audiat, & ea sit corruptio pravorum hominum, ut imperatam etiam à Judice palinodiam rejiciant, velut inutile sanando malo pharmacum? atque utinam ea esset in multis Magistratibus promptitudo succurrendi passis contumeliam; qualem divinat Clarissimus Salisburgensis Doctor (a), ita loquens: " Si Nobiles, aut Officiales reliqui te in consortium non admittant, neque subjecti ulteriùs servire velint, adeas superiorem proximum, cujus est temerarios compescere, ac ad legum observantiam adigere. Si neque hic administraverit Jus, ad altiora Tribunalia appella, ad ipsam Majestatem Imperatoriam provoca; fiet, ut salvo tuo honore, atque officio adversarius cum ignominia cedere debeat. „ Utinam, inquam, ea esset in multis Magistratibus promptitudo succurrendi. At Centurionem novimus, qui baculo ignominiosè percussus, recusato duello, adeò opem nullam etiam in primis tribunalibus invenit, ut cum conjuge nobili, & liberis ad incitas, & rus redactus fuerit. *Vide casus similes N.* 281. Viden', in quas angustias conjiciatur contumeliam passus; vix non diram necessitatem impositam sibi videt, reluctante etiam conscientia, in arenam descendendi.

## §. III.

### Consilia Doctorum pro evitanda necessitate comparendi.

82. *Provocatus à se fortè offensum studeat placare.*
83. *Vel legem DEI obtendat, & fortitudinem antehac à se exhibitam.*
84. *Dicat se exspectaturum vim aggressuri.*
85. *Fors etiam licebit exire in campum destinatum.*
86. *Vel convicio provocantem prolicere, ut prior vim inferat.*

82. NOn multò melior est conditio PROVOCATI, qui honorem fortè alterius mutilavit, vel mutilâsse censetur. Consilium suggerit Theologus. 1mò Dum dicta sua in deteriorem partem accipi, & rem seriò agi advertit, mitiorem sensum suis verbis, factisve affingere studeat, fors expediet se molestiâ. At si insistat adversarius: vel incentores obstrepant socii: vel ipsa verba, & facta molliorem sensum refugiant, ægrè se extri-



(a) *P. Böckhn* ad Tit. de Cleric. pugnant. n. 5.

extricabit. 2dò. Canat palinodiam. At canere palinodiam tunc solùm poterit, ubi calumniando offendit, non ubi alio contumeliæ genere. Dein cum certa sua pernicie recantabit. 3tiò Satisfaciat humiliter precando veniam. At ita veniam precari in innocentem non cadit, qui credidit dictis suis factísve nihil veræ contumeliæ inesse. Quid ergò consilii?

83. Suadet P. SEYBOLD (a), ex mente multorum Theologorum: „ Quòd si provocatus es, & eludere nulla arte valeas, dic adversario, te, „ licèt duellum ob legis Divinæ, & Ecclesiasticæ reverentiam non acce- „ ptes; eò quòd charior tibi sit DEUS, & animæ tuæ salus, quàm cor- „ poris, nihilominus, ùt fortem virum decet, te neminem, ubicunque „ te aggressurus sit, metuere: sed cuicunque aggressori, inter quos etiam „ provocator non sit exceptus, ita obviaturum resistendo, ut fortem „ virum in te experiatur. Si ignavi id esse animi asserat, responde, ex- „ perimentum ignaviæ ex defensione licita capiendum: desperati homi- „ nis, & profligatæ temeritatis esse animam diabolo offerre: tuam tibi non „ esse adeò vilem. Si pergat esse molestus, abrumpe, & discedens adde: „ Eas tu licèt ad diabolum, mihi nondum libet esse comitem: nec tam „ vilis animi, & abjectæ salutis homo sum: meo indignus consortio es. „ Suppetunt, pergit Author, innumera alia responsa, quibus ingeniosè „ eludi provocationes possunt. Recenset gemina ex P. HURTADO DE MEN- „ DOZA, quorum primum ita habet. Vir quidam in urbe Lucrovio natus, „ Gubernator Habanæ, provocatus ad duellum respondit: à se multis in „ præliis ostensum fuisse animum imperterritum: duellum verò à se recu- „ sari propter legem DEI: quo responso ingentem sibi gloriam compa- „ ravit. Alius vir nobilis, & fortis in urbe Salmantica, cùm è vita laxiore ad „ meliorem frugem se recepisset, provocatus ad duellum, respondit: Ego „ tempore superiore non recusâssem duellum: nunc autem bene nôsti, „ mihi curæ esse legem DEI; quod laudârunt & mirati sunt quotquot re- „ sciverunt. „ Alia adhuc exempla commemorat, aliásque rationes, quibus indemnis salvetur honor absque duello, hìc dissimulandas, quia parùm diversas.

Absit

(a) Erotem. Jur. P. 2. Sect. 4. §. 3.

Absit à me, ut hæc & similia suggesta consilia sugillem: dolere tamen liceat, quòd tantum in iis repositum non sit, ut facilè evadere provocatus queat; idque propter perversitatem hujus ætatis, ridentis ad legem Ecclesiæ, & excommunicationis fulmen: neque volentis agnoscere ullam Dei legem, duellum prohibentis. Subest etiam alia ratio, cur tam difficulter fides habeatur excusantibus se lege Dei; eoquòd nempe tales sæpe sint, qui alia Dei præcepta sine scrupulo transgrediuntur: quæ ergo singularis reverentia ab hoc præcepto violando eos absterrere credatur? vide hanc notationem ampliùs explicatam n. 168. Hinc credere fas est, Salmanticensem illum nobilem fortè cum turba vanorum jam tunc temporis abrupisse commercium, electa sibi vita privata. Et ô utinam tam æquos rerum æstimatores etiam hodie numeraremus, qui recusantem unanimi ore laudarent. Lucroviensis illius responsum tale est, quod meritò toti Orbi debeat satisfacere. Haud dubiè per prælia virtus probatur in luce publica, ubi postquam quis sæpius imperterrito stetit animo, quid est, quòd de ejus fortitudine clancularium adhuc experimentum desideretur? at videmus proh dolor! probatissimos Heroes post superata crebra pericula, relata decora vulnera, & complures expeditiones bellicas eò adigi, ut provocati, vel lacessiti etiam ab imberbi mento & inculto stolone, pretiosam vitam debeant exponere ei gladio, qui hostem antea non viderat. Casum unicum scio, à veterano mihi Duce narratum, in quo egregium facinus militare absolvere provocatum valuit à necessitate ineundi duelli. Acri obsidione diu urbs quædam pressa præstructam vallo parmulam ostentabat, quam assultu expugnare obsidentes parabant. Centurionum unus eo die supremum castrorum Præfectum adit, hanc sibi provinciam, quamvis præter ordinem, deposcens. Præfectus primò miratus est, quòd quis, ordine non vocatus, tanto se periculo sponte offerret: cúmque plurimi semper fecisset, amâssétque centurionem, admonet de discriminis gravitate; primo assultu ægre fore subigendam parmulam, & non nisi paucos cum vita redituros. Nihil territus alter instat, urget, donec, nemine invidente, spartam obtinuerit. Et revera facta impressio cruenta admodum fuit: nihilo secius centurio cum paucis suorum pedem firmum in parmula fixit, depulso hoste. Dilaudatus pro merito à supremo Præfecto, quæsitúsque, cur periculosam hanc aleam prensâsset, respondit, se provocatum ad duellum à commilitone, legem Dei reveritum, pugna justiore probare voluisse imperterritum animum.

Non poterat non Præfectus à lege comparendi virum strenuum absolvere, plaudentibus universis castris. Ejusmodi opportunitas cùm raró se offerat, raró etiam quemquam fortitudo, alibi exhibita, à duello liberat.

84. Itaque eam esse viam evadendi tutissimam credunt Doctores nonnulli, si quis provocanti reponat: duellum recuso; paratus tamen sum, ubicunque me aggressus fueris, &, si etiam nunc velis, vim vî repellere, méque defendere. (a) In hunc etiam sensum loquuntur sic dicti Mareschalli Galliæ in edicto quodam suo (b). Nobilis quisque, ajunt, provocanti respondere poterit, prohiberi se, quo minùs locum pugnæ designet, aut in designatum condicat: nihilominus nihil omissurum, quo se contra aggredientem, sicubi se inferat, strenuè defendat: plus neque concedi per leges regias, neque ad tuendum honorem esse necessarium. Hoc similíve dato responso interea, ùt docet Pignatellius (c), " potest provocatus „ ad peragenda sua negotia armatus incedere, acsi esset cum inimico pugnaturus; quia non tenetur relinquere suas actiones, quas sine notabili „ suo damno præterire non valet, quamvis ex illis alter occasionem suæ „ ruinæ sit accepturus. Quare provocatus potest, ac debet non leviter „ armatus incedere, dum non sine periculó pugnandi incedit; in ea enim „ occasione prudentis est contra pericula se præparare. Potest è domo „ sua exire cum voluntate non absoluta pugnandi, sed conditionata, si „ aliter se tueri honestè non possit, & provocans adigat ad pugnam. „ Affert pro se Bannes, Sanchez, Hurtad. Dian. Refugit suffragari huic doctrinæ Tournely (d) rigidior aliquantum, putans fore hoc idem sub verborum involucro, ac revera acceptare duellum: jam verò non illum tantùm contra leges impingere, qui agit contra legis verba: sed eum quoque, qui adversùs sententiam & sensum (e).

Per me liceant hæc omnia provocato. Quin liceat etiam nominare plateas & ædes, quas perambulaturus sit vel hodie vel cras: non tamen video, quî hoc effugium universè usui esse possit; quid si enim provocans reponat, sibi commodum non esse vias explorare adversarii: minùs in publi-

(a) Vide *Mendo*. L. 3. Jur. Acad. q. 29. Append. de Duell. (b) An. 1653.
(c) Tom. 9. Consult. 88. n. 61. (d) In Præcept. V. Decal. cap. 2.
(e) L. 29. 30. ff. de leg.

publica platea aut foro congredi ; procul à turba monomachias exerceri : esse prope pomœria arenam, his pugnis destinatam ex more. Hæc si reponat, sequi necesse habebit provocatus, si satisfacere velit grandi delirantium turbæ, & contemptum evitare, conjunctum fortè cum damno fortunarum. Dein sit provocans homo exterus, alteri subjectus Principi : horreat ille provocati patriam ingredi, ideóque ad urbem neutrarum partium, utpote locum magis sibi securum, eundem evocet, quid tunc consilii? spectavi ego ejusmodi casum, ubi provocatus antè molestiis se non expedivit, quàm profectus fuerit eò, quo vocabatur. Quid ergò consilii super?

85. Juxta quorundam opinionem, ait P. SCHMALZGRUEBER (a), potest provocatus exire in campum, in quo destinatum est duellum; " quia talis egressio est actio indifferens, & qui sic egreditur, solùm con- " tendit, ut agnoscatur, non esse ignavus, haberéque animum pugnandi " tunc tantùm, si invadatur. Unde sicut fæmina non peccat, si in pu- " blicum absque intentione prava exeat concinnè ornata, quamvis credat, " aliquem eam aspiciendo peccaturum: ita neque peccabit provocatus e- " grediendo ad locum duelli. „ At ipse hic Author unà cum MENDO, & PIGNATELLIO negant hoc licere ; " nam, ait, licèt egressio ista secundùm " se sit actio indifferens: in his tamen circumstantiis, ubi conjuncta est " cum periculo mutuarum cædium, indifferens esse cessat: & hujus peri- " culi ipse egrediens est causa, non per accidens tantùm, sed per se; " quia semel designato campo, & indicto duello hic effectus habet con- " nexionem cum eo exitu. Hinc paritas non est cum egressu, & ornatu " fæminæ, si hic, ùt fieri debet, ponatur esse indifferens. „ Hactenus P. SCHMALZGRUEBER.

" Atque, ait MENDO, ut paritas aliquid evinceret, sic debebat " efformari : si homo, deperiens fæminam impudicè, ab ea posceret, ut " in quodam destinato loco conveniret ad colloquendum cum ipso: & " ipsa exiret, ut ostenderet, se posse colloqui cum illo, quin in peccatum " laberetur, firmiter proponens non peccare, nisi sollicitaretur ad pec- " candum. Hæc fæmina non peccaret exeundo ad illum locum : ergo " idem evenit in casu proposito. Hæc paritas rectè efformatur. Verùm " „ assum-

(a) Tit. de Cleric. pugn. in Duell. n. 27.

„ aſſumptum eſt negandum; cùm utique fæmina peccaret in ea voluntate „ non delinquendi, ſi ſollicitata non foret. „ Ita Mendo (a)

86. Audiri denique meretur Pignatellius (b). " Magìs, in- „ quit, idoneum erit, ſi provocatus provocationis injuriam proportio- „ nato convicio expellat; planè enim id poteſt: non ad injuriæ jam irro- „ gatæ vindictam, quæ privato non conceditur, ſed ad injuriæ, tunc „ primùm illatæ, ac veluti cadentis, repulſam, ac excluſionem. Quòd ſi „ provocans repenſum convicium inhonoratione ulteriore, aut ferro ul- „ ciſci aggrediatur, fas præterea erit provocato exertis confeſtim ar- „ mis malè excipere provocantem, quo facto honori ſuo conſulet, quan- „ tum ſatìs eſt, absque noxa duelli. Nulla igitur ratione duelli accepta- „ tio eſt medium neceſſarium ad honorem provocati indemnem ſervan- „ dum ab injuria provocantis. „ Ita ille.

At necdum omnia in expedito eſſe autumo. Imò Si tu prævia of- fenſa fortè læſiſti provocantis honorem, vel reparare debebis juxta leges juſti & æqui, vel juxta pſeudo legem pugnare. Addere convicia conviciis neque per conſcientiam licet, ſaltem tunc, quando provocanti, iniquè à te læſo, palinodia vel ſimili reparatione ſatisfacere vales.

Quòdſi eum offenderis, errorem vel piaculum exprobrando vi muneris, quod geris, vel ex zelo pro juſtitia & honeſtate, aliáve ex cauſa non iniquà, tunc non dubito, quin fas tibi ſit, dum provocaris, confirmare dicta, & à pœnitudine te procul remotum oſtendere; etſi prævideas, adeò irritandum fore impotentem adverſarii animum, ut è veſtigio ſtricturus ſit contra te gladium; quod enim ſemel rectè dixeras, etiam altera vice licebit dicere, & in oritura fortè pugna te defendere. At verò ſi provocans ſibimet ſatis præſens, retenta in præſenti ira, reponat, hæc & ſimilia convicia, muliebriter jacta, gladio ſe purgaturum loco decente, in quem commeare ſolent Monomachi, tum quid ages? adeóque necdum plenè excuſſimus ferream neceſſitatem, quam dira illa pſeudo-lex imponere nititur.

§. IV.

(a) L. 3. Jur. Acad. q. 29. Append. de Duell. (b) Tom. 9. Conſult. 88. n. 31.

## §. IV.

### Studia summorum Principum ad elidendam necessitatem provocandi.

87. *Caveantur jurgia.*
88. *Sopiantur in tempore.*
89. *Coërceantur.*
90. *A consciis denuncientur Judici:*
91. *Ad hunc recurrat læsus,*
92. *Propterea à nemine deridendus.*
93. *Procedatur summariè.*
94. *Post propriam vindictam nulla satisfactio.*
95. *Satisfactio danda erit pro calumnia,*
96. *Pro deridiculis,*
97. *Pro verberibus, etiam datis per subornatos.*
98. *Præstanda simul cautio de non vindicando.*
99. *Reservato tamen honore Rei.*
100. *Reus fugitivus, aut alieni juris, non evadet pœnam.*
101. *Hæ curæ Principum omnino sufficiunt.*

87. INprimis id inculcant summi Principes, ut studeant omnes pacem colere, honore se mutuò prosequi, & cavere solerter, ne verbo, aut facto quemquam offendant. (a) Ii pariter, qui sanguine, vel authoritate præeminent, omni humanitate inferiores complectantur, ne eos duriore agendi modo exasperent (b). Nec minùs indecorum existiment, si susurrones agant, dissidia seminantes (c).

88. Ut autem, si quæ nihilominus nata fuerint, periculosa dissidia veluti in herba suffocentur, & scintillæ extinguantur, antequam erumpant in flammam, monet JOSEPHUS CLEMENS Elect. Colon. (d) supremos militiæ Duces, ut gliscentes controversias maturè sopiant apud commissas sibi copias. Idémque in aula & alibi præstare studeant, penes quos potestas civilis residet, ne animi collidantur, vel ut, si fortè collisi fuerint, concilientur.

89. Quòd si non ex vano illi vereantur, ne vehementior sit exacerbatio, quàm ut facilem medelam admittat, jubeant collisos domî se continere, apposita etiam, si necesse videatur, custodia. Discutiant interea causam jurgii, cui finiendo si impares se videant, absque mora Mareschal-



(a) Edict. Ludov. XIV. an. 1679. (b) Edict. Lotharing. an. 1699. (c) Edict. Maximil. Eman. Elect. Bavar. an. 1679. (d) Edict. 1704.

lum Lotharingiæ aut Baari, vel memet ipſum reddant certiorem, ait LEOPOLDUS Dux Lotharingiæ. (a)

90. Utque conſtituti Judices tanto faciliùs in gliſcentis mali notitiam veniant, Edictum Colonienſe, & cum eo Concluſum Imperii (b) jubent, ut patresfamilias & caupones, in quorum ædibus jurgium periculoſum exoritur, vel alii quicunque præſentes & conſcii, absque mora id denuncient Judici, ad quem cauſa ejusmodi pertinet, ni velint eadem cum offendente pœna plecti. Pœnam arbitrariam reticentibus ſtatuit EBERHARDUS LUDOVICUS Dux Würtembergenſis (c). Saxonicum Edictum, ſicut denuncianti *duellum* centum imperiales promittit, ſic pro denunciata *rixa* promittit quinquaginta, pro *realibus injuriis* triginta, *verbalibus* injuriis quindecim, addito promiſſo reticendi denunciantis nomen, quæ ſumma ſolvenda erit, vel ex Rei bonis, vel ex ærario fiſci,

91. Quòdſi jactum convicium, ſimilíſve injuria in apricum ita jam eruperit, ut læſo moleſtum accidat concoquere crudiorem bolum, monetur is, ut, ſuſpenſa tantiſper ira, judices compellet, quorum eſt, vel ex more provinciæ de honore judicare, vel ex decreto Principis. Et hoc eſt, quod edicta omnia clamant, uberrima ſatisfactione promiſſa læſis. Sereniſſimus noſter Elector MAXIMILIANUS JOSEPHUS, Bavariæ ſuæ verè Pater, ſicut ad res cæteras cura ſua dignas, providentiam ſuam extendit, ſic etiam duellum Reſcripto dato ad omnes ſuas copias anno M. DCC. XLIX. repreſſit, dum illum fomitem, injurias ſcilicet tum *verbales*, tum *reales* ſeveriſſimè prohibuit, ita ut quicunque eas intuliſſet, ad Præfectum carceris absque mora abſtrahi jubeatur, ubi dein ſequi debent reliqua, providentiſſimè ſtatuta.

92. Ne quisquam auſit ridere, aut contemptui habere eum, qui Juris remedium ſanandæ inuſtæ ſibi labi adhibet; ſeveram tali exprobrationi pœnam ſtatuit Concluſum Imperii citatum. Megalopolitanum ejusmodi protervum hominem condemnat ad petendam veniam, & biennalem carcerem (d).

93. Cauſa itaque, ùt decet, ad tribunal competens delata, in ea diſcutienda procedatur *ſummariè*, ùt vult Concluſum Imperii, & Reſcriptum Sereniſſimi noſtri Electoris. Vel etiam pro re nata procedatur via

(a) Edict. an. 1699. (b) An. 1668. (c) Edict. An. 1714. (d) An. 1715.

via Juris ordinaria causam deducendo ad sententiam, ùt mandat CAROLUS Landgravius Hasso-Casselanus (a). Ubi inprimis indagandum erit, uter prior læserit alterum, sive quis author rixæ fuerit. Ita habet Edictum Brunswicense GEORGII Regis Magnæ Britanniæ (b). Tum magnitudo injuriæ ponderanda veniet. Quo comperto de satisfactione deliberandum erit Judicibus.

94. Nullam autem satisfactionem speret læsus, si injuriam injuriæ è vestigio rependit. Ita statutum est Edicto Lotharingico, Saxo-Gothaico (c), ac Coloniensi. Quæres, quid ergo opis huic supersit, qua maculam sibi aspersam lavet? Responsum habe ex Edicto Bipontino GUSTAVI SAMUELIS LEOPOLDI (d): portabit maculam, & damnum, quod patitur, præcipiti iræ suæ tribuet, quæ in vindicanda injuria Judices malè prævertit. Si cuiquam Principi durior hæc lex videatur, mutare, vel mitigare haud dubiè fas erit. Sic mitior hoc ex capite fuit LEOPOLDUS Cæsar, qui permittit *retorsionem legitimam, si in continenti fiat* (e). Novissimum Edictum Coloniensis Electoris eum, qui alapam reddit alapæ, ad quatuordecim dierum custodiam damnat: imò ad trimestrem, si alapam scutica, vel baculo vindicet (f).

95. Ubi iniquè inflixisse injuriam deprehensus fuerit, tum enimvero justitia tota in eo est, ut utrique suum tribuat, tam lædenti, quàm læso. Varias itaque rationes, quibus honor resarciatur, apud varias gentes initas legimus. Enucleatè, si quod aliud, loquitur Edictum Saxonicum Electorale (g), & novissimum Coloniense. Qui clancularió proscidit absentem sermonibus maledicis, famámque denigravit, siquidem primò hoc piaculum admiserit, cogatur ab offenso veniam petere, & malè prolata retractare. Si repetita eiusmodi dicteria effutierit, carceris pœnam ferat anno dimidio, & ad petendam veniam adigatur mulcta pecuniaria: vel, si in ære non habeat, porrecto solo pane, & aqua oppugnetur pervicacia, donec veniam precetur, & palinodiam canat.

96. Si quis nobilitate conspicuus Nobilem, vel nobilitatis prærogativis gaudentem, aliúmve honestiore natum, aut constitutum loco inde-

 decen-

(a) Edict. an. 1684. (b) An. 1718. (c) An. 1709. (d) An. 1721. (e) In Edict. 1682. Ex Tabular. Austriac. (f) In Edict. An. 1742. (g) An. 1706.

decentibus deridiculis, sive voce, sive gestu, confundat, publicè precetur veniam insolentiæ conceptis his verbis: *Ego N. N. profiteor, me inconsideratis, & pœna dignis verbis hunc N. N. graviter offendisse: & sicut ad excipienda similia lege Talionis meritò me offero, sic data injuria simul veniam exoro; cúmque generosior sit pars à me offensa, quàm ut par pari velit rependere, ego debitis actis gratiis, declaro, me, si offensus fuissem, pari satisfactioni fuisse acquieturum.* Quòd si jacta in faciem convicia solito atrociora essent, habita personarum ratione, veniam peteris insuper os suum percutiat, squallore carceris, si tergiversetur, ad id compellendus. Quin Edictum Saxo-Gothaicum Ducis FRIDERICI, & Baruthanum CHRISTIANI ERNESTI Marchionis (a) statuunt, ut lictor revocet, calumniatori data sonante alapa, & indicto exilio.

97. Injurias *reales* qui infert, verbera minitans baculo, scutica, manu, petita venia unius, vel, si domi suæ id cuiquam fecerit, trium annorum carcere mulctabitur. Si intra minas non steterit, sed verbera etiam inflixerit, data ad hoc causa, pœna durabit per biennium: nulla data causa per quadriennium, postquam antea dignitatibus, & officiis exutus veniam petiêrit supplex. Augebitur pœna, si quis alterum à tergo aggredi non erubuerit. Si subornâsset alios, ab omni in Republica gerendo munere sit exclusus, sex annorum custodiam patiatur, primo anno non nisi pane, & aqua reficiendus. Si famuli, subornati ab hero, id præstiterint, quadriennali carcere macerati naribus, & auriculis mutilentur. Similia legere est in Edicto Brandeburgico, Suecico, & compluribus aliis. Hodiernus Serenissimus Elector Bavariæ in Rescripto suo, cujus paulo antè meminimus, eum, qui injuria *verbali* læsit quemquam, condemnat ad petendam veniam, nulla admissa cautela Juris ad reservandum honorem, & tum exauthorari mandat. Injuriam *realem* qui intulit, exauthorari debet cum nota infamiæ.

98. Ne is, qui satisfactionem compulsus est præstare, pòst adhuc ultionem fortè meditetur, mox à petita venia cautionem juratam, vel etiam realem, ùt vocant, de non ampliùs offendendo, nec se vindicando teneatur præstare, oppignorando bona sua, vel adducendo vadem idoneum. Ita cavet Edictum Würtembergense (b).

In

(a) An. 1699. (b) In Edict. an. 1714. n. 14.

99. In eo vicissim ipsi consulitur, quòd præstitam ab eo satisfactionem nemini liceat in pejus interpretari, aut pro ignaviæ nota accipere. Qui exprobrare auderet, similem pœnam deberet subire. Ita CAROLUS XI. Succiæ Rex (a). Conclusum autem Imperiale, & *Resolutio* LEOPOLDI Cæsaris (b) severiùs cum ejusmodi agit, qui veniam proterviæ petere debuit. Vetant, ne sine gravi causa reservetur honor revocantis, neque locus detur notis *cautelis Juris*, quibus *per indirectum* infamia evitari solet, pœnis ipsi Judici intentatis, si, cura malè impensa, indigni hominis honori consultum iret. Meo judicio severa hæc lex eum petit, qui petulanter, graviter, & manifestè alterius honorem læsit. Ubi autem dictum ambiguum cuiquam excidit, quod mitiorem facilè explicationem admittat, rectè reservatur honor explicanti. Novissimum Edictum Coloniensis Electoratûs famam servat revocanti, nisi delictum sparsisset, quod de Jure post se trahit pœnam corporis afflictivam.

100. Ne quis verò post illatam injuriam, subdolè se subducendo, justitiæ manus eludat, cavit EBERHARDUS LUDOVICUS Würtembergensis Dux, ut absentis nomine veniam precetur apparitor. Ipsum lictorem substituit CAROLUS Marchio Hasso-Casselanus. Citari tamen antè debet, &, si extero Principi sit subditus, hujus implorari justitia. Vide etiam Ordinationem Saxonicam N. 107.

101. Ex his satis liquet, læso ad tuendum honorem neutiquam necessarium esse provocare ad duellum. Vel enim submissè ab eo lædens petiit veniam? & utique triumphabit: vel injuria, quam sibi illatam credidit, modica erat, imò non nisi ex sinistra interpretatione in malam partem acceptum est dictum, aut factum? tunc utique data coram judice declaratio plenè eum purgat. Non video, quid ipse vel alii, si vel mica honestatis ac prudentiæ supersit, ultrà exigant. Certè qui offenso post totam hanc satisfactionem datam exprobrare adhuc ausi fuerint hærentem aliquam notam, ex mandato Serenissimi nostri Electoris Bavari compellentur ad petendam veniam, & tum exauthorabuntur. Et quæso, quomodo injuriam passus jam duellum inibit cum illo, qui cum nota *infamiæ* exauthoratur?

I 3 vel

(a) In Edict. an. 1682. (b) An. 1668.

vel qui *non reſervato honore* veniam compulſus eſt petere, & miſſionem accipit? & hunc ipſum in finem, credo, tum in Concluſo Imperiali, tum in Bavarico Reſcripto honor non reſervatur. Nec eſt, cur læſus timeat, ne domi purgatus, alibi terrarum cum turpi nota appareat, modò enim de petita venia, aut recantatione ſatis conſtet, ubique habebitur purgatus. Si nihilominus data hac ſatisfactione quis placari ſe non fineret turbidi ingenii homo, ad carcerem detrudendus erit, donec ei mens ſanior veniat. Ita Edictum Colonienſe. In eo ſolo rei cardo vertitur, ut Principes, & Magiſtratus ſaluberrimis his conſtitutionibus firmi inhæreant, id quod alibi multo argumentorum pondere eis commendabimus. At dolendum, quòd non rarò efferi homines, ſui ex accepta injuria impotentes, rejecto omni moderato conſilio, nihilominus, ſpreta ſacra Themide, provocent ad pugnam, litaturi exulcerato animo. Tunc enimvero quæſtio de provocato oritur, qua ratione hic ſalvo honore enatare valeat. Videndum, quid prudentiſſimi Legislatores in ſuis Edictis præſcripſerint.

## §. V.

### Studia Principum ad elidendam neceſſitatem comparendi.

102. *Provocatus non condicat.*
103. *Deferat provocantem Judici.*
104. *Nec quisquā hoc ei vertat probro.*
105. *Judex provocanti, punire quem debet,*
106. *Præcludat fugam.*
107. *Si elabatur, procedat nihilominus.*
108. *Sic neceſſitas comparendi tollitur.*
109. *Incaſſum opponitur 1mò provocatum inutiliter compellare Judicem:*
110. *Præſertim militiæ, ubi integra legio turbas ciet.*
111. *Fruſtra opponitur 2dò, hæc ſtudia ſolùm valitura pro provincia Principis judicantis,*
112. *Nec profutura ei, qui provocatur apud exteros.*

102. PRovocatus, ſive vera injuria alterum exacerbaverit, ſive non; prohibetur parere provocanti: ſpondeat ei potiùs, ſe in judicio dicta probaturum, vel etiam ſatisfactionem præſtiturum, ſi ita judicibus viſum fuerit. Ita inter alia Edictum Würtembergenſe.

103. Quin FRIDERICUS AUGUSTUS, Rex Poloniæ, & Saxoniæ Elector jubet cum aliis, ut provocatus absque mora denunciet delatam ſibi

pugnam,

pugnam: ſecus ſubiturus dimidio anno carcerem; quamvis non condixiſſet. Neglecta autem non tantùm denunciatione, ſed etiam acceptata charta provocatoria, puniendum ſtatuunt, acſi pugnam ipſam commiſiſſet; vel æquali ſaltem pœna cum provocante, ut decernit MAXIMILIANUS EMANUEL Elector Bavariæ. (a)

104. Nec quiſquam audeat provocato exprobrare, quòd denunciando morem gerat legibus. Ita importunè cavillantem iisdem pœnis ſubiiciunt, quas ſtatuunt in provocantem Concluſum Imperii, ac Edictum Würtembergenſe. Megalopolitanum decernit petitionem veniæ, & carcerem biennalem. Multo minus provocans provocato vim auſit inferre, baculo, gladióve percutere, ſecus incurſurus pœnam capitis, juxta Edictum Lotharingicum.

105. Provocatione denunciata Judici, id imprimis agitur, ut congrua pœna provocans afficiatur. Primo enim loco crimen provocationis caſtigandum eſt, quæcunque dein offenſa ei cauſam dederit. Pœnas varias à variis legislatoribus decretas recenſebimus *Cap. IX.* quas longè graviores eſſe patebit, ac hodie à multis Magiſtratibus, plus æquo indulgentibus, infligantur. Tum primùm examinabit Judex, num, & qualem injuriam provocatus provocanti intulerit: an etiam pro hac debeatur pœna, vel ſatisfactio. Actionem autem ipſi provocanti inſtituere non licet juxta edicta complura, & ex rationibus æquiſſimis, de quo *Vid. n. 525. caſ. 9.*

106. Ne verò provocans facilè fuga ſe pœnis ſubducat, Concluſum Imperii prohibet, ne tali homini equi curſores in ſtationibus *Poſtarum* dentur. Ex fuga retrahere laborat Edictum Saxonicum.

107. Si nihilominus evaſerit ex territorio Principis, citabitur *edictaliter*, vel more militari. Si ſe non ſiſtat, patria ad decennium interdicatur, affixo ſuo nomine in furca publica. Si exteræ poteſtati ſit ſubditus, requiretur, modo, quem legere eſt in Edicto Saxonico & Megalopolitano.

108. Hæc ferme ſunt, quæ ſapientiſſimi Principes ac Reges ſtatuêre in bonum provocati. Quibus obſervatis nemo provocatus neceſſe habebit in duellum condicere; quòdſi enim veræ injuriæ, alteri illatæ, non ſibi conſcius ſit, cur horreat Magiſtratum, clàm ſaltem & per alios monere de vi, quam provocans parat ob crabrones, ſuo excoctos in cerebro?

certè

(a) Edict. an. 1720.

certè id per leges facere obligatur. Quòdsi autem alterum à se esse læsum deprehendat, difficilem, fateor, spartam habebit. Nam pugnare non licet: causa autem ad tribunal delata, vapulabit ob datam injuriam; quamvis non admodum graviter; eoquòd provocans jure ad satisfactionem jam exciderit, *vide n.* 105. nisi fortè *calumniam*, aliúdve *mendacium* dixisset; hoc solum in judicio manifestatum, non levibus malis dicentem involveret. At ex æquo tunc offam debebit comedere, quam sibimet intrivit. Interim patet, duellum non esse necessarium; neque enim necesse est provocare; nam si non es læsus, cur provocas? si verè te læsum existimas, judicem adi. Nec necesse est provocationi parere; nam si provocatus bene sibi sit conscius, declinata pugna causam committat judici: si malè conscius, ad læsum pertinet querelam deferre in judicium.

109. Oppones imò, quacunque ratione Magistratus edoceatur, vel imploretur: quacunque industria controversiæ intercedere laboret, nunquam provocato timiditatis notam absterget, utpote quam hic sibi inussit confugiendo potiùs ad judicem, quàm ad gladium. Et etiamsi judex, non monitus à provocato, *ex officio nobili* intercessisset, vel intercessisse crederetur; non tamen acquiescerent nobiles, ac militares viri, sed ex suis circulis excludere pergerent non acceptantem duellum: id quod multò magìs tunc fieret, si quid scirent, vel suspicarentur de asylo, clàm quæsito apud Magistratum. ℞. Mirum, si usque adeò progrediatur morum corruptela, ut infamis habeatur, qui molestè provocanti spondet, se in judicio vel demonstraturum suam innocentiam, vel fidem facturum eorum, quæ de ipso dixerat? Ubinam gentium inter probra reputatum fuit, si quis demonstrat, neminem à se fuisse offensum: vel veritate niti, quod pro calumnia accipitur? si insuper Magistratus talem omnis malæ notæ expertem pronunciet, & ab omnibus expertem haberi jubeat, num vir prudens refragari ultrà valeat? num quem supremus Princeps ad aulam, ad alloquium suum admittit, dedignentur protervi quidam subditi?

110. Facilè mihi dabis, opinor, sanæ rationi conforme esse ùt quàm maximè, provocato ita purgato nihil ultrà tricarum movere. At obtinuisse jam malesani gregis judicium causaberis, vecordiæ damnantis eum, qui ferreum sibi jus veretur dicere gladio. Principem, & Magistratum parum contra multitudinem valituros, militiæ præ-

præcipuè, ubi quandoque integra legio arma ponit, donec amoveatur, qui offendiculo est, vecors homo. Integra, ùt video, legio te terret, arma positura antè, quàm militatura cum socio obediente legibus? ponat: ergo manumittatur, quid tum? crede, intra paucas hebdomadas redibunt ferme Duces omnes, gratiæ loco habituri, si in antiquum gradum reponantur, miles autem gregarius vel huic causæ se parum miscet, vel soluta legione aliis inseri legionibus poterit, vel dimittes magis refractarios. Dein neque hoc time, ne discedant Duces omnes. Dic, sodes, ubi ea animorum in integra legione consensio? ubi eæ singulorum fortunæ, ut universi loco suo decedere, dignitate & sustentatione se exuere, & alibi terrarum incertas spes sectari malint, quàm Principi, seriò imperanti, parere? murmur concitari poterit & tumultus; at dum singuli in jus vocati interrogantur, quo animo sint, vix unus & alter hiscere audebit. Obstrepentibus detur missio, substitutis aliis, & si qui turbas cieant contra substitutos, dentur custodiæ, quam in sexennium decernit Edictum Coloniense: vel ejiciantur provincia, & brevì erunt pacata omnia. Ita experientia non semel docuit.

Fuit Princeps, qui ex tumultuante ejusmodi legione non nisi duos, separatim ad Senatum bellicum vocatos, interrogari jussit, an dijudicata jam causa acquiescere velint, nec quidquam posthac commilitoni exprobrare? respondebant hi, se quidem imperata facturos, si reliqui quoque Duces essent consensuri. At instabant judices, imperabántque, ut absque effugio, & ambagibus vel annuerent, vel abnuerent. Id cùm suo honori adversari dicerent, dimissi sunt illico, & intra triduum jussi purgare provinciam, incassum quiritantes, etiam alios navigare in eadem navi, cur ipsi soli plecterentur. Post hebdomadam circiter, vocati alii duo ad eandem quæstionem dum eadem reponunt, eodem modo dimissi tantum terrorem in alios diffudêre, ut nemo auderet vel hiscere posthac. Prudenti sanè consilio separatim vocati sunt in Jus, & mulctati per intervallum temporis; faciliùs enim flectimus arundines singulas, quàm collectas in fascem: & feliciùs avertimus undas venientes per intervallum, quàm irruentes conferto agmine.

III. Oppones secundò: hæc studia quidem valitura intra Provinciam, cui Princeps Jus dicit: vim nullam habitura extra ditionem suam apud exteros. Ajo, si illi exteri suis quoque legibus inhæreant (vix enim ulla

gens Europæ est, quæ contra duellum mandata non condiderit) ubique erit securitas. Satis interea sit Principi, quòd suam provinciam insano hoc pugnandi genere purgârit. An rarus quidam casus possit emergere, ubi nec Principi impedire, neque provocato duellum evitare integrum sit, alibi examinabimus.

112. Quæres denique, si quis non domi suæ, sed in regione extera provocetur, quid ei opis ferre poterit Princeps suus? Percipe, mi bone, quid FRIDERICUS WILHELMUS Rex Prussiæ statuerit. (a). Ne cura honoris, ait, omnino à nostris negligatur, nostríve Duces militares excludantur societate, & commercio æqualium, monemus quidem iterum, iterúmque nostros quoscunque, ut, dum extra regni nostri fines cum aliorum Principum subditis eis agendum, vel in castris, vel in hybernis, vel ubicunque locorum, diligenter sibi ab omni altercatione, conviciis, ac duellis caveant. Si nihilominus ab ejusmodi, qui nobis non subsunt, extra fines nostros protervè, & nulla data causa, in honore suo læsi fortè ad duellum inducantur, pœnas duelli, à nobis statutas, non ferent, nisi cædes patretur, quæ juxta Jus commune punienda erit, ne sanguis humanus inultus maneat.

Crediderim ego, æquissimum Regem pro eo casu neutiquam duellum probare: sed solam pœnam suspendere, id quod Jura sæpius faciunt in criminibus variis; neque tamen prohibere, quo minùs à Magistratu loci plectantur, ubi ratione delicti forum nanciscuntur, saltem si privati ibi degant.

Finio totius Operis mei Articulum utilissimum, quo sicuti solidè demonstravi, duellum non esse necessarium ad tuendum honorem, ita precor, ut vel consilia Doctorum, vel curæ summorum Principum optatum sortiantur effectum.

## ARTICULUS II.

### *Duellum est ineptum ad tuendum Honorem.*

HOnorem, quem læsum existimant contumelia, aut rejecta provocatione periclitari, ut servent Monomachi, duellum subeunt. Hic finis est, quem sibi præfigunt: hic scopus ad quem collimant. Duellum ad

(a) Edicti sui §. 3.

ad hunc finem consequendum non esse necessarium, jam demonstravimus. Nec satis hoc est, ajo, etiam ineptum esse, nec ulla re minùs, quàm duellô honori consuli. Ratio gemina est. Primò, quia duello probrum non tollitur; sed secundò potiùs augetur.

## §. I.

## Duello probrum non tollitur.

113. *Posset negari, quòd alterius convicium probro tibi sit:*
114. *Et si sit, duello probrum non tolli, ratio dictat.*
115. *Nisi desipere, ut veteres Monomachi, velimus.*
116. *Casus unicus excipitur, qui tamen non obest.*

113. INprimis meritò posset negari, alterius convicio, aut maledicentia quidquam tuae existimationi fuisse detractum. Dogma est, pridem à prudentibus adoptatum: ***Vera laus ab eo dependet, quod ego ago: non ab eo, quod alii erga me agunt.*** Falsò ergo Monomachi censent, tum maximè honorem naufragari, dum malum viro probo imputatur. Miserum me, si cuilibet pro libidine sua integrum sit auferre mihi bonum, quod sicut est prae omnibus pretiosum, ita clavibus, & seris custodire ego non valeo. Si ita est, tunc verus honor nunquam dependebit à vita proba, ac morum honestate: sed à calumniatoris corrupto cerebro, ac maligno dente. At quae isthaec aequitas! fors ad tetricam Philosophiam haec sensa ablegas? at hoc ipsum magnorum Principum judicium pridem fuit. CHRISTIANUS ERNESTUS Marchio Baruthanus (a): Errant, ait, qui existimant, viro probo, ac egregio quidquam aliena maledicentia de honore detrahi. ERNESTUS Dux Saxo-Gothaicus (b) his verbis suam mentem declarat: licèt adversario tuo verba quaedam exciderint cruda, aut ignominiosa, nihil inde tibi damni vel in membris, vel in honore infertur; siquidem neutiquam existimandum, in cujúsque hominis privati potestate situm esse, voce petulantiore existimationem laedere, quae sicut laudabilibus tuis factis parta est, sic non nisi turpibus factis tuis potest



(a) In Edict. contra Duell. an. 1699. (b) In Edict. contra Duell. an. 1646.

pessumdari; secùs penes unius lurconis illorum os staret, integras Communitates unica horula honore, ac laude sua spoliare. Sanè rationi quàm maximè consentanea sunt hæc prudentissimorum Principum effata. Ut quid ergo armis quæritur, quod non fuit deperditum? ineptus utique conatus exseritur.

114. At demus, verè à conviciatore labem fuisse honori impactam; num abstergendam hanc credis temeraria pugna? nequaquam. Audiamus Illustrem Wolfium: Duellum, ait (a), non est modus aptus ad controversiam decidendam, aut famam tuendam. Alibi (b): qui alterum interficit, vel corpus ejus quomodocunque lædit, hoc ipso famam, & existimationem suam minimè defendit, quod sic demonstrat: „ Qui famam alterius lædit, infamiam alteri aspergere conatur: consequenter „ id agit, ut communis sit de eo hominum opinio, quòd is quibusdam „ vitiis sit deditus, quibusdam imperfectionibus laboret, & virtutibus careat: consequenter ut minoris, & nihili fiat tanquam indignus honore. „ Quòd si ergo famam, & existimationem defendit, id agere debet, ne „ alii fidem habeant famam suam lacessenti. Enimvero, quòd alterum interficias, nemini persuadebis, falsa esse, quæ de te spargit. Patet itaque famam, & existimationem minimè defendi, quòd alterum interficias, vel ejus corpus quomodocunque lædas. „

Si juxta hæc principia rem attentiùs considero, Monomachos deprehendo in Dialectica maximè esse rudes, eo quòd ex duello commisso ineptissimam consequentiam deducant. Exprobravit Titius Cajo admissam in lusu turpem fraudem. Purgavit se Cajus duello, *ergo* jam Cajus, à fraudis suspicione absolutus, pro viro honesto habendus erit? quis obsecro hic rerum nexus: *Cajus pugnavit, ergo non decepit Titium?* si diceretur: *Cajus pugnavit, ergo injuriæ impatiens fuit: ergo timuit, ne vapularet ùt deceptor: ergo novit tractare gladium: ergo non horruit committere discrimini corpus, & animam: ergo leges Ecclesiasticas, & Civiles violare est ausus.* Hæc enimvero legitima esset consecutio: at pugnet ille per me centies, necdum soluta erit illa quæstio: *an in lusu deceperit.*

Fer-

(a) De Jur. Nat. P. 5. §. 1092. (b) P. 1. §. 1035.

Fernandus laudi sibi tribuebat, quòd legionem equestrem sibi commissam, ad omnem militaris disciplinæ apicem perfecisset. Hoc ùt inanem jactantiam explodebat Leander. Provocatum itaque est ad manuales sclopos; pugnatum est. Et quid postea? num ideò legio illa bene composita, atque exercita fuit? qui coràm inspexerint, judicent: alii judicium suspendunt. Quid ergo Fernando duellum hoc tribuit? feralem, ais, glandem non extimuit. Sed neque extimuit Leander. Uterque dicti sui veritatem duello firmare laboravit, penes quem ergo stat veritas? num Fernandus vanus jactator: vel num Leander iniquus obtrectator audiet? si indecisum hoc manet, quî, obsecro, honor Fernando redit? Fernandus imputatum sibi probrum inultus non tulit: ergo falsò ei imputatum esse ais? at etiam quibus verè imputatur probrum, patienter id non ferunt, imò impatientiùs ferme ac alii, hinc *usu propemodum evenit*, teste Wolfio (a), *ut hoc ipsum judicium malæ conscientiæ habeatur, si quis valde exacerbetur: dum ex adverso conscia mens recti famæ mendacia ridet.*

115. Timeo, ne cultissimo hoc sæculo recidamus in barbariem illius retro ætatis, quæ duellum in judicium adscivit ad decidendas lites dubias. Vitio damus majoribus nostris, quòd à duelli exitu causam judicaverint. Hodie de causa judicare non veremur, & absolvere accusatum, *quiscunque* pugnæ exitus fuerit: pugnavit, dicimus, ergò est vir egregius, civis honestus. Majores nostri Numen præsidere duellis arbitrabantur, eáque temperare in favorem justæ causæ. Nos Numen à duellis abesse, iísque offendi credimus: nihilominus plus in iisdem momenti reponimus, quàm in quibuscunque sententiis, ac declarationibus summorum Principum. Quanta hæc in judicando barbaries!

116. In unico ego casu argumentationem monomachorum cohærere cum legibus dialecticis video, tunc nempe, si exprobratum nimium vitæ amorem, aut timiditatem suscepto duello quis confutet. Hìc saltem non adeò ineptè concluditur: *duellum iniit: ergo vitæ, lethíque contemptor ultimum discrimen non horret.* At cùm hæc nuda timoris exprobratio rara sit, nisi ex alia offensa, aut altercatione nascatur, cui dijudicandæ, sicuti & cæteris, duellum non quadrat, sua asserto meo stat veritas, quo duellum ineptum tuendo honori modum dixi.



(a) J. N. P. 1. §. 1035.

## §. II.

### Duello probrum augetur.

117. *Quia duello divulgatur objectum crimen.*
118. *Infames pœnæ sequuntur Victorem.*
119. *Vel victum teter exitus.*
120. *Unde concluditur contra errorem male receptum.*

117. QUid? quòd duellum acceptum probrum, cui abstergendo non quadrat, nimium quantum sæpe adaugeat, vel etiam nova probra adiiciat. Quod tibi convicium dixit alter, paucorum ad notitiam adhuc pervênit. Si dein progrederis in arenam, rumor diffunditur per omnia urbis compita, per provinciam integram. In causam dissidii dum curiosus quilibet indagat, suspectus habeberis, v. g. fraudis in lusu admissæ. Et pugnes licèt ad ultimum usque halitum, non tamen hanc suspicionem evelles. Sine, ut enarrem, quod historiæ exhibent ad annum, qui Ludovico XIV. primus erat regiminis (a). In frequenti circulo nobilium personarum, celebrato apud Ducem Montbazoniam, commercium Principis Longevillanæ, quod ei cum Colignio familiarius intercesserat, sermonibus carpebatur. Id quamprimum ad aures dictæ Principis pervenerat, exacerbata Guisium Ducem reum arguit ingesti sermonis. Neque contenta Longevillana, quòd Montbazonia, jussu matris regiæ, exhibito singulari honore eam placare, ac demulcere studeret, Colignio vindicandam committit, quam sibi factam credebat, injuriam. Hic itaque, ita imperante amore despotico, invitat Guisium ad duellum in foro publico ineundum. Sed adeò malè ab eo excipitur, ut ex acceptis vulneribus, paucis pòst diebus extinctus miser amandi, & vivendi finem fecerit. Illico fama per totum regnum non pugnam solùm, sed & pugnæ causam sparsit. Canebantur passim in triviis amores Montbazoniæ, quos antea leviter unus in paucorum consessu perstrinxerat. Ain jam, num sic duello reparata est fama? nónne potiùs acceptum probrum nimium quantum adauctum est?

118. So-

(a) Histoire de Louis XIV. L. I. p. 16. edit. à la Haye 1740.

118. Solet præterea duellum nova probra adjicere, in quamcunque partem victoria inclinet, ut dicere Monomacho fas sit:

*Vinco, seu vincor, semper ego maculor.*

Nam si vincit per cædem antagonistæ, restim, vel gladium vindicem sentiet, infami carnificis manu perimendus. Nulla quoque secuta cæde, uterque Monomachus morti adjudicatur vi Edicti Bavarici, Coloniensis, Brandeburgici, Bipontini, Baruthani &c. *Vid. Cap. IX.* Præter capitale supplicium bona addicuntur fisco Regio per Edictum LUDOVICI XIV. in Galliis. Item ALBERTI, & ISABELLÆ in Belgio (a): nec non Regis Sardiniæ (b). Diuturnum saltem carcerem cum privatione omnium dignitatum statuit Edictum Saxonicum, Palatinum, Brunswicense, Megalopolitanum, & cætera propè omnia. Quid ad honorem victoris Monomachi posset esse gloriosius? fuga se his pœnis subducat? vagetur itaque, errétque miser per terras exteras: dicat pro more, creatum sibi fuisse negocium (c) in patria. Si suus Princeps satis langueat in investigando, ac persequendo, modicam tamen ipse sibi fabricabit fortunam in exilio.

119. Quòdsi in pugna victus herbam porrigat, gravi relato vulnere, tota fortè vita sentiet plagam non satis sanatam, præsagam præ omni barometro mutandæ tempestatis. Frendebit ipse, quod succubuerit, ridebit in sinum antagonista: alii judicabunt eum fuisse imparem ferendæ injuriæ, & fors reapse reum imputati probri; Princeps si justus sit, afflicto pœnas addet. Quòdsi etiam animam in duello efflet, horrore percellentur omnium animi non dubitantium, miserum jam cum Plutone cœnare. Carebit exequiis, parentabit ei solus carnifex, cadavere procul à Christianorum cœmeteriis abjecto ad sepulturam asinorum. En honorum apicem, ad quem tandem ascendit ambitiosus Monomachus.

120. Nemo, credo, est adeò bardi ingenii, corruptíque judicii, ut non duellum de se, & *ex natura sua* ineptum judicet tuendo honori. Sic est, dicet Monomachus, *ex natura sua ineptum* est; at ex persuasione vulgari, & prævalente hodie usu maculam abstergit cruenta hæc spongia, vel ne aspergatur, cavet. Ita institutum est *ex placito hominum*, cui si ratio

non

(a) An. 1624. apud *Maurit.* de Duell. (b) An. 1723. *Lunig.* Corp. Jur. Milit.
(c) Une affaire.

non subest, saltem experientia suffragatur. Bene habet, teneo, quod volo. Aptum de se duellum non est optato fini: est tamen ex culpa, & vitio hominum eorum, qui usum pessimum rectæ rationi præhabent. Dimicatio itaque est signum servati honoris *ex puro placito*.

Eccur autem aliud mitius signum statuere non placet? cur non amico amplexu jubetis diffidentes redire in gratiam? signum hoc esset humanitati conformius. Cur non sententia judicis statis? signum hoc esset multo æquius. Sed nempe insanire lubet: nec pudet insanire cum multis. Ego sapientibus scribo, vel sapere desiderantibus: si pereant in suo morotrophio, qui helleborum non admittunt, absque mea id culpa fiet.

## ARTICULUS III.

### *Duellum non est argumentum veræ Fortitudinis.*

INveteratam hic opinionem ex multorum animis evellere contendo, dum duello abrogo fortitudinis laudem. Quamvis pseudo-legem malè introductam ùt plurimùm fateantur: cum tamen fortibus viris accensere non dubitant, qui, neglecta Magistratuum authoritate publica, jus sibi vi armata dixerit. Evomat licèt in conflictu animam, & infami tumuletur manu: fortiter saltem occubuisse ajunt infelicem honoris sui vindicem. At demonstrandum jam, quòd hanc qualemcunque laudem immeritò sibi arrogent.

Duellum non esse argumentum veræ fortitudinis testatur I. Idea, quam sapientes fovent de fortitudine. II. Experientia. III. Ratio. IV. Oracula Principum.

### §. I.

### Duellum non esse argumentum Fortitudinis, testantur Sapientes.

121. *Genuina fortitudinis idea.*
122. *Non convenit duello,*
123. *Juxta chorum sapientum.*

121. QUænam ergo est illa idea, quam sapientes fovent de illa heroum virtute, de Fortitudine? teste Wolfio (a) vocabulum *fortitudo* non sumitur ab omnibus in eodem prorsus significatu; sunt enim nonnulli,

(a) J. N. P. 1. §. 600.

nulli, qui hanc virtutem ad solam fortitudinem bellicam restringunt, quasi militibus propriam. Sunt alii, qui eandem ad fortunam utramque æquo animo ferendam referunt, adeóque à patientia non satis distinguunt. Sunt denique, qui eandem circa terribilia, & ardua versari opinantur. Præcisam itaque daturus ideam ait: *Fortitudo est virtus, quæ moderatur metum, quo minus eodem adducamur ad faciendum, quod non facere: & non faciendum, quod facere tenemur.* Unde *fortis* dicitur, qui metu periculi imminentis sese adduci minimè patitur, ut faciat, quod non facere debebat: vel non faciat, quod debebat facere. Econtra *timidus* dicendus est, qui levis etiam periculi metu se adduci patitur, ut faciat, quæ facere non debebat: aut non faciat, quæ facere debebat. *Audax* erit, qui nulla obligatione urgente pericula subit. Conformia sunt hæc doctrinæ Aristotelis, qui fortitudinem ait esse mediocritatem circa metum, & audaciam (a). Qui fortis verè est, nec temere audet, nec inconsultè timet (b).

122. Exinde fluit, Monomachum *audacem* esse; quia pericula corporis, & animæ subit, nulla obligatione urgente. Ad injuriam repellendam si obligatum se credit, vias licitas ineat, Articulo I. hujus Capitis recensitas. Obligatio ad duellum nulla, nisi ad evitandum; quia pseudolex hæc omni Jure proscripta, turpissimis confixa notis, ligare neminem valet.

Sub alia quacunque ratione *timidus* dicendus est Monomachus; quia metu levis periculi, ne scilicet apud iniquos rerum æstimatores contemptum sibi consciscat, adduci se patitur, ut faciat, quæ facere non deberet, scilicet ut confligat; & non faciat, quæ facere debebat, scilicet vel contemnere injuriam, vel vindictam committere Judici. *Fortis* ergo jam dici nequit, dum *timiditatis*, & *audaciæ* vitio se obstringit.

123. Fuit hactenus is unanimis Sapientûm sensus, hominúmque bene moratorum, tanto magis valiturus; quòd virtus, & vitium plerumque ex prudentum judicio dignoscantur: quidquid contra blaterent alii. Aristoteles ait: Vir magnanimus in honoribus, & ignominiis maximè spectatur: ignominiam, atque infamiam contemnet; quia in eum cadere non potest (c). Alibi (d) docet, eum fortitudinis laudem mereri, qui

 adit

(a) 3. Ethic. c. 6. (b) *S. August.* in Epist. ad Hieron. 167. aliàs 29.
(c) 4. Nicom. 3. §. 33. & 37. (d) Ethic. 3. c. 7. & 8.

adit pericula: ſed ea, quæ ſunt honeſta, in quibus poteſt aliquid laude dignum præſtare pro patria, bono publico, proximíve utilitate. Qui adit pericula cum conſilio, & ratione, hoc eſt, modo, loco, quo & quando oportet, omnia agens honeſtatis, non explendæ ſtolidæ paſſionis cauſa. Idem SENECÆ eſt judicium dicentis: Puſilli hominis eſt, & miſeri, repetere mordentem ùt mures, & formicæ (a). Idem LACTANTII: Fortitudo, ſi nulla neceſſitate cogente, aut non pro cauſa honeſta periculum ſubierit, in temeritatem convertitur (b). JUSTINIANUS Imperator (c), nec fortitudinem, inquit, laudabimus, quæ non eſt cum juſtitia, & ſi quis ab ea juſtitiam ſubtrahat, delictorum ſolummodo, non bonorum fiet occaſio. Juvat etiam GROTIUM adducere (d), qui talem fert injuriam (de accepta alapa ei ſermo eſt, qua inflicta, qui dedit, fugit) is patientem ſe excellenter oſtendit, atque ideò honorem magìs auget, quàm minuit. Contrà quidem ait VITRIARIUS, quòd hanc GROTII Philoſophiam mos vitæ civilis non ferat; neque propterea excellenter patiens cenſendus ſit; quia quævis ferre à quovis virtus non eſt. At nunquam dixit GROTIUS, *quævis à quovis* eſſe ferenda, utique Eutrapelia cuique virtuti eſt neceſſaria. Liceat etiam PUFENDORFIUM addere, inter alia dicentem, majorem enaſci honorem ex celſo animo injuriam aſpernante, quàm ex illo Neoptolemi apud CURTIUM: *Emoriar potiùs, quàm ut nomen ignavi feram.* Unde apud PLUTARCHUM Antigonus Pyrrho provocanti repoſuit: *Pyrrho, ſi vitæ pæniteret, multas patere ad interitum vias.*

MASENIUS (e) refert, Lacones, qui inter Græcos fortitudine ferme eminuêre, Deos inter ſolemnes preces compellâſſe, ut ad ferendas injurias vires largirentur; quòd ſine hoc beneficio ſe minimè viros, ad magna idoneos, futuros crederent. Hinc proverbio *Spartana virtus* celebratur. De Hercule teſtatur PLUTARCHUS, quod convicia ùt muſcas contemnere ſit viſus. Quòd ſi tres celeberrimas ſectas Philoſophiæ Moralis, Epicuream ſcilicet, Stoicam, & Peripateticam luſtremus, nullibi vindicationem injuriæ fortitudinis titulo honoratam conſpiciemus, utpote adeò reprobatam ab omnibus, ut, ſi parvulus ex ſchola morali redux eam laudâſ-

(a) L. 3. de Ira. c. 34. (b) L. 6. Divin. Inſtit. c. 14. (c) Novel. 69. pr.
(d) De J. B. & P. c. 1. §. 10. (e) Utilis curioſit. c. 10.

laudâsset, haud dubiè ferulam fuisset censurus Argivi Patris (a). Ad Romanos si progredimur, Marcum Catonem habemus (b), cui dum in foro causas agenti Lentulus adversarius attractam pinguem salivam in faciem exspuisset, abstersit ille, velut à sudore faciem, dicens: affirmabo omnibus, falli eos, Lentule, qui te negant os habere; habebatur siquidem vulgò pro indiserto.

Et ut apertiùs de duello loquentes audiamus, Cajus Marius, Imperator exercitûs, cùm ipsum Cneius Pompejus itidem Imperator, ad singulare certamen provocaret his verbis: si magnus es Imperator, ô Mari, descende in certamen, retudit fastum his aliis verbis: imò tu Pompei, si magnus Imperator es, coge me vel invitum decertare. Ita etiam Augustus Antonio provocanti reposuit, alias sat multas patere ad interitum vias. Alios nobis geminos admirandos exhibet Cæsar (c), qui militiæ gravissima æmulatione collisi, quomodò fortitudinem alter alteri comprobaverint, accipe. Erant in legione fortissimi viri centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulfio, & L. Varenus. Ii perpetuas controversias inter se habebant, uter alteri anteferretur, omnísque anno de loco summis simultatibus contendebant. Ex iis Pulfio, cùm acerrimè ad munitiones pugnaretur, *quid dubitas*, inquit, *Varene? aut quem locum probandæ tuæ virtutis exspectas? hic dies, hic dies de nostris controversiis judicabit.* Hæc cùm dixisset, procedit extra munitiones, & quæ pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. Ne Varenus quidem tum se vallo continet, sed omnium veritus existimationem, subsequitur, mediocri spatio relicto. Pulfio pilum in hostes mittit, & unum ex multitudine procurrentem trajicit: quo percusso, & exanimato, hunc scutis protegunt hostes, & in illum universi tela conjiciunt, neque dant regrediendi facultatem. Transfigitur scutum Pulfioni, & verutum in balteo defigitur. Avertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum; impeditúmque hostes circumsistunt. Succurrit inimicus illi Varenus, & laboranti subvenit. Ad hunc se confestim à Pulfione omnis multitudo convertit: illum veruto transfixum arbitrantur. Illic

 verò

(a) Scienza Cavalleresca c. 2. c. 5. (b) Apud *Masen.* loc. cit. (c) Lib. 5. de bello Gall.

verò occurſat ocyùs gladio, cominúſque rem gerit Varenus: atque uno interfecto, reliquos paullum propellit. Dum cupidiùs inſtat, in locum inferiorem dejectus concidit. Huic rurſus circumvento fert ſubſidium Pulſio: atque ambo incolumes, multis interfectis, ſumma cum laude intra munimenta ſe recipiunt. Sic fortuna in contentione, & certamine utrumque verſavit, ut alter alteri inimicus auxilio eſſet, ac ſaluti.

## §. II.

### Duellum non eſſe argumentum Fortitudinis, fulcit experientia.

124. *Dantur occaſiones aliæ demonſtrandæ fortitudinis:*

125. *In quibus deficere ſæpe viſi ſunt Monomachi.*

124. NOtate Monomachi verba illa primùm allata, heroe digna Pulſione: *Quid dubitas, Varene, aut quem locum virtutis probandæ exſpectas? hic dies, hic dies de noſtris controverſiis judicabit.* Tunc ergo & vos armis veſtram fortitudinem probate, dum dimicandum erit pro patria. Interim, premendo impetus exulcerati animi, nomen fortium aucupamini. Majores veſtri, ô Nobiles palæſtritæ, generis ſui dignitatem non hujusmodi duellis nacti ſunt, quibus Mandata Principum refractarii everterint. Nec ergo vos ad fortitudinis laudem per hanc viam graſſari decet. Certè quantumvis nobilitate generis excellatis, indigni eſtis, qui aliis regendis præficiamini, quamdiu in vobismet ipſis efferatæ iræ impetum regere ignoratis, aut debitam legibus Principum reverentiam præſtare. Oggeretis fortè, occaſionem vobis in promptu non eſſe oſtendendæ cum Vareno fortitudinis; neque enim ſingulos dies aſſultum, & prælia offerre.

125. At vereor, ne multi veſtrûm, quibus tota magnanimitas in ore reſidet, occaſioni deeſſent, ſi hæc adeſſet. Ne de calumniandi libidine me arguatis, Roquesius vobis canat mei loco (a): "Erramus, ait, ſi „ credamus plus animi ineſſe duelli ſectatoribus, quàm iis, qui veneratione „ in Deum, & Regem ducti, duella recuſant. Quoties notati ſunt thra„ ſones illi toti expalleſcere, dum vel aſſultum tentare, vel hoſtium cuneos

(a) Reflexions morales ſur le Duel. §. 85.

neos perrumpere jubebantur. Quoties inter fugitivorum imbellem turbam sunt deprehensi? Nec mirum; duellum subire audent, eò quòd prævalere se Antagonistæ armorum tractatione confidant. At dum incedendum supra solvendos jamjam cuniculos, contra irruentem globorum nimbum, tunc sanè apparet, quisnam vitam pro causa publica generosè contemnat. Nec quis existimet, hæc, in Musæo excogitata, experientia destitui; testes habemus rei peritissimos. Narrat FOLARDUS vir Equestris ordinis, Guisium Ducem, dum Metas contra Carolum V. defenderet, severo Edicto duella vetuisse, intentata pœna abscindendi de manu pollicis. Et hoc ad illos præcipuè pertinebat turbulentos Monomachos *, quos verè probra dixeris exercitûs, & urgente periculo, primos videbis fugam capessere. „ Ne itaque obvius quivis Monomachus fortium Heroum albo inseri postulet, eo solo titulo, quòd duellum non horreat; fors plus jactantiæ, quàm animi subest.

Memini, quod de Thrasone Vascone non illepidè narratur. In campum is condixerat, quotidianis duellis frequentem, &, ne quid generositati deesset, anteverterat statam horam. Interea dum spirans minarum obambulat, alia duo paria pugilum adventant, eo ardore congressa, ut utrinque unus herbam momorderit. Clàm geminam cædem arbitratus Vasco, horrido concussus spectaculo, modum, quo se simili periculo expediret, excogitat, à suo genio non alienum. Et en! postquam uterque interfector discessit, is perstans in arena utrumque cadaver decenter componit. Tum truci fronte deambulans, adversarium operitur. Adventantem excipit rugoso vultu, & interroganti de his cadaveribus, reponit verbis Vascone dignis, se binas has inferias pro jentaculo absolvisse. Territus alter, pedem referre cœpit: habe, inquiens, tuum tibi jentaculum, nolim ego tibi in prandium cedere. Ita nempe inanis quandoque tumor magnam præsefert speciem, & dolium vacuum præ pleno tinnit.

L 3 §. III.

* Bretteurs.

## §. III.

### Duellum non esse argumentum Fortitudinis, demonstrat Ratio.

126. *Suscipiens duellum non movetur virtute fortitudinis.* 127. *Recusans non retinetur ignaviæ vitio.*

126. MUltum scire refert, quo stimulo ad duellum adigatur monomachus; sicut enim alia quævis virtus, sic & fortitudo inclyta suam causam impellentem habet, qua absente virtus non est. Sic mercatorem, qui, sola spe lucri pellectus, sulcat maria, & tumentes frangit fluctus, fortem non dicimus, sed habendi cupidum, avarum. Econtra fortem illum Heroem prædicamus, qui per tela, per enses ruit, ubi salus patriæ vocat. Quis ergo ille stimulus, qui monomachum ad duellum adigit? ardua res est ejusmodi certamen: horret natura, quis neget? sed quid animum firmat? præceps ira, ambitio, sui æstimatio nimia, livor, aliúsve indomitus affectus animi: ita tamen, ut sociam semper operam conferat timor. Ain, timor? ita est, nisi timore ageretur monomachus, pugnam non subiret. Timet insulsa judicia hominum, timet damnum in fortunis, jacturam dignitatis, contemptum, dicteria, iniquos oculos, & quæ sunt alia ejusmodi. Eja si vir fortis est, stet infractus ad hæc omnia, nec propterea vel latum unguem à legis divinæ & humanæ reverentia discedat. Audeat, quod Martyres, etiam fæminæ, ausæ sunt. Ajo iterum: si timidus non est, cur patrata cæde, vel commisso sine cæde duello, ubi instare severam Nemesin novit, trepidus de fuga sibi consulit, vel ad loci sacri asylum properat? hem leporem! qui, postquam toties sacra loca, personas, résque fastidioso supercilio contempsit, jam intra sacra latibula trepidus se recondit. Fortis ergo non est; quia non movetur virtute fortitudinis.

127. Quàm parum autem suscipiens duellum fortis viri meretur nomen: tam parum recusans duellum ignavis accensendus est. Equidem si solus timor vulneris, necísve quemquam absterreret, minus audax, aut etiam timidus is per me diceretur, quamvis ab humana natura alienum nil faceret. At si reverentia legum, & salutis æternæ cura recusantem movet, quis, rogo, infamem ei ignaviæ notam jure tribuere ausit! obstrepat vesanorum turba, quid tum? ain, si licentia militaris aliquando pro ignaviæ

nota

nota statueret pudorem, quo quis vereretur peccare cum prostibulis? si alicubi Nobiles eum inter vecordes reputare inciperent, qui renueret haustis plenis cyathis tumulare rationem: vel eum inter avaros, qui dubitaret opes suas in mare projicere, aut extremo discrimini committere? ain, num propterea ebrietas laudanda, & damnanda sobrietas foret? num abhorrere à Venere, aut servare fortunas ignominiosum & infame facinus rectè à quoquam reputaretur? Et quæ demum, obsecro, sit illa infamia, quam ex recusato duello oriri dicunt? num *facti* illa est, vel *juris*, quærit Carpzovius? (a) non illa *juris* esse poterit; quia hanc lex irrogat ob turpe factum. Tantum verò abest, ut lex eam provocato, si pugnam detrectet, imponat, ut etiam ei adversùs provocantem præsto sit. Non etiam *facti* poterit esse; quia homines graves & honesti detrectantem non infamia, sed laude dignum censebunt. Vel num fortè ea vivimus tempora, in quibus probro vertatur revereri Deum, & Principem? ubi terrarum, an in media Barbaria versamur?

## §. IV.

### Duellum non esse argumentum Fortitudinis, confirmant Oracula Principum.

128. *Abnegant duello fortitudinis laudem;* 129. *Secus non possent prohibere.*

128. Agedum, Monomache, summos Principes in suis Edictis loquentes audiamus. Cave, contra mentem loqui ne dixeris; terrestres hos Deos arguere mendacii, monstrum proterviæ foret.

Maximilianus Elector Bavarus duellum vocat consilium temerarium, dignúmque pœnis. Atqui nec temeritas, nec pœna cum virtute convenit.

Leopoldus Dux Lotharingiæ declarat, hoc œstro percitos homines, relicta vera, & à Christianæ fidei placitis separari nescia, fortitudine, umbram sectari, quam pro idolo colant.

Fridericus Augustus Rex Poloniæ, Saxoniæ Elector, censet eos, qui carpere solent lata in duellum Edicta, animi plerumque robore destitui.

Fridericus III. Elector Brandeburgicus monomachos dicit homines temerarii & inquieti animi.

Wilhel-

(a) Pract. nov. L. 1. q. 29. n. 72.

WILHELMUS itidem Elector Brandeburgicus, morem, qui geritur his Mandatis Principum, non timidi, sed obedientis animi indicium haberi vult.

GEORGIUS LUDOVICUS Elector Brunswicensis duello omnem virtutis laudem adimit, ob turpes ejus natales, compotationem scilicet & lusum, ex quibus nulla unquam virtus pullulavit.

ERNESTI Ducis Saxo-Gothaici verba sunt maximè notatu digna: falsa persuasio est, ait, provocato quidquam de honore detrahi, si comparere detrectat. Mascula virtus est magnaminitas, non irruit cæco impetu in pericula, neglecta cura corporis & animæ.

Nec minùs ponderosum effatum est Comitis Hanoviæ: ne quis provocatus existimet, recusatum duellum, etiam post impleta hucusque omnia egregii viri officia, turpem notam sibi posse aspergere. Abolitam volumus ejusmodi opinionem, tota infamia in solum provocantem detorta. Heroica mens non in calcandis justis legibus, sed in defendenda patria demonstretur.

CAROLUS XI. Rex Sueciæ duellum nuncupat audax, & arrogans factum.

CAROLUS EMMANUEL Sabaudiæ Dux detestatur astutiam dæmonis, sub falsa specie servandi honoris pertrahentis homines ad divinas, humanásque leges violandas.

LUDOVICUS XIV. Rex Galliarum, dum monet, ut amicè componantur dissidia, ait: hoc magis esse conforme vero honori, quàm dimicationem utcunque cruentam.

Postquam hæc ex Edictis excerpsimus, juvat addere ex THUANO (a) judicium Condæi Principis, belli, pacísque arte excellentissimi. " Monpelii mentione injecta de nimia jam tum (b) detestabilium duellorum " frequentia, cùm Isaacus Waldræus Mojus, qui cum aliis è nobilitate " aderat, ea decoris tuendi, cui vitam nobilis animus posthabere teneatur, necessitate excusaret, Condæus summa, & tanto fastigio digna " gravitate interfatur, & magno errore homines in eo decus, & veram " gloriam reponere dixit, quòd gloriæ DEI, ad quam omnia nostra con" silia, & actiones dirigere debemus, & mandatis ejus, in quorum observa-

(a) De vita Condæi L. 2. (b) An. 1582.

servatione vita æterna consistit, adversetur. Nec nisi pro patria jussu Principis, aut inculpata corporis tutela, cuiquam gladium stringere fas esse, pronunciavit, conversáque ad pastorem, qui post sedile stabat, facie, quo majorem sententiæ suæ fidem adstrueret, ab eo coram quæsivit, an salva conscientia privatis injuriis ulciscendis liceret ad certamen venire? Et cùm ille non licere, nec nisi cum certo damnationis æternæ discrimine id fieri respondisset: hoc jam constanter, inquit, tenete, & authore me, qui pro decore vestro, & gloria ultro me sponsorem, & prædem offero, illas de decore, & gloria erroneas opiniones ex animis vestris in posterum delete. „

Denique testimonia superessent Episcoporum Galliæ plusquam viginti, Doctorum Parisiensium quinquaginta trium, & Nobilium complurium, ac Polemarchorum Galliæ, spuriam fortitudinem agnoscentium in duello, quæ volenti legere peculiari codice exhibentur (a).

129. Jam duo verba Monomache. Si pro fortitudine habenda est provocatio, & acceptatio vestra, ecquid est, quòd supremi Legislatores, & prudentissimi Principes tam atris coloribus illam depingant, omnémque magnanimitatis laudem abrogent? ecquid est, quòd prohibeant, puniántque severè? num prohibere, & punire virtutem volent? si duellum detrectare infame factum est, cur, ut detrectetur, mandant, iterum iterúmque urgent? Cur Henricus iv. Rex Galliæ (quantum nomen) infames esse voluit Monomachos (b)? ludere eos fors credis, & simulare iras, aut ex ratione politica prohibere, quod in animo approbant? Næ tu ex summis Principibus turpissimos facis populorum deceptores; quin tyrannos iniquissimos, ùt qui plectant facinus, quod tacitè probant. Obstipæ naris sis, oportet, si vim hujus argumenti non persentiscas. Fatere ergo tandem, spuriam fortitudinem affingi duello; ita nos docent testimonia Sapientum, experientia, ratio, & oracula Principum.



(a) Recueil des Edits & autres pieces concernant les duels, & rencontres. a Paris l' an. 1669. (b) Apud *Schiaram* Theol. bell.

# ARTICULUS IV.

## *Duellum est crudele.*

EO licentiæ devenit detestandus duellorum usus, ut, ex arrogato velut imperio, Jura dare attentet, hominibúsque ingenuis servitutem imponere, & legem præscribere, qua nescio, an unquam crudelior ab ullo tyrannorum excogitata fuerit; imponit quippe I. Difficillima: II. Iniquissima, III. Futili sæpe de causa.

## §. I.

### Imperat difficillima.

130. *Vita exponenda est, & cum vita bona omnia:*
131. *Ipsa æterna salus;*
132. *Servata etiam vita ferenda miseria;*
133. *Ita, ut nulla lex Dei tam dura sit.*

130. QUid, edic, difficilius, quàm vitam, fortunæ bona, familiam, &c. periculo exponere, quamprimum vel frivola provocatio urget ad comparendum: vel jactum protervi hominis convicium ad provocandum? Egredi ergo debebo domo mea, fors nunquam rediturus. Tristibus oculis valedicere parentibus, uxori, liberis, & quidquid in terris charum est. Tergum obverto fortunæ bonis, fors post horam omnium possessione deturbandus. Progredior ad macellum ùt lanio, non sanguinem pecorum, sed humanum, & fortè meum effusurus. Dubiæ aleæ expono non aurum, non opes: sed quæ his omnibus potior est, vitam, cujus conservandæ contumax studium omnibus animantibus natura indidit: qua perdita, vitæ hujus bona perdita sunt omnia.

131. Et utinam exspirantium in duello vita ita extingueretur penitus, ut nulla suì parte superessent; non adeò acutus est gladius, ut etiam animam perforet. Hæc soluto corpore, quo gentium, quo terrarum abibit? nónne huic quoque triste illud propempticon occini potest, quod olim Turno, ense Æneæ conciso, MARO cecinit:.

*Vitáque cum gemitu fugit indignata sub umbras.*

In

In æstu furoris, ac rixæ calore descendet ad tartara, luitura præposteram obedientiam, præstitam maledictæ legi. Et ne quis de ruina immortalis animæ dubitet, eam inter commenta rigidæ nimis Theologiæ abjiciendo, alibi exhibebimus N. 388. quid magni Principes, acatholicis etiam principiis imbuti, hac de re censuerint.

132. Fingam tamen, me salva vita rediturum: fors vulnus feram sanatu difficile, unde nunquam integrè convalituro perpetuæ erunt ferendæ molestiæ. Sed liberalior sim: victor revertar strato hoste. Igitur erit capessenda fuga, deserenda patria, vel diuturna toleranda captivitas, quin ipsum fortè ferale supplicium, si Princeps legum suarum sit observantior. Quo dolore familiæ, charorúmque? & quo meo solatio? Mens mihi effera adeò non est, ut de humano sanguine, si mea fortè manu effundatur, non angar: horrebo measmet manus cruore tinctas: nocturnæ umbræ, tædæ furiarum, conscientiæ morsus, adempta quiete, terroribus vexabunt animum, nullum mihi posthac diem serenum daturi.

133. Hanc ingentem malorum molem intueor: nihilominus duellum subeam; quia subire crudelis lex imperat? Superi, quàm dura servitus! si Deus, cujus tamen dominatus in creaturas limites nescit, tam difficilia præciperet, quis non de jugi gravitate conquereretur? Nunc is nil desiderat, quàm ut injuriam generoso animo feramus, vel ad Magistratum saltem querelam deponamus: & hæc æquissima, moderatissima supremi Domini voluntas rejicitur, & ceu jugum non tolerandum excutitur. Econtra gregi imbecillium hominum, præscribenti duellum, curvatur genu, & in momenta exspectatur nutus, quo comparendum in arena sit; quamprimum scilicet maleferiato homuncioni placuerit convicium facere. Nempe etiam Dæmon, Numinis semper simius, suos martyres habet, qui latæ à se legi, & acceptatæ à suis, fortunas omnes unà cum vita immolent, in hoc martyribus audaciores, quòd etiam in æterna non horreant incidere supplicia, dum illi non nisi *leve, & momentaneum tribulationis* paterentur, cum æternis gaudiis illico commutandum.

## §. II.

### Imperantur iniquiſſima.

134. *Quia dimicare debet innocens,* 136. *Et quandoque contra amicos.*
135. *Cum damno charorum,*

134. QUærunt Theologi, num Judex committere duello poſſit duos mortem commeritos, ita, ut victori ſupplicium remittatur. Dicunt plerique, poſſe id licitè: diſſuadent tamen. Sed quæ nova apud nos ſcena? Non rei: ſed innocens nil mali meritus, extremo diſcrimini objicitur, ſcilicet duello. Illi dicere poterunt: *Nos quidem digna factis recipimus: ille autem, innocens, quid meruit?* Caſum unum dabo; & utinam, qui contigiſſet, eſſet unicus. Cajus, ſtimulante veteri rancore, inſimulavit coram amicis Titium de peculatu, ſeu ærario militari olim fraudato, dum alterius Principis caſtra erat ſecutus. Jacti convicii dum percrebreſcit rumor, Titius, quibusdam in ſpeciem argumentis in ſuſpicionem inductus, adigebatur gladio diluere objectum probrum, niſi vel depeculator, vel ignavus haberi velit, certè excludendus legione, in qua centuriæ præerat. Recti ſibi erat conſcius, & ab iis quoque, qui penitius virum noverant, innocens habitus: nihilominus ſatis non erat accepiſſe injuriam, etiam vitam ſuam exponere adverſarii gladio fuit coactus. Quo quid iniquius excogitari poſſit, non diſpicio.

135. Iniquè cum Monomacho agit tyrannica lex: ſed meminerit is, ſe quoque iniquè agere cum ſua chara familia, ſiquidem legi illi colla ſubmittat. Conſtituerant olim Reges Galliæ in duellum ſupplicia varia, ut nec victus, nec victor impunis abiret. Sed nil carcer, nil reſtis, nil gladius potuit. Inde permotus Ludovicus Magnus trientem bonorum, quem Monomachi uxori antea in Edicto ſuo reliquerat pro alenda ſuperſtite familia, nova declaratione (a) totum abjudicavit, noſocomiis applicandum unà cum bonis cæteris, eo fine, ut, ſi efferatos proprium exitium à duello non ſatis abſterreret, miſera ſaltem charorum ſors, & extrema pau-

(a) Declaratio Edicti an. 1711. §. 13.

paupertas retraheret potentiùs. Etsi hæc sapientissimi Regis severitas extra Galliam non vigeat: nunquam tamen occiditur Pater, quin relicta familia, præter dolorem ingens detrimentum bonorum patiatur. Et quis ille animus (Marpesiam cautem meliùs dixero) quem nec sui, nec suorum miseret!

136. Post propinquum sanguinem locum primum habent amici. Sanctum quid erat amicitia jam ethnicos inter. LUCIANUS (a) admiranda in hanc rem exempla recenset. Habet amicitia sua quoque jura, ad quæ appellare, per quæ obtestari passim amici consuevêre. Hæc sacra jura evertit pseudo-lex de duello; hac enim stante omnis amicitia, vitro fragilior, tenui pendet filo. In corona plurium fortè joco, eóque liberali, ùt credis, perstringis amicum, quocum tibi hactenus bene convenerat. Adsit ciniflo quidam, qui ei crabrones excitet, quærátve, an inultus hoc pati velit? etiam alibi spargat temere prolapsum verbum, reticens, qua id mente prolatum sit. Sint invidi, qui alterutrum vestrûm è medio sublatum cuperent, invalescet fremitus, statuetur, duellum labi lavandæ unicè esse necessarium: progrediemini vel inviti in arenam, & post teneros amplexus ruetis in mutuas cædes ac vulnera, feritate adeò barbara, quam etiam eductus herì è sylvis homo detestetur. Amantes hæc sors iniqua premere non semel est visa. Amasius, ne idolo suo displiceat, in amici viscera grassari debet; si delicata mulier ab hoc se læsam conqueratur, & imperiosa satisfieri sibi postulet. Nil necessitudo, nil cognatus sanguis valebit: multum erit, si saltem sibi patrem excipiat, ùt Rodericus in tragœdia (b). Adeò jura omnia convellit iniquissima lex.

## §. III.

### Frivola sæpe de causa.

137. *Demonstratur exemplis.*
138. *Et horum uno satis pathetico.*
139. *Concluditur.*

137. DUm ita de iniquitate conqueror, qua & amicitiæ, & humanitatis leges violantur, jam ad ipsas duelli causas prolapsus sum, quas persæpe frivolas, & futiles esse dico, & ex recensitis apparet. Unum & alterum, ne in deliriis fusior sim, addo casum.



(a) In Toxaride, seu de amicitia. (b) Tragedies du Pierre Corneille. le Cid.

Henricus iv. Galliæ Rex, Entraguiam amabat, formæ illiciô captus, &, ut ſolus amaret, Baſſompierum (a) cupiebat amoveri. Votum ſuum vix expoſuerat Duci Guiſio, cùm hic absque mora promittebat ſe pugnaturum pro Rege, & tres contra Baſſompierum fracturum lanceas. Acceptato promiſſo, pugnæ deſtinatur in ipſa regia ſpatioſa area. Sublatis antè, quibus ſtrata erat, lapidibus, à prandio comparent armati heroes, in exigua cauſa magni Palæſtritæ, confluente ad feneſtrarum cancellos omni aula cum ipſo Rege, & Regina. Datur pugnæ initium. Guiſius lancea ſua primùm adverſarii caſſidem feriit: mox & ventrem perfodit adeò graviter, ut extracta lancea etiam viſcera effunderentur: ex quo quidem lethali vulnere poſt moram Baſſompierus præter ſpem omnium convaluit, tanto nihilominus horrore in ſpectatorum animis relicto, ut Rex ſtatuerit poſthac ejusmodi pugnas proſcribere. Non multùm abſimile eſt, quod nuper admodum Germania indignabunda vidit. Puella procax ſaltandi arte multorum oculos adeò faſcinavit, ut etiam Principum de ſanguine miles donum idolo afferret horologium, quod aureum eſſe credebat. Hoc ubi alius quiſpiam procus de viliore metallo confectum eſſe notâſſet, jocari de generoſa Principis liberalitate non veritus, probroſum adeò verbum ab eo tulit, ut, dum neque imperatoria, neque regia authoritas componendæ rei ſufficeret, duellum inire debuerit, in quo Princeps tria tulit vulnera, unúmque eorum grave admodum.

Aliam duelli cauſam frivolam lege *n.* 314. ubi in canem venaticum ſubita indignatione jactum convicium, eoquòd malè judicabatur redundâſſe in herum, gladios è vagina evocavit. Nec illepidè Mauritius narrat cauſas futiles, unde in Academiis Studioſi concitantur ad educendos caſtos ſuos gladiolos, qui eousque nunquam apparuerant nudi. " Sunt eæ, inquit, adeò plerumque frivolæ, ut ſatiùs foret, de tribus contendere „ capellis; vel enim helluoni non æqua potûs menſura aut numero, aut „ non æquè diu reſpondetur: vel caput non aperuit commilito, nec ſalutavit alterum, quem ſæpe nec vidit: vel non ſatis demiſsè erga veteranos, criſtatósve hoc officio functus eſt: vel Spartacus aliquis, arte, aut „ viribus præfiſus, aliis inſultat: vel Pamphilus æſtuat, quòd Niceratus heri

(a) Baſſompiere, Journal de ſa vie l'an. 1605.

heri Chrysidem habuerit: vel quòd rivalis cum Glycerio choream duxerit in nuptiis, vel quòd crapula jam gravis, aut artis imperitus præproperè alterum saltu præverterit: vel quòd intempestivè alterum monuerit, eíque oblocutus sit, quòd acerbiùs disputantem oppugnaverit; quòd de suo cive, aut combibone parum honorificè locutus sit: quòd in via provocaverit museum præteriens: quòd clamanti alius occlamaverit: quòd se quis æmulum in vestitu, aliáve re ostenderit: quòd coram Lesbiæ foribus fidibus cantaverit: quòd illam è fenestra prospicientem vultu veneratus sit: & sexcentæ aliæ siculæ gerræ, de quibus calidissimè inter se contenditur. „ Hæc insana levitas, academicam gyrans juventutem, utinam non etiam militaribus, ac nobilibus viris quandoque vertiginem afferret.

138. En miseram monomachorum conditionem, quibus necesse est, vel necesse esse videtur parere legi difficillimæ, ob causam frivolam. Quod ut provocatus quidam provocanti manifestiùs ante oculos poneret, si vis, inquit, ut pareum tibi, eja pergamus ad cæmeterium; malo enim in sacro, quàm profano loco occumbere. Ubi ventum est ad cæmeterium, ostendit commilitoni suo calvarias mortuorum, sandapilam, ligonem Vespillonis, hæc addens verba: en frater locum, quo alteruter nostrûm, nisi desistas, tumulabitur corpore, anima ad infernum descensura. Tum ad effodiendum communi opera tumulum invitat, sperans; mitigatum iri hac oratione pathetica. Sed surdo cecinit, & pinxit cæco. Absoluto tumulo consertæ sunt manus, & secundo congressu, qui provocavit, peremptus est, devotum stygi caput, ex eo commodè mortuus, quòd in propinquo tumulum invenerit. (a).

139. Crudelem itaque, & tyrannicam duelli legem esse demonstravi; eo quòd imperet difficillima, iniquissima, & frivola sæpe de causa. Id verò capere nunquam satis potero, quî fieri potuerit, ut homines, libertatis, suíque aliàs ita amantes, nobilésque servire nescii, ferreo huic mancipatui se subjecerint. Nullus dubito, quin legem hanc abolitam fermè omnes cupiant; at nemo separata opera abolere vel volet, vel poterit. Et quando tandem

(a) Gobat. Theol. Experim. p. 1. Edit. 2. Tract. 7. cap. 18.

tandem conſpirabunt omnes conatu unanimi? Principes hic potiſſimùm appello, quibus ſicut non licet ſubditos tyrannica lege vincire: ſic iisdem incumbit vinctos ex tyrannide in libertatem aſſerere.

## ARTICULUS V.
### *Duellum injurioſum eſt Magiſtratibus.*

MIrum! concoquere qualemcunque injuriam neſciunt monomachi, quam ſibi factam exiſtimant: nec meminêre tamen, graviorem ſe Magiſtratibus, atque Principibus inferre, dum neglecta horum poteſtate publica, ipſimet tumultuarium tribunal erigunt, adverſarium condemnant, & gladio utuntur ad vindictam, judices neutiquam competentes. Ideo contra protervos conqueruntur Magiſtratus: & quidem meritò.

### §. I.
### Magiſtratus conqueruntur de injuria.

140. *Tam in Germania.* 141. *Quàm extra Germaniam.*

140. INter plurima, quæ contra duellum prodivere edicta, nullum propemodum invenire eſt, quod querelas non contineat Magiſtratuum, ac Principum contra monomachos, in ſuum ſibi jus involántes. Juvat brevitatis ſtudio, non niſi aliquas referre.

Ajunt præripi ſibi jus dijudicandi cauſas. Ita Imperii Proceres in Concluſo ſuo, de quo alibi (a), item FRIDERICUS III. Elector Brandeburgicus in ſuo Edicto (b). Conqueruntur, protervos palæſtritas gladium juſtitiæ temerariis manibus contrectare. Ita MAXIMILIANUS EMMANUEL Elector Bavariæ (c): item FRIDERICUS AUGUSTUS Elector Saxoniæ. (d)

Sacram illam, quæ Principibus debeatur, reverentiam violari indignatur GUSTAVUS SAMUEL Dux Bipontinus (e). Et noviſſimè Sereniſſimus ac Potentiſſimus Elector Colonienſis CLEMENS AUGUSTUS. (f).

Juſti-

(a) An. 1667. (b) An. 1688. (c) An. 1720. (d) An. 1706. (e) An. 1721. (f) In Edict. an. 1742.

Justitiam vilipendunt: & Constitutiones æquissimas dum non respiciunt, proculcant sacrosanctum Principis munus. Vox hæc est CAROLI LEOPOLDI Ducis Megalopolitani. (a)

Radicem protervia hujus assignat superbiam AUGUSTUS Dux Luneburgico-Guelpherbytanus (b). Hac suadente parcere nescii arrogant sibi, inquit, munus Judicis, popularem auram ut captent, haud dubiè instigante diabolo, authore superbiæ.

Notanda etiam veniunt aurea verba LEOPOLDI Ducis Lotharingiæ: DEUS, ait, quam sibi servavit vindictam, Principibus, vicariis suis, exercendam commisit. Igitur quicunque privatum sibi jus audent dicere, ordinem à divina providentia sapientissimè constitutum evertunt, & prærogativam usurpant, quæ inter primarias summæ potestatis numerata hactenus fuit.

In eundem denique sensum (ut plures alios silentio prætercam) loquitur WILHELMUS HENRICUS Princeps Arausicanus, Gubernator Hollandiæ in Edicto edito contra duella. Ita conqueruntur summi Principes.

## §. II.
## Et meritò.

142. *Gravem habent causam conquerendi.*
143. *Quæ confirmatur testimoniis,*
144. *Et duellis veterum.*

142. INdignatio, quam Magistratus, & Principes omnes contra Monomachos ostendunt, justissima est, siquidem ipsimet malo mederi velint, id est, satisfacere læso, reddendo honorem. Volunt autem plerique eorum, ùt ex eorum Edictis manifestè apparet: justissima itaque, ajo, est eorum indignatio; nam quis unquam, vel de plebe si sit, præoccupari sibi passus est suum officium, & importunum quemquam intercedere? curat quisque suum, & quantum alius sibi adjicit, tantum quisque sibi detractum existimat. Nonnisi infirmis ita succurritur, vel non valentibus, vel non volentibus agere, quod suum est. Quod gubernator est in navi, quod Paterfamilias domi suæ, quod in exercitu dux, hoc est in Republica

N Judex.

(a) An. 1715. (b) An. 1684.

Judex. Et quis Dux imperium, quis Paterfamilias authoritatem, quis Navarchus gubernaculum ſibi præripi ægrè non ferat? quis non iniquè ſecum ita agi exiſtimet? num fortè ſolus Judex diſſimulet? num hic ergo primum in Republica locum non aliter occupet, quàm ſculptus Jupiter forum, cujus triſulca arma oſtentationi potiùs ſerviant, quàm uſui? an non in iras juſtas exſurgat, dum Edicta ſua ſaluberrima proculcari, & ſperni intentatas pœnas videt? Regalia jura ſi quis ſubditorum ſibi uſurpare attentet, in jus vocatus, ſine hæſitatione condemnatur; neque enim contrectare reſervata ejusmodi jura cuiquam fas eſt, & juſtitiæ gladium è manibus ſibi extorqueri patiantur Principes?

An ergo non ſufficiat tota potentia, & authoritas Principis eluendo uni convicio? *Legitimos* natales dare, vel ad equeſtrem ordinem, imò ad ordinem Principum evehere valeant, & quæ ſunt alia poteſtatis Regiæ, aut Cæſareæ Jura: & nequeant effectum dare, ut læſo, recuſanti duellum, honor ſine conflictu redeat? Qui ita ſentiunt, næ illi nimiùm quantùm Majeſtatem deprimunt. Si Princeps non dedignetur ejusmodi purgato loqui, & ab eo ſervitia recipere; herclè! plus æquo delicatus eſt ille, qui eidem humanitatis officia denegare pergit. Non jam miror, quòd BRUNEMANNUS (a) dicere non dubitaverit, qui duellum ineunt, læſæ Majeſtatis eſſe reos: & hoc verum eſſe, etſi ob læſam famam ineatur certamen. Idem probat MAURITIUS ex eo, quòd Majeſtati Jus belli competat: duellum autem cùm ſit aliquod bellum, à Monomachis Jura Majeſtatis temerari certum eſſe ait (b). Et hoc inulti patiantur ſummi Imperatores? Fuit Princeps, qui ortas inter duos Nobiles turbas ſopivit in tempore, & lite ex æquo compoſita utrumque obſtrinxit, ut fide nobili ſponderent, ab ulteriore offenſa ſibi cauturos. Parum tamen hæc valuêre; paucos enim poſt dies unus alterum ex inopinato prope ipſas Regiæ fores eſt aggreſſus. An non hoc eſt illudere ſupremæ poteſtati?

143. Certè remotiſſima etiam antiquitas, & quidquid de meliore gleba Minerva finxit, in ea conſtanter ſententia fuêre, cauſas quascunque ad tribunal publicum eſſe deferendas, neutiquam terminandas Marte proprio. ARISTOTELIS effatum eſt (c): *Cùm aliqua de re diſſident homines, ad*

(a) In L. un. C. de Gladiat. (b) De Duell. §. 68. (c) 5. Nicom. 4. §. 19. ſeqq.

*ad Judicem confugiunt* (beſtias ab hoc more eximit) *adire Judicem, adire Jus eſt; nihil aliud videtur Judex, quàm jus animatum.* DEMOSTHENES inquit: (a) *Placuit de omnibus his injuriis ex legibus judicium exerceri, non autem ex cujusquam impetu, atque arbitrio.* D. MARCUS decrevit (b): *optimum eſt, ut, ſi quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Et cùm Marcianus diceret, vim nullam feci, Cæſar dixit: tu vim putas eſſe ſolùm, ſi homines vulnerentur? vis eſt & tunc, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per Judicem petit.* THEODORICUS Rex enunciabat (c): *Hinc eſt, quòd legum reperta eſt ſacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu; quid enim à bellica confuſione pax diſtat, ſi per vim litigia terminantur?* Unde rectè GROTIUS (d): *Tam laudabili inſtituto, ut ſcilicet Judex, cujus nihil intereſt, cognoſcat rem potiùs, quàm ut homines ſinguli, nimiùm ſui amantes, quod jus putant, manu exequantur, obſequendum ipſa dictat æquitas, & ratio naturalis.* Nolim teſtimonia agglomerare in re clara.

144. Id fortè noſtris Monomachis inexſpectatum veniet, ſi eos per ipſa duella veterum hoc loco condemnabo. Ne, quæſo, putent abolitam illam licentiám ſibi patrocinari. Nôrint, neque illa duella ſine authoritate Judicis olim permiſſa fuiſſe. Erat enim duellorum conceſſio apex ſupremæ poteſtatis, teſte GONZALEZ (e). Et juſta erat excuſatio, verba ſunt ALCIATI (f): " Cùm provocatus ſe ideo nolle certare aſſerit, " quoniam Imperator hanc veniam concedere nolit; Juris enim naturalis " eſt, ut Patriæ, & Parentibus, Magiſtratibúsque pareamus, quòd Jus nulla " armorum conſuetudine aboleri poteſt. Alibi (g) inquit: videtur adverſùs militarem diſciplinam eum agere, qui injuſſu Imperatoris ſui commilitonem ad ſingulare certamen provocat. Et ideo tanquam pacis " perturbator vel capite puniendus, vel ſaltem lege noviſſima FRIDERICI, " qui Capitaneus ſit, ducentis auri libris puniendus.

Tenuit hæc erga Magiſtratus obſervantia, donec duellorum, in judiciis uſitatorum, ſuperſtitio eam in Germania barbariem peperit, qua quisque ſibi armis jus diceret, & præſtaret vindicias: poſtquam ſcilicet



(a) In Conon. (b) L. pen. ff. ad L. Jul. de vi privata. (c) Apud *Caſſiodorum* Var. Lib. 4. Epiſt. 10. (d) L 1. de J. B. P. c. 3. n. 1. (e) Ad cap. 2. de Cler. pugn. n. 8. (f) De ſingul. Cert. c. 25. (g) In conſilio de Duell.

Regia authoritas variis artibus esset pessumdata, Duces, & Comites provincias hæreditario jam jure administrarent, &, faventibus præcipuè interregnis, suis quisque viribus, ac milite nixus pro libidine agebat, donec tandem Regimenti, & Cameræ Spirensis Constitutione repressa est illa morum atrocitas.

Huic non multùm absimilem judiciorum perturbationem cùm inducant hodierni Monomachi, &, privato dum sibi Marte Jus dicunt, subjectionem excutiant, iis *indignari*, & quidem *ex æquo* dixi summos Principes, & Magistratus, utpote de injuria supremam suam potestatem violante.

## ARTICULUS VI.

### *Duellum est noxium Reipublicæ.*

BOni civis officia negligit, qui abusus Reipublicæ noxios inducit, vel fovet. Id monomachi faciunt; dum civitate donant duellum, Reipublicæ summè noxium. Unde non immeritò sibi gratulatur ille boni publici vindex acerrimus LUDOVICUS Magnus, quòd propitio cælo acceperit singulare donum, obfirmatum scilicet contra duella animum, certè nunquam immutandum, donec elimináſſet è regno pestem, frustratam toties pios Majorum suorum conatus (a). Ajo itaque, duellum afferre Reipublicæ *damna* grandia, *utilitatem* nullam.

### §. I.

### Duellum Reipublicæ affert damna grandia.

145. *Ordine judiciorum everso*,
146. *Innumeris cædibus*
147. *Tolluntur membra reipublicæ utilia,*
148. *Ut experta est Gallia.*
149. *Provocatur etiam ira DEI.*

145. DAmnum leve non est, quòd conculcata, ùt præcedente articulo vidimus, Magistratuum authoritate, privatorum pravæ cupiditati tot lites, & offensæ dirimendæ relinquantur. Hæret incolumitas reipublicæ ex ordina-

(a) In Edicto. an. 1679.

dinato partium consensu, dependentium à capite. Hic concentus turbatur, reipublicæ compages solvitur, ubi sublata subjectione summa imis confunduntur.

146. Finge, impune hæc tolerari, quantus in rem communem malorum cumulus? susdéque vertetur pax civium, silebunt jura publica, fas totum in armis stabit, & quisquis viribus præpollet, innocentem absumet. Conficient se cives per mutuas conflictationes, & cædes; neque enim unquam deerunt causæ, quas turbulenta ingenia excoquent innumeras, si ad arbitrium vocabunt æstimationem sui immodicam. Offensa accepta camelus videbitur, dum vix culicem adæquat, & penitus evertisse honoris colossum, quem vix perstrinxerat. Hinc non pro causis tantùm gravibus, sed sæpe nugis, pro putidis suspicionibus, sæpe quoque ex mera libidine impotentis animi, in arma & exitium ruentes lugebimus.

147. Atque utinam non luxissent hunc luctum complura regna, atque provinciæ. Ludovicus xiv. populi sui amor, luget (a), Nobilitatem, firmissimam regni sui columnam, duello everti. Leopoldus Dux Lotharingiæ, dolet, nobilissimas familias, occiso filio aut patre, ruinam traxisse, idque olim satis frequenter, damno non nisi severissimis mandatis avertendo. Fridericus iii. Brandeburgicus Elector queritur, duellis grande reipublicæ afferri detrimentum, dum tolluntur è medio viri, egregiis aliàs dotibus instructissimi, qui tam patriæ, quàm Romano Imperio universo, militiæ æquè ac domî utilissima præstitêre obsequia, præstituri & plura posthac, nisi petulantis hominis dextera raperentur. Similes querelas legere est in Edicto Megalopolitano, Brunswicensi, Luneburgensi, Guelpherbytano &c. Academicam juventutem singulariter luget Edictum Megalopolitanum, utpote ex qua non rarò præceps ardor juvenes aufert optimæ spei, cum maximo dolore & damno parentum, atque agnatorum. In eandem sententiam loquuntur Edictum Brandeburgicum, Saxonicum, unà cum Concluso Imperii citato alibi. Würtembergense meminit etiam epheborum in aula, & alumnorum discentium in Gymnasio. Denique cum energia loquitur Marchio Maffejus, dum in Italia plus sanguinis per tot annos haustum fuisse asserit duello, quam per irruptiones Vandalorum, & Gothorum (b).



(a) In Edicto an. 1723. (b) Scienza Cavallerescà l. 3. c. 1.

148. Quòdsi uspiam locorum hæc hyæna suam ingluviem exeruit, id profectò in Galliæ regno egit. Legimus (a) duella adeò fuisse frequentia sub initium regni Ludovici XIII. ut primo loco de iis interrogarent, qui sibi in plateis fiebant obvii. Quis herì pugnavit? quærebatur manè: & quis hodie manè? interrogabatur à prandio. Eò excrevit furor, ut duo se incluserint dolio, ibíque, intercepto omni effugio, pugionibus se confoderint. Famosus præcipuè Bouteville, percitus hoc œstro, cruenta sine numero dedit spectacula. Domi suæ convenire solebant monomachiæ candidati, quibus ludus erat quotidianus, ubiubi victimas quærere, vel semet mutuò conficere. Satis erat Boutevillio audire, Parisios appulisse virum quemdam strenuum, absque mora quæsitum omni humanitate ad duellum invitabat, adductis de societate sua patrinis, qui pro more eorum temporum & ipsi quoque confligerent. Tanta erat horum vesania, ut Valencenius acerbè aliquando exprobraverit Boutevillio, quòd in arenam descendisset sine se: cui placando Boutevillius absque mora alium quemquam provocavit, quo Valencenio occasionem præberet agendi patrinum. Grassante hac inhumanitate in regno humanissimo, incredibile dictu est, quantus numerus occubuerit virorum, de quibus patria sperare plurimùm poterat. Durante pupillari ætate Ludovici XIV. treccnti de flore Nobilitatis absumpti sunt, qui numerus vel solus nutantem in bello victoriam valuisset figere. Quin si Theophili Raynaudi calculus non fallit (b): intra triginta annos tot hoc ferali pugnandi modo in uno hoc regno cecidêre, ut ex iis numerosus exercitus potuisset conflari, quo & incolumitas regni conservari, & Turca Christianorum damnis auctior, non modicè vexari potuisset. En! ex solis rationibus humanis detectam malorum Iliadem.

149. Quòdsi etiam divinas attendamus, vindicem Deum experietur Respublica, vel Principes, qui pessimo huic mori se non totis viribus opponunt. Timeant sibi, suísque provinciis, si humanum sanguinem, velut sanguinem belluarum, impunè effundi sinant: clamat is vindictam, ut sacræ paginæ crebrò monent. Sumat ergo illam Princeps de reo: vel Deus sumet de Principe, flagello incubituro toti provinciæ. Nec inanis hic metus

(a) Causes celebres avec les jugemens par Monf. Gavot Tom. 14. hist. de Monf. Montmorency. (b) Tom. 4. de Virt. & Vit. L. 5. Sect. 3. c. 3.

tus eſt, quem ſparſum per omnia Edicta legimus contra duellum edita. Conſulatur illud Leopoldi Cæſaris, Brandeburgicum, Suecicum, Biponṫinum, Saxo-Gothaicum, Arauſicanum, Haſſo-Caſſelanum, Hamburgenſe, Lubecenſe, aliáque; timetur paſſim, ne apud Divinam Nemeſin culpa contrahatur inulti ſanguinis, provocatura mille mala in Magiſtratus, & ſubditos.

## §. II.

### Duellum Reipublicæ affert utilitatem nullam.

150. *Malè dicitur neceſſarium acuenda virtuti militari.*
151. *Quia ſic nemo Chriſtianus poſſet militare.*
152. *Neque à ſola militari virtute ſucceſſus pendet.*
153. *Et ſi penderet, monomachis ſæpe minus ineſt militaris virtutis, ac aliis.*
154. *Roboratur noſtra ſententia authoritate ſummorum Principum duella prohibentium.*
155. *Utpote noxia diſciplinæ militari.*

150. Et quæ utilitas tantis damnis æquiparari poſſit? Fuit aliquando vir bello clarus, qui aſſerere mihi non dubitavit, utile, quin & neceſſarium eſſe inter milites, ſi non approbare, ſaltem diſſimulare duellum. Miranti mihi pronunciati novitatem, honor, ajebat, acerrimus militaris animi ſtimulus eſt, hebes ſanè in eo, qui inultum deſtituit. Et quis, pergebat, ſupremorum Ducum confidere in cujusquam ſuorum imperterrito animo poſſit, niſi documentum ex duello nunquam recuſato, vel recuſando ſumat? hic lapis Lydius eſt virtutis militaris; neque enim ſecurè quemquam hoſti obiicimus, qui vitam tanti amat, ut ſemet duello obiicere in momenta paratus non ſtet. Hujus mentis erat vir de cæterò præclarus, & fortè non erat ſolus.

151. At ſi falſæ huic perſuaſioni deferatur dominatus, à militia arcebuntur melioris notæ Chriſtiani, qui piaculo ſibi ducunt, calcatis Evangelii legibus, exercere vindictam privatam, & oppreſſa manſuetudine iræ frœna laxare. Nolent poſthac ſagum induere, quod induere non poſſunt, non exuto Chriſtiano. Num autem conſultum erit Reipublicæ, vel Principi, nonniſi profligatæ conſcientiæ homines ſub ſignis numerare, qui, dum quotidie expediti duellum operiuntur, pravo hoc aſſenſu tacitè beatæ æternitati renunciant? Si nomen dare militiæ idem eſt, ac renunciare do-

ctrinæ

ctrinæ Evangelii, quis Principum ſubditos ad ſectandam militiam adſtringere ex æquo poterit? Neutiquam inficias eo, non fortitudinem minùs apud milites requiri, quàm arma: his ſine enim non pugnarent, & ſine illa pugnarent infeliciter, quod pejus eſt. At fortitudinem acuere duelli licentia, id iniquiſſimum judico; ſcopum bonum malis artibus quærere non licet.

152. Sic animare exercitum dum parat Archiſtrategus, cœlum ſibi propitium ne ſperet, neque ſine cœlo propitio ſortem proſperam. *Non ſalvatur Rex per multam virtutem*, oraculum eſt coronati Pſaltis: *& gigas non ſalvatur in multitudine virtutis ſuæ: fallax equus ad ſalutem. Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus* (a). Ain, ſi ſanctam fidem non omnino decoxiſti, cur publicis precibus ſecundum armorum ſucceſſum à Deo flagitare moris eſt? Num ludum hunc eſſe exiſtimas, aut Deum, ſibi intentum, res humanas non curare: vel ſi curet, pro robore exercitûs neceſſariò largiturum victoriam? Erras quàm graviſſimè; modico opus eſt, ut Deus hanc ſpem evertat. Modò ſupremi Ducis cerebrum nonnulla caligine obducat, ut vel in tempore non meminerit, quorum meminiſſe deberet, vel conſilium ineptum capiat, mox hic, tota ſpe dejectus, victoriam multo cum ſanguine evomet, quam confiſus Monomachorum ſuorum audaciæ præproperè deglutiverat.

153. Quodſi etiam à ſola intrepiditate militum eventus ſtaret, num eos, qui inſuperhabitis Dei legibus, tam ad duella, quàm ad ſcelera alia, paratum circumferunt animum, intrepidos credes præ illis, quibus ſceleris pura, & conſcia mens recti eſt? iterum erras. Plurimùm intereſt, ut quis ſubeat diſcrimen ſecurus, & ſpe bona fretus de ſorte vitæ alterius, qui ejusmodi eſt, parum timebit. Econtra horribilis cogitatio eſt, quæ à fronte præſentiſſimum mortis diſcrimen, & infrà orci voraginem objicit, ſubeundam, quamprimum vel globus, vel enſis fatalis juſſerit. Bellua, non homo ſit, oportet, quem hæc non moveant. Movent enimvero, quamvis commotus animus, coacto in ferociam vultu ſe tegat.

154. Diſputationi pondus & finem addat authoritas Principum, militari gloria prorſus inſignium: neutiquam tamen duelli licentiam numeran-

(a) Pſal. 32. v. 16.

rantium inter fortitudinis præsidia. Quis, ain, seveꝛiùs in Monomachos animadvertit, quàm LUDOVICUS XIV. sæpius jam laudatus; erectis tropheis, & subjectis provinciis verè Magnus? LUDOVICUS Badensis, grande bello nomen, ad Rhenum copiarum Romani Imperii summa cum potestate per complures annos ductor, sub pœna capitis in exercitu suo duellum, quamvis sine cæde abiret, prohibuit, nullo discrimine inter provocatum, & provocantem admisso (a). Sileo alios claros bello Principes complures, quorum catalogum suo loco dabimus. (*Cap. IX.*) Ain, num hi virtutem bellicam elidere fors voluêre, ac necessariam ei cotem subtrahere? Neutiquam. Quàm aliena fuerit Græcia, & Roma à singulari ejusmodi certamine, ob honorem suscepto, *Articulus sequens* docebit: & tamen nemo virtutis laudem Græco, aut Romano militi dubiam volet facere.

155. Noverant nempe hi omnes pro sua prudentia, quòd eo certandi genere non solùm egregii bello viri immolentur sine fructu: sed etiam disciplinæ militari ingens accedat detrimentum, id, quod pridem ALCIATUS notavit, dum dixit (b): " Audivi ego quandoque, hoc Italis militibus imputari, quòd seditiosi inter se, ad jurgia proni, suis monomachiæ provocatoriis chartulis militarem disciplinam pervertant. " Quæ ergo utilitas? Id addo, si eò insolentiæ militibus progredi liceat, ut, dum à superiore Præfecto pro ratione officii admonentur, vel castigantur, fieri sibi injuriam opinentur, quam provocatione vindicare sit integrum, tunc enimvero omnis disciplina militaris corruet. Viguit olim apud quosdam noxius hic mos: quin & patronum invenit, qui velut æquum tueretur (c). Excisus hodie est, id tamen mali germinis reliquit post se, quòd petita, obtentáque missione, ejusmodi trossuli Ducem suum extra provinciam evocare soleant. At quis, oro, posthac disciplinam militarem curare volet contra petulantes, si facti rationem cogatur reddere stylo ferreo, & ei, quem ex officio correxit, jam mactandum se offerre.

Apparet satis duellum Reipublicæ esse summè noxium; quia *damna plurima*, *utilitatem* affert *nullam*.

O ARTI-

(a) Edict. an. 1694. (b) Consil. de Duell. (c) *Beraudiere* apud *Basnage* de Duell. §. 5.

# ARTICULUS VII.

## *Duellum olim ignotum moratis Gentibus.*

NOn ineptè me facturum existimo, dum duelli sectatores ad moratarum Gentium puteal cito; harum enim judicium eò usque hodiedum valet, ut ei Jus Naturæ, & illud præcipuè Gentium, magna sui parte superstrui soleat à Doctoribus celeberrimis. Asserere autem non dubito, moratas olim Gentes hodierna duella non habuisse: & quæ habuêre, hodiernis non patrocinari.

### §. I.

### Moratæ olim Gentes duella non habuêre.

156. *Nec Romani, nec Græci,*
157. *Nec Sinenses, nec Tunchinenses,*
158. *Nec Gothi, postquam resipuêre,*
159. *Quin nec Turcæ, quamvis parum morati.*

156. EO ipso, quòd cæco impetu pro læso honore decertare *injuriosum sit Magistratibus, noxium Reipublicæ, non fortitudinis, sed vesanæ temeritatis argumentum, ad finem suum prorsus inutile*, eo ipso moratæ Gentes, quas meliore de gleba Prometheus finxit, per sani judicii lumen discretos à belluis, belluísque non absimilibus barbaris, de abominando ejusmodi more admittendo nec cogitârunt: & si cogitâssent, eum in sylvas ad ursos, & tygrides amandâssent. Inter Romanos, & Græcos, ait eruditorum quidam (a), hodierna de tuendo honore syntagmata nunquam viguêre, illis ipsis temporibus, queîs potissimùm in armis vixêre tot populorum victores: illis temporibus, queîs haud dubiè plura quotidie dissidia privata nascebantur inter copiarum Duces, viros utique strenuos, nec mortem magìs, quàm ignavi nomen aversantes. Exempla hujus rei attuli suprà ex facto Catonis, ac Vareni (b) nobilium Romanorum. Item ex Laconum votis ad Deos, quibus fortitudinem sibi expetebânt ad ferendas injurias, quo sine beneficio se minimè viros, ad magna idoneos crede-

(a) *l'Abbé de S. Pierre* Bibliotheque raisonée tom. 17. (b) Vid. n. 123.

crederent (a). Quare, cùm Romani in Germaniam primò venirent, testè VELLEJO PATERCULO (b), mirati sunt Germani, Romanos justitia lites finire, non pugna, agentes gratias, quòd injurias Romana justitia finiret, feritásque sua incognitæ disciplinæ novitate mitesceret, & solita armis discerni, jure terminarentur.

157. Moratis Gentibus accenseri merentur nonnulli Orientales populi, Sinenses præcipuè, qui non magìs quidem, at certè citiùs sapuêre ac Europæi. De his ait JOANNES NEUHOFF (c): Nemo Sinensium tam atræ indolis est, ut paret morte ulcisci illatam injuriam. Qui cedit lædere volenti, providi, strenuísque nomine compellatur. Inauditum inter Sinas, testatur paulò antè adductus ABBAS de S. PETRO, Ducem quemdam militarem loco moveri, si factam sibi injuriam ad Judicem deferat, recusato duello. Certè tota CONFUCII Philosophia plena est principiis, hodiernæ Monomachiæ contrariis. Similia de Persis legimus, heroico contemptu convicia concoquentibus (d). De Tunchinensibus ALEXANDER de RHODIS (e) scriptum reliquit, intrepidos cæteroquin regni hujus incolas duellum diris devovere.

158. Gothis quoque id laudi dandum, quòd feritatem in Italia desuefacti, assumptóque humanitatis sensu, duellorum inter se usum sustulerint, inde à THEODORICO Rege suo cæteris barbaris populis in exemplum sunt propositi epistola, digna, quæ hìc subjiciatur, exarata à CASSIODORO (f), qui Regi erat ab epistolis, & data *ad universos Barbaros, & Romanos per Pannoniam constitutos.* "Illud vos credimus admonendos, ut non in vos, sed in hostem sævire cupiatis. Res parva non vos ducat in extrema discrimina. Acquiescite justitiæ, qua mundus lætatur. Cur ad Monomachiam recurritis, qui venalem judicem non habetis? Deponite ferrum, qui non habetis inimicum. Pessimè contra parentes erigitis brachium, pro quibus constat gloriosè moriendum. Quid opus est homini lingua, si causam manus agat armata? Aut unde pax esse creditur, si sub civilitate pugnetur? Imitamini certè Gothos nostros, qui foris



(a) Vid. n. 123. (b) L. 2. c. 118. (c) Legatio Societatis Indicæ Orientalis c. 1. (d) Scienza Cavalleresca l. 2. c. 8. (e) Itiner. L. 2. c. 6. (f) L. 3. Epist. 24.

„ ris prælia, intus nôrunt exercere modestiam. Sic vos volumus vivere,
" quemadmodum parentes nostros, præstante Domino, cernitis floruisse. „

159. Nolim Turcas moratis Gentibus accensere, quamvis de eorum Scientiis, Academiis, ac Litterarum cultura multa eruditè recenseat Marchio Maffeius (a): non abs re tamen erit testimonium ex Edicto Saxo-Gothaico hoc loco recolere, ubi indubitanter asseritur, tantum abesse, ut Turcæ duellum probent, ut etiam fortè commissum severè puniant. Id quod ex Busbequio singulari facto confirmatum imus (b). " Fuit in re-
„ gione Hungariæ magna virium famâ Singianus Arslambegus; nemo eo
„ validiùs intendebat arcum, nullius ferrum altiùs penetrabat, neque ho-
„ stibus erat formidolosius. Huic se æmulum comparaverat Velibegus, ejus-
„ dem laudis affectator, finitimorum locorum & ipse Singianus. Æmu-
„ latio, fortè aliis rebus aucta, ad summum odium, insidias, & vulnera
„ processit. Hac, an alia de causa accersitus Constantinopolim Velibegus
„ mihi incertum, venit certè. Ex quo cùm alia multa quæsivissent in Di-
„ vano Bassæ, postremò de dissidio ipsius cum Arslambego audire volue-
„ runt. Tum prolixè recitavit totam illarum simultatum scenam, causas,
„ progressum, & quo denique evasissent, &, ut causam suam faceret me-
„ liorem, subjunxit, se ex insidiis ab Arslambego vulneratum, quibus ni-
„ hil fuisset opus, si se dignum suo nomine Arslambegus præstare voluis-
„ set, quandoquidem ipse pugnam cum eo nunquam subterfugisset, ùt
„ quem ad singularem pugnam multoties provocâsset. Hoc Bassæ aver-
„ santes: Túne, inquiebant, commilitoni tuo singulare certamen denun-
„ ciare es ausus? Deerant quippe Christiani, in quos pugnares. Vivit
„ uterque vestrûm pane nostri Imperatoris: nihilominus inter vos de vita
„ decernere parabatis? Quo jure, quonam exemplo? An ignorabatis, utrr-
„ cunque vestrûm cecidisset, Imperatoris damno casurum? Quo dicto
„ duci eum in carcerem jusserunt, in quo multis mensibus maceratus, vix
„ tandem liberatus est, existimatione valde diminuta. „

Utinam ex ejusmodi allatis exemplis hodierna ætas saperet, aliàs sibi de sano præ aliis judicio plurimum blandiri solita. Ut in ruborem darem palæstritas nostros, ipsos Turcas adduxi. Adducant ipsi mihi ullam mora-

(a) Scienza Cavall. l. 2. c. 8. (b) Epist. 3.

moratam gentem, quæ unquam hanc pugnandi rationem coluerit. Jam dixi: moratæ olim Gentes duella hodierna non habuêre: &

## §. II.

### Quæ habuêre, hodiernis non patrocinantur.

160. *Quia & illa fuêre mala, utut celebrata Doctorum libris.* 161. *Et fuêre mala in gradu minore.*

160. QUid de veterum duellis sentiendum, quàm & illa ut plurimùm damnanda sint, *ex capitis præcedentis Articulo III.* colligere datur, ubi quæsitum est, *quibus de causis olim suscepta fuerint duella.* Illud tamen cuiquam mirum videri posset, quî factum, quòd Sæculo XIII. & XIV. præcipui Juris-consulti certas regulas constituerint, quibus nōn jam frænum injiciebatur, sed laxabatur pugnandi licentiæ? Darius quidam, Doctor Bononiensis jam anno M. CC. LX. methodum posuerat creandi Equites, ubi inter alia, qui creabat, Equitem pro more percutiendo, hæc verba adderet: *postremus hic ictus esto, quem inultus feras*; unde patientiæ virtus in animis hominum non evilescere non potuit. Ita tamen sibi de doctrina sua placebat, ut Purpuram Romanam non solùm sibi deberi existimaret, sed & animi tædio mortuus sit, ubi se spe sua delusum vidit (a). Si quidem similia verba hodie in creatione aliquorum Equitum adhibeantur, longè alium volunt, & debent sensum ingenerare, fortè hunc, quem Maffejus formulæ Melitensi tribuit: *ictus hic, quem inultus fers, ultimus esto tibi inflictus; nostros enim equites ita ferire nefas foret.* (b) Baldus & Bartolus plurimis quæstionibus examinaverunt, qua ratione geri justè, ac decenter duellum debeat. Alciatus quoque cum pluribus aliis impigrè in eodem stadio decurrit. Quî factum ergo, ut viri cæteroquin perspicaces, ac tenaces recti, ventilare hanc barbariem in pulvere scholastico maluerint operosè, quàm inurendo gravem censuram ad Garamantas, & Indos ablegare? respondet Maffejus (c) eos Doctores temporum iniquitate, & consuetudinis do-



(a) *Basnage* Reflexions sur les Duels §. 2. (b) Scienza Cavallerescà l. 2. c. 3. (c) Ibid.

dominatu, veluti torrente abreptos fuiſſe. Neſcio ego, an hæc excuſatio ſatis tantorum virorum authoritati conſulat. Crediderim, verbis ipſius Alciati rem melius declarari. *Non potuit duellum*, inquit is, (a) *tam efficaciter à legum latoribus prohiberi, quin inoleverit conſuetudo, ut quibusdam caſibus ſaltem de facto exerceatur: etenim de jure dubitandum non eſt, conſuetudinem non valere. Cùm ergo de facto id exerceri ſoleat, perinde de hujusmodi corruptela diſputamus, atque ſi valeret; quia ea, quæ facto fiunt, quandoque ad cauſas juris trahuntur, quod plurimis exemplis oſtendere poſſem, ſi expedire arbitrarer.* Cùm ergo ſuperioris ætatis Doctores monomachias impedire non poſſent, modum ſaltem, quo gererentur, ad juſti leges revocabant. Fuêre ergo & illa duella mala, utut celebrata Doctorum libris: & fuêre mala in gradu minore.

161. Ad exercendam in armis pubem gladiatores habuêre Romani. Singulari certamine dimicârunt apud varias gentes clari bello pugiles. Judiciales pugnas admisêre Galli, Itali, Germaníque: at nunquam ſine authoritate Ducum ac Magiſtratuum; nec futili, ac privata de cauſa: & non niſi tamdiu, donec melior Phœbus caliginem temporum candida legum luce diſcuſſerit. Apud complures Gentes is duellorum uſus ortum ſuum debebat falſæ perſuaſioni, qua credebant, moderante Deo, non niſi juſtam cauſam vincere: (b) vel quia ſomniabant, redire in corpora animas duello expulſas, ùt Diodorus Siculus de Gallis (c); Apianus (d) de Germanis affirmant. Ad hæc apud Gentes quasdam, id quod de Longobardis Alciatus refert (e): " Minore periculo, & non niſi graviſſima de cauſa „ pugnabatur, dum ita neceſſe erat ad faciendam plenam fidem, præ„ miſſo etiam jurejurando, quòd non calumniæ, ſed neceſſitatis cauſa „ id remedium arriperetur. In ipſa verò pugna ſcutis ſolùm, & fuſtibus „ res gerebatur, ita, ut non multum à pancratio, vel colluctatione ab„ eſſet apud illos duellum, raróque contingeret, quemquam occumbere. „

At nunc concurritur ad duellum, neglecta authoritate Ducum, & Magiſtratuum, in plena Jurisprudentiæ luce, poſt credulitatem ſuperſtitioſam pridem exploſam, levibus ſæpe de cauſis, gravi cum periculo, ita, ut

(a) Conſil. de Duell. (b) *Wolfius* P. 5. J. N. §. 1092. (c) L. 5. c. 28. de Gallis. (d) in Celtico. (e) C. 4. de ſingulari Cert.

ut hic locum habeat, quod de laniena gladiatorum scriptum reliquit SENECA (a). *Quidquid ante pugnatum est, misericordia fuit; nunc enim nihil habent, quo tegantur, ad ictum totis corporibus expositi. Non galea, non scuto repellitur ferrum. Quò artes, quò munimenta? omnia ista mora mortis sunt: mutuos ictus nudis, & obviis pectoribus excipiunt.*

Satis dictum de placitis moratarum Gentium: ad perfectissimam legem Christianorum gradum promoveamus.

## ARTICULUS VIII.

### *Duellum Christianæ legi est summè contrarium.*

SI moratæ Gentes vel ex solo rationis ductu ostracismo mulctant duelli vesaniam, num Christiani civitate donent, quibus præter religionem naturalem religio etiam revelata, eâque à Christo explicata, duplicato lumine fulget? quot parasangis lex Evangelica alia quâcunque sit perfectior, passim docent Ecclesiæ Patres, & ipse finis à DEO homine sibi præfixus, ostendit. Apage itaque cum tua duelli licentia, quicunque Christiana sacra profiteris; his enim è diametro adversatur. Quod ut demonstrem uberiùs, primò afferam argumenta: tum refellam excusationes.

### §. I.

### Afferuntur argumenta.

162. *Duellum authore diabolo ortum.*
163. *Evertit præceptum de diligendis inimicis.*
164. *De tolerantia injuriarum.*
165. *De vindicta privata vitanda.*
166. *De habenda cura animæ.*

162. CHristiano nomini repugnare duellum, communi effato pronunciârunt S. R. I. Legati in Concluso sæpius adducto. Idem in peculiari Edicto Saxonico legere est. Et quippe ni repugnet? diabolum inventorem habet. Tinniant ambæ aures monomachis ad verba Tridentini Concilii: *Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta cor-*

(a) Epist. 7.

*corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur* (a). In eandem sententiam locutus est Clerus Gallicanus per FOULIETUM Episcopum Montis Pessulani ad LUDOVICUM XIII. *Nemini dubium est, quin principium huic (duello decertantium) laniena ab infero sit, cui Christianos veluti victimas immolari ab ipsis Christianis, quàm est impium, quàm horrendum!* (b). Si cui testes profani præ sacris placent, audiat AUGUSTUM Ducem Guelpherbytanum (c): *Negari non potest*, ait, *lanienam duellorum authore dæmone, qui homicida erat ab initio, fuisse introductam, à barbaris initio diffusam, denique inter ipsos Christianos receptam: ita tamen obnitente contrà semper Magistratu, ut vesani pugiles à cœtu Christianorum exclusi, ipso etiam tumuli honore indigni haberentur.* Si quisquam existimet, his effatis sola duella veterum feriri, meminerit, hodierna duella necquidquam veteribus malitia cedere, quin multùm præstare. *Vid. n.* 160. *seq.*

163. Ut clariùs pateat duelli cum Evangelio pugna, sacrum codicem inspiciamus. Ait Divinus Servator (d): *audistis, quia dictum est* (scilicet Lev. 19. 18.) *diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum; ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos; si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nónne & publicani hoc faciunt? & si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis, nónne & ethnici hoc faciunt? estote ergo vos perfecti, sicuti & Pater vester cœlestis perfectus est.* En legem Evangelicam clarè explicatam! en doctrinam, non dantis consilium, sed injungentis præceptum, observatu necessarium, nisi cum publicanis & ethnicis perire quis malit. Quàm autem è diametro regula duellorum opponitur! iners fungus habetur, qui, retento in vagina gladio, benefacere calumnianti, orare pro persequente, & diligere inimicum vellet.

164. Jam à primis sanctæ fidei incunabulis inter præcipuas notas Christiani reponebatur mansuetudo, quæ contumelias, serena fronte exceptas, forti animo concoqueret. *Maledicimur, & benedicimus*, ajebat Apo-

(a) Sess. 25. c. 19. de Reform. (b) *Gabriel Gramond* ad an. 1615. (c) In Edicto an. 1646. (d) *Matth.* 5. v. 43.

Apostolus (a) *persecutionem patimur, & sustinemus.* Idque juxta mentem Christi hortantis, ut *percutienti te in una maxilla, alteram quoque porrigas.* (b) Hanc doctrinam sequi jam non licebit, si quidem Alcorano monomachorum stare oporteat. Ad Monachorum claustra relegata, è reliquo Christiano orbe exulabit, & idem erit vivere inter nobiles, militésque, ac renunciare Evangelio. *Quæ perversa sentiendi, agendíque ratio*, aurea vox est Ernesti Ducis Saxo-Gothaici (c), *in pleno Evangelii meridie, & versantibus ante oculos tot exemplis mansuetissimi Salvatoris, neutiquam toleranda est.*

165. Vindicta privata passim in Evangelio, & Apostolorum epistolis interdicitur. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmet ipsos defendentes charissimi: sed date locum iræ; scriptum est enim: mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* (d) *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*, ait Servator. (e) In quæ verba eleganter Ambrosius: (f) *O Domine, cur emere me jubes gladium* (scilicet Luc. 22.) *qui ferire me prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi fortè ut parata sit defensio, non ultio necessaria.* Quibus regulis spretis, si privatam vindictam exercere velint Christiani, indigni sunt, pro quibus Christus sanguinem effuderit, dum illi tam iniquè sanguinem alienum hauriunt.

166. Alia gnome Evangelica curam animæ omnibus præhabendam inculcat: *Quid prodest homini*, sunt verba Christi (g), *si totum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Vicissim, quid obest homini, si mundi universi detrimentum patiatur, modò animam suam lucretur? Quod autem pretium animæ ponit Monomachus? Pro fumo honoris, & phantasiæ simulacro animam orco transcribit (h); adeò ei levis est gemma illa, quam Divinus Trapezita infinito pretio emerat.

Adducere plura dogmata Evangelica nolim, quibuscum, ceu lux cum tenebris, pugnant præcepta scholæ hujus Anti-Christianæ; neque enim verentur fateri Monomachi, se ab Evangelio aberrare: aliud est, quod sapere vetat.

P §. II.

(a) 1. Corinth. 4. (b) *Matth.* 5. (c) In Edict. an. 1646. (d) Rom. 12. (e) *Luc.* 22. (f) L. 10. in Luc. (g) *Matth.* 16. (h) Vid. n. 387.

## §. II.

### Refelluntur excusationes.

167. *Ridebimur.*
168. *Non credent, nos ex peccati metu abstinere.*
169. *Concluditur.*

167. Notus ille virtutis scopulus, metus scilicet displicendi discolis, mancipatos tenet: malunt corpus, & animam ruinæ exponere, quàm æqualium dicacitatem pati. Non nego ego, pungunt cavillationes, urúntque nobilem animum; sustinendis tamen futurum parem, si Christiana virtus generoso sanguini suppetias ferat. Quid enim? si fortè in Ethnicorum terras, & societatem delapsi ad idolorum cultum provocarentur, ridendi aliàs cum multo contemptu, & sannis, nisi pro regionis more sacrilega litarent thura: quid tum acturi essent nobiles nostri pugiles? Nolim adeò degeneres eos credere, ut muliebriter victi, impium facinus essent admissuri. Contemnerent haud dubiè insanientium dicteria, modò rectè agentes absolveret conscientia, & dilaudaret præsens ubique Numen. Et bene id quidem. Id ergo precor, ut æquali magnanimitate despiciant corrupta judicia tunc, ubi contra legem Dei arma jubentur stringere. Equidem non sine probro humanæ naturæ ridentur illi, quibus Lex Divina cordi est: sed non minùs in probrum cedit, quòd ob insulsum risum à recto vecordes deflectant. Heu! quàm longè hi absunt, à primæ Ecclesiæ, & Apostolorum fortitudine! Hi *ibant gaudentes à conspectu concilii; eo quòd digni habiti sint pro nomine JESU contumeliam pati* (a). *Mihi pro minimo est*, ajebat ille (b), *judicari à vobis, aut ab humano die*. Ita sentire, & loqui docuit, doceréque adhuc Monomachos nostros sancta, quam corde fovent, fides, nisi ea pene marcida, corticem haberet sine nucleo. Eorum itaque de numero sunt, *quorum pars ponetur cum hypocritis*. (c).

Non ultrà eis de sacra Cathedra Oratores dabo, à quibus officii commoneantur: Augustum Ducem Guelpherbytanum denuò audiant, cujus

(a) Act. 5. (b) 1. Corinth. 4. (c) *Matth.* 24. 51.

jus inter alia hæc sunt verba ponderosissima (a): *Mature quivis secum expendat, an præstet, vel pro servata sancta lege sinistra imprudentum ferre judicia, fidelitatem probante* DEO: *vel reclamante conscientia, & invitis Superis omnibus, spuria lethum pro laude pacisci. Id certum, & nullus inficias ibit, si cui eorum, qui post infelix duellum abiverunt ad tartara, emergere ex suppliciis daretur, ne is quàm lubentissimè probris mactari, convitiis prostindi, & omnium pedibus proteri se sineret ad ultimum usque mundi exspirantis diem, modo hac lege ab infami damnatorum face liberaretur.* En considerationem Christiano dignam. Nec est, cur hæc lex Evangelica ardua nimis, & severa dicatur. Ethnici Philosophi Christianum in ruborem dabunt. Epicurei, & Stoici, quantumcunque aliàs dissidentes, in eo conspiravêre, quòd prudentis sit, mentem supra contumelias, & injurias erigere. Divini quoque, quem dicebant, PLATONIS sententia fuit, nihil vindictæ privatæ ob acceptam offensam esse tribuendum. Nolim integrum chorum Sapientum adducere. Alibi quoque demonstravimus, graviorem legem nullam dari in lege Christiana, quàm sit hæc pseudo-lex de duello. *vid. n.* 133. Id solùm ajo, si ejusmodi ultio cum Philosophia pugnat, quantum non pugnabit cum Schola Christi!

168. Quis ad hæc sensus Monomacho? Revereri se ait legem Christi, eúmque profiteri se esse paratum cum qualicunque etiam sua molestia: modò credant commilitones, legis Christianæ, & conscientiæ causa duellum à se recusari. At illi hoc judicant proficisci ex metu, & cura cuticulæ, nec nisi pro fuco religionem obtendi. Affirmet quis centies, metu peccati, non gladii se cohiberi: risu centies explodetur. Quamvis ergo quis lubens vellet *pro nomine JESU contumeliam pati*, id, quod gloriosum: nihilominus credetur pati ob timiditatem, id, quod probrosissimum. En ultimum effugium. Itáne ergo, non credent homines, te Christi causa abstinere? Fac ergo, ut credant. Et hoc, quî valebo? ais: suggeram. Cætera DEI, & Ecclesiæ præcepta servato diligenter, nec patere, ut in iis transgrediendis te facilem esse quis deprehendat. Si sciverint, te conscientiæ teneræ virum, cæteris Christiani hominis officiis rite defungi, haud difficulter credent, etiam impræsentiarum te conscientiæ rationem ha-

 bere,

(a) In Edict. an. 1646.

bere, & ab hac sola retineri à duello. Econtra si te sciant laxæ cæteroquin conscientiæ hominem esse, & absque angore alia DEI, aut Ecclesiæ præcepta violare; si te sciant ululare cum lupis, & lascivire cum hircis, volutari in fimo Veneris, mille diris Divina quæque profanare; utique non facilè credent, te in sola causa duelli tam religiosum evasisse, ut in reverentiam legis Divinæ id detrectes. Qualecunque sit præceptum Divinum, eadem ei observantia debetur; quia idem semper DEUS est, qui præcipit, idem, qui offenditur. Unum ergo qui servare vult, & cætera transgredi, ne is dicat, quòd DEI causa servet; vel saltem ægrè non ferat, si quis ei fidem non habeat.

Idem de præceptis Ecclesiæ judicium esto. Carnes diebus vetitis manducat Leander Catholicus: diebus festis Sacrificio non assistit: de rebus, & personis Ecclesiasticis malignè, & nare non satis emuncta loquitur: & hodie credamus, eum Ecclesiæ præcepto, & metu sacri Fulminis à duello retineri? credat Judæus Apella. Igitur, qui hac in re fidem sibi adhiberi desiderat, vita proba hominum antea animos ad credendum disponat; secùs nil mirum, si eum agi judicent ex mentis ignavia, sub pallio religionis se occultante. Quòdsi, acta licèt hactenus vita Christiano digna, tamen iniqui censores metui adscribant, quod revera ex conscientiæ stimulis agis, tum memento, duplicem tibi lauream à virtute parari; tum quòd pro virtute patiaris, tum quòd nemo credat, te pro virtute pati, id, quod in palæstra virtutis non nisi primi Heroes nôrunt.

169. Detestemur ergo duellum, cujus Pravitatem octo Articulis explicavimus: Christianæ Legi est summè contrarium: Ignotum olim moratis Gentibus: Noxium Reipublicæ: Injuriosum Magistratibus: Crudele: Neque est argumentum veræ Fortitudinis: Est ineptum ad reparandum honorem: &, quod primum, ac præcipuum est, quódque omni labore excoluimus: Non est necessarium ad honorem reparandum.

CAPUT

# CAPUT III.

## AN DUELLUM LICITUM ESSE POSSIT IN STATU NATURALI AD VINDICANDUM HONOREM.

POstquam ſuis jam lineamentis depinximus duellum, ob oculos poſita omni, quam continet, pravitate, examinandum jam venit, quomodo, & quibus legibus interdicatur. Ea enim eſt cujusque mali conditio, ut legum repagulis à republica arceri, vel ſi jam irrepſerit, intentatis etiam atrocibus pœnis, ejici debeat. Nemo ferme authorum, qui de duello unquam ſuis lucubrationibus quidquam inſeruit, dubitare eſt viſus, quin *duellum honoris vindex* repugnet tam legi divinæ, quàm humanæ. Quo non obſtante, orta poſtmodum fuit ultimis his temporibus acris quæſtio, an non *aliquando* licitè acceptari, imò offerri poſſit. Mihi conſideranti varias tum Theologorum Moralium, tum Juris Canonici Interpretum lucubrationes, neceſſe viſum eſt altiùs fodere, eámque inire diſputandi rationem, qua primò quidem inſpicerem *ſtatum* hominis *Naturalem*. Et tum primùm ad *ſtatum Civitatis* converſus, quid utrobique liceat, vel non liceat, examinarem. Cúmque omnis in hoc genere injuria vel lædere poſſit *ſolum honorem*, ſeu exiſtimationem bonam: vel aliud adhuc damnum ſecum trahere, diſpiciendum primò erit, an duellum licitum eſſe in ſtatu naturali poſſit, ubi ſolius honoris damnum eſſet ſubeundum: tum conſiderandum, an licitum eſſe poſſit, ubi alia adhuc damna eſſent oritura. Hoc ſequenti Capiti reſervamus: illud modò tractaturi. Itaque Articulus I. dabit declarationem ſtatûs naturalis. II. Examinabit jus belli privati, competens ſtatui naturali. III. Magis ad particularia deſcendens quæret, an vi hujus juris, cæde vel duello tueri liceat honorem contra injurias *reales* e. g. verbera. IV. An contra calumnias. V. An contra convicia. VI. An contra dedecus, quod ex recuſato duello reſultaret.

## ARTICULUS I.

### *Declaratio Statûs naturalis.*

CIrca hunc ſtatum, hodie celebrem Authorum ſcriptis, exponenda ſunt varia ad finem nobis propoſitum. Ante omnia danda ratio, cur primò duellum ad ſtatum naturalem deducamus. 2dò. Danda hujus ſtatûs idea eſt. 3tiò. Dicendum, quibus legibus regatur. 4tò Quibus gaudeat juribus.

### §. I.

### Ratio, cur duellum primò ad ſtatum naturalem deducamus.

170. *Quia plurimi æſtimatur hæc methodus.*

171. *Quia non rarò monomachus in ſtatum naturalem repoſitus eſſe videtur.*

170. JUs naturale purum, quod ſolum in ſtatu naturali dominatur, hoc præcipuè ævo, in pretio habetur, vigétque; quia ultima humani juris ratio, ait P. Ignatius Schwarz (a), fere in jure naturæ quærenda eſt; quia ſuppeditat media genuinæ interpretationis, & applicationis: quia principiis univerſalibus conſtat: reliquum jus non niſi particularibus, è quibus omnes quæſtiones decidi non poſſunt. In eundem ſenſum loquitur Pufendorfius (b). Unde etiam viri ſagaciſſimi poſt Hugonem Grotium (c) jus naturæ, ab aliis diſciplinis ſecretum, magno cum emolumento explicandum ſibi ſumpsêre. Non abrogare Grotio anteſignano encomia illa velim, quæ paſſim liberaliſſimè in eum congeſta legimus; at illud immoderatiùs fuiſſe dictum exiſtimo, dum omnes ſuperiorum temporum Doctores, Patres æquè ac Theologos jus naturale vel ignorâſſe, vel pulvere ſcholaſtico conſpurcâſſe nonnulli (d) aſſerere non verentur. Huic jactantiæ criſtas evellit Schwarzius pollice neutiquam molli (e). Legi quoque meretur limatum judicium Clariſſimi P. Schmier (f).

171. Altera ratio, quæ hanc viam inire ſuaſit, materiæ, quam tractamus, propria eſt. Ea nempe deprehenditur apud Principes & Magiſtra-

(a) Prolegom. ad Inſtit. J. N. G. (b) L. 2. c. 5. §. 3. J. N. G. (c) L. de Jure B. & P. (d) *Pufendorf, Thomaſius. Fleiſcherus* &c. (e) Prolegom. inſtruct. 7. (f) Juriſprudentia publ. univerſ. Præfat. ad Lect.

ſtratus in tollendo duellorum uſu non rarò ſocordia, ut, qui exiſtimationis, aut honoris detrimentum eſt paſſus, jam vel non audiatur: vel auditus ſine ope deſeratur, tamdiu injuſtam infamiæ notam circumlaturus, donec vel invitus, privatam ultionem ſumat (*vide n.* 81.). Ejusmodi equeſtris, vel militaris ordinis vir, nihil opis inveniens in ſtatu civitatis, ad Statum naturalem veluti redactus eſſe videtur, in quo, deficiente Judice, jus belli cuique à natura conceſſum dicunt. (*Vid. n.* 180.) Et hic, meo judicio, eſt clypeus præcipuus, quo monomachus hodiernæ ætatis ſe tegit. Itaque non immeritò elegi totam de duelli licentia, vel interdictione doctrinam ſtatui naturali accommodare, antequam ad ſtatum civitatis tranſeamus.

## §. II.

### Idea ſtatus naturalis.

172. *Explicatur definitio.*
173. *Probatur ejusmodi ſtatum exiſtere poſſe, ſi non merè talem, certè mixtum.*

172. STatus impræſentiarum accipitur pro certa conditione ſeu ratione vivendi, prouti aliàs in jure & uſu loquendi accipi ſolet (a). *Status* igitur *naturalis*, prouti ab *adventitio* diſcernitur, ſcilicet à ſtatu conjugali, herili, à ſtatu civitatis, Reipublicæ &c. eſt conditio hominum inter ſe æqualium, neque alterius, quàm Dei arbitrio ſubjectorum. Ita præter Hertium (b), Schmier & Schwarz. Homines *inter ſe æquales* ſunt non illi tantùm, qui ſocietatis omnis expertes, vitam ſolitariam agunt: ſed & ii, qui licet ſocietatem colant, quadam tamen ratione libertatem, à natura congenitam, retinent; eo quòd nemini ſubjecti vivant. Et hæc eſt præcipua ſtatûs naturalis prærogativa, ſine ſubjectione vivere; ſpectata námque natura, omnes æquales & liberi naſcimur, nec unus alteri ſubjectus eſt. (c) Hæc ſimul eſt differentia, qua ſtatus naturalis à ſtatu civili diſcernitur, in quo neceſſarium eſt aliquod imperium, ut ſocietas in debito ordine conſervetur. Nihilominus civitas relata ad civitatem, ſive Respublica ad Rempubli-

(a) In Tit. ff. de Statu hominum. (b) In Element. Prud. Civ. p. 1. ſect. 1.
(c) L. 32. ff. de R. J.

publicam & ipſæ concipiuntur in ſtatu naturali vivere, ſi ſui quælibet juris neutra ab altera dependeat.

173. Dubitârunt aliqui, num ejusmodi ſtatus naturalis hominum detur. Ratio dubitandi potiſſimùm hæc erat; quòd homo ſit animal ſociale, non appetens tantùm ſocietatem, ſed etiam ſummè eadem indigens: ſocietas autem excludat libertatem omnimodam, ſtatui naturali propriam. Undè primi hominis ſtatus erat civilis; vix enim à Divino Protoplaſte formatus, ſocietati conjugali addictus fuit, *quia non erat bonum, hominem eſſe ſolum.* (a) Ad hæc & ſimilia reſpondet Schmier (b) juxta mentem Pufendorfii: " Fatendum, nunquam univerſum hominum genus ſimul ,, & ſemel in ſtatu *merè* naturali extitiſſe, aut exiſtere potuiſſe juxta moder- ,, nam Dei optimi maximi providentiam; cùm authoritate Divinarum ,, Paginarum ſuffulti indubitanter credamus, ex uno pari conjugum, quid- ,, quid eſt mortalium, ſua ducere incunabula: indéque colligamus tum ,, imperium maritale, quo Eva ſubjiciebatur Adamo: tum paternum, cui ,, deſcendentes ex Adamo ſuberant. Quin autem nonnulli ex poſteris ,, Adami, ſoluta per mortem, aut mutuum conſenſum poteſtate patria, ,, aliis in civitatem confluentibus, remanſerint in ſtatu libertatis, neque ,, vetera, neque nova exempla dubitare ſinunt. Similiter extra du- ,, bium eſt, quin priſcis temporibus, qui familia paterna excedebant, fra- ,, tres ſinguli ſibi peculiarem familiam, ab alia non dependentem, con- ,, ſtituentes, in libertate, & ſtatu naturali, ex ductu & dictamine ſanæ ,, rationis mutuò vivere inceperint, eadémque de cauſa hodiedum una ,, Civitas reſpectu alterius exiſtat in libertate naturali, quatenus neutra ,, paret alteri, nulláve Dominum, aut dominium ſupra ſe reveretur. Pa- ,, riter extra controverſiam videtur poſitum, ſtatum naturalem oculis ,, præſentari tunc, quando Civitas in Anarchiam delapſa, diſſolvitur: ,, vel quando diverſarum Civitatum homines in terras vacuas, aut deſer- ,, tas Inſulas ſe conferunt. ,, In ſtatu Naturali vixiſſe Gronovius (c) exiſtimat Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, ut deſcribit Sallustius (d). Id, quod etiam Molina de hodiernis quibusdam

(a) Geneſ. 2. (b) Jurisprud. Publ. Univerſ. L. 3. c. 1. à n. 7. (c) In not. ad Grot. l. 1. c. 1. §. 1. (d) Bell. Catil. c. 6.

dam Africæ, & Americæ populis testatur. Unde etiam patet, Statum Naturalem aptè dividi in merè talem, & mixtum. Mixti œconomiam quamdam descriptam leges *n.* 192.

## §. III.

### Quibus legibus regatur Status Naturalis.

174. *Regitur jure naturali.*
175. *Quid sit jus naturale?*
176. *Unde colligatur, rem quamdam præcipi jure naturali.*

174. QUæritur scilicet, an sit omnino exlex, vel quibus demum legibus ac principiis dirigatur. Negatur haud dubiè, quòd exlex sit, vagóque quodam impetu ducatur. Absit hoc. In tanta humanorum affectuum varietate ac ferocia qualis futura erat hominum vita, si nullum jus eosdem componeret? luporum, leonum, canum, inter se decertantium, turbam videres. Imò quilibet alteri leo, lupus, canis futurus erat, & his omnibus infestius quid; quippe cùm nullum sit animans, quod homini plus, quàm homo nocere possit, & velit: & cùm tot mala homines nunc invicem inferant, quando lex & pœna imminet; quid futurum foret, si omnia impunè fierent, si hominis desideria nullum intus frænum compesceret? plures rationes, quibus necessitas legis cujusdam, hominem etiam in statu naturali dirigentis probatur, affert PUFENDORF (a). Cùm verò inter æquales lex humana locum non habeat: neque de alia quæstio sit, quàm de ea, quæ ad felicitatem hujus status est necessaria, conficitur, legem naturalem in hoc statu vigere. Lege itaque naturali obligatur, quisquis in statu naturali vivit.

175. Est autem lex naturalis, juxta D. THOMAM (b) participatio legis æternæ in rationali creatura. Vel si Justinianum, & Ulpianum audiamus, jus illud, quod natura omnia animalia docuit. Vel denique juxta definitionem SCHWARZII, satis accuratam, ordinatio divinæ sapientiæ, per dictamen synteresеos naturæ rationali manifestata, præcipiens rectæ rationi simpliciter consentanea, & prohibens dissentanea.

176. Si quæras ulteriùs, ex qua regula discere liceat, quænam rectæ rationi consentanea vel dissentanea sint, SCHWARZIUM, suadeo, con-

Q sulas

(a) J. N. G. l. 2. c. 2. (b) 1. 2. quæst. 91. a. 2.

-sulas (a), qui operosè ad omnem acribiam effingere ejusmodi principium satagit: oculúmque intendens in triplex hominis officium, quo DEO, sibi & proximo obstringitur, ita statuit: Fac, vel omitte ea, quæ ex amore, DEO, tibi & proximo naturaliter debito, hoc est, ad felicitatem, naturæ rationali propriam, necessariò facienda, vel omittenda sunt. Tum demonstrare contendit, celebre illud hodie *socialitatis* principium, quod GROTIUS concepit, PUFENDORFIUS enixus est, & de fonte levârunt sequaces plurimi, non esse ***adæquatum***, sive complectens omnia triplicis generis officia; ex hoc enim, quòd cuilibet homini colenda, & servanda sit societas, quantum in se est, adeóque omnia, quæ ad hanc societatem necessariò, & universè faciunt, Jure naturali præcepta: quæ verò eandem turbant, atque abrumpunt, vetita intelligantur, ex hoc, inquit, solùm intelligitur, quî homo erga hominem; non quî erga se, & præcipuè erga DEUM se gerere debeat. Quod videtur fateri ipse PUFENDORFIUS, dum hæc bina officia ad Theologiam, & Ethicam rejecit. Mihi interea placet illud vetus, Theologorum præcipuè authoritate roboratum principium, quod in obvenientibus casibus nunquam fallax deprehensum à se fuisse testatur SCHMIER (b): Illud præceptum, vel prohibitum, Jure naturæ teneas, quod ad felicem statum humanæ naturæ simpliciter expedit esse præceptum, vel prohibitum. Illud autem expedire, vel non expedire censendum est, in cujus licentiam, vel interdictionem homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab Authore naturæ requisiti, suffragium tulissent. Quæ in hoc principio carpit lima SCHWARZIANA (c), non est hujus loci examinare.

## §. IV.

### Quæ Jura competant homini in Statu Naturali.

177. *Jus proprii arbitrii circa se, & sua.*
178. *Jus ultionis.*
179. *Jus pœnæ.*
180. *Jus belli privati,*
181. *Defensivi,*
182. *Et offensivi.*

177. PRimò est ejusmodi homo dominus suarum actionum, nec eas ad alterius cujusquam leges, aut utilitatem tenetur accommodare. Secundò est rerum suarum moderator & arbiter, potens de iis disponere ad

(a) P. 1. tit. 2. Instr. 3. (b) Jus Publ. Univ. Præamb. Sect. 2. n. 45. (c) Loc. cit. §. 2.

ad libitum: modò sine cujusquam injuria; quæ lege naturali vetatur. Tertiò, si in bonis suis læsum se videt; aut everti à quoquam jura sua, Judex est in propria causa; penes quem sit pronunciare, & exequi. Quartò, si ipsemet peccaverit; Judicem non habebit in terris; qui delinquentem condemnet; aut puniat; saltem cum authoritate. Deducuntur hæc planissimè ex ipsa notione, quam de Statu naturali dedimus.

178. Illud non ita planum; an homini ejusmodi ita læso in bonis corporis, fortunæ, aut famæ competat Jus *ultionis*, *pœnæ*, ac *belli*. Ultionem *meram*, seu quæ nihil aliud præter patientis dolorem, & perniciem habet propositum; sub crudelitatis vitio natura inter homines proscripsit (a); non enim debet in malo cujusquam quiescere ulciscentis animus, ùt docent Theologi (b). Et hoc est, quod SENECA voluit, dum dixit (c): ad vindictam veniendum, *non quasi dulce sit vindicare, sed quasi utile.*

179. *Pœnam* quod spectat, hujus infligendæ jus homini, in statu naturali constituto, attribuit GROTIUS (d), dum bellum *pœnale* admittit. At contradixit ei PUFENDORFIUS, qui ad pœnam infligendam imperium, seu jurisdictionem requirit (e); qualis in eo statu, ubi nemo superior, utique non datur. Huic adstipulatur clarissimus P. SCHMIER (f) cum VITRIARIO, atque GUNDLINGIO, qui putat, in verbis ludi, dum æqualis æquali pœnam infligere dicitur. Contrà BARBEYRAC GROTIUM defendit in notis suis ad PUFENDORFIUM, existimans, inde nos notioni *pœnæ* potestatem superioris connectere, eo quòd ideam à statu civili desumere sueverimus. In subsidium vocat LOCKIUM, CARMICHAELEM, & NOODTIUM. Partes suas augere potuisset authoritate MOLINÆ (g), & L. B. de WOLF (h). Mihi hæc quæstio multum videtur habere de nomine. Unde de jure *belli* præstat dicere; præsertim cùm hoc jus pœnæ benè vel malè dictæ, fere non abludat à bello privato punitionis causa suscepto, de quo n. 182.

180. Est *bellum* in genere status hominum, in quo unus jus suum vi persequitur adversus alterum (i). Jus itaque belli est jus vi persequendi

Q 2 jus

(a) *Pufend.* J. N. G. L. 2. c. 5. §. 3. (b) *D. Thom.* 2. 2. q. 108. *Sylvest.* verb. vindicta &c. (c) De Ira 11. 32. (d) J. P. B. L. 2. c. 1. §. 2. & c. 20. §. 38. (e) J. N. G. L. 8. c. 3. §. 4. (f) J. Publ. Univers. L. 4. c. 1. sect. 3. §. 1. (g) Tom. 1. Tract. 2. disp. 98. (h) J. N. p. 1. §. 1061. (i) *Wolf.* J. N. p. 1. §. 1102.

jus ſuum adverſus eum, qui idem nobis tribuere non vult. Jus ad hoc bellum cuique homini naturâ competit. Quoniam vel civitas contra civitatem, vel etiam privatus contra privatum, jura ſua perſequi poteſt: *publicum*, & *privatum* inde bellum naſcetur. Et hanc partitionem, ait Grotius (a), eſſe primam & maximè neceſſariam. Partitionem hanc in bellum publicum & privatum operosè tuetur Muelen (b): utitur eadem Wolfius (c): quin ait, omne duellum eſſe bellum. Scio, ſunt, qui cum P. Schmier bellum privatum à ratione belli propriè dicti, excludunt: at de ſtatu civitatis cis ſermo eſt, in qua utique habere locum, ſaltem ſpectando jus, non male negant. Fatetur tamen P. Schmier (d): " Si primo mundi ævo extitêre „ homines, nulli familiæ adſcripti, nulliúsve poteſtati, etiam domeſticæ, „ ſubjecti, illi profectò ad mentem Grotii bellum non publicum, ſed „ privatum ſuſcipere dicebantur, quando ab aliis in corpore, vel bonis „ impediti, ſe, ſuáque defendere conabantur; cùm perſona publica cum „ veritate nequeat compellari, quæ non aliud, quàm ſuum individuum „ curat, & defendit. Quòd ſi hodiedum reperiantur ejus generis homi- „ nes, ſibi ſolis viventes, & ab omni ſuperiore independentes, non ab- „ nuo, quin, ſi quam concertationem per vim inſtituant, *bellum priva-* „ *tum* nominari queat. " Hoc jus belli privati homini privato, in ſtatu naturali conſtituto, competere nemo dubitat.

181. Quoniam autem bellum publicum dividitur in bellum *offenſivum*, & *defenſivum*: idem de bello privato fieri debebit. *Defenſivum* eſt, quo defendimus, & retinere laboramus, quæ noſtra ſunt, contra eos, qui nos lædere, noſtra intercipere, aut ea perdere conantur. *Offenſivum* (quod etiam *aggreſſivum*, vel *vindicativum* dicitur) eſt, quo extorquemus debita, quæ nobis abnegantur: aut juſtè nobis erepta recuperatum imus, cautionémque impoſterum quærimus contra illum, qui prior nos læſit. Utriusque belli hujus juſtitiam, inter gentes ſi geratur, paſſim apud Authores defenſam legimus. De æquitate belli privati eleganter loquitur Pufendorf (e): " Ad conſervationem ſui, quam cuique & amor longè tenerri- " mus,

(a) L. 1. c. 3. §. 1. (b) In Comment. ad cit. loc. (c) J. N. p. 8. §. 563.
(d) Jur. Univerſ. L. 4. c. 1, n. 17. (e) J. N. G. L. 2. c. 5. §. 1.

mus, & ipsa ratio commendat, pertinet sui defensio, seu propulsatio. " malorum. Isthæc defensio duplici modo instituitur; vel sine læsione " ejus, qui malum nobis machinatur: vel cum ejusdem læsione, ac per- " nicie. Prior quin sit licita, nemo sanus unquam in dubium revocavit. " Circa posteriorem autem nonnullus ideo scrupulus fuit obortus, quòd " per ipsam lædatur, aut perdatur nostri similis homo, quocum ad co- " lendam vitam socialem adstringimur. - - At natura ad vim con- " fugere quandoque indulget, ubi aliter per alterius injuriam salvi esse " non possumus. Scilicet obligatio ad exercendas invicem leges naturæ, " & officia pacis est mutua, & omnes homines æqualiter stringit. - - - " Adeóque ubi alter contra leges pacis talia adversùs me suscipere aggredi- " tur, quæ ad meam perniciem spectant, impudentissimè à me postulaverit, " ut ego ipsum deinceps sacrosanctum habeam, id est, ut meam salutem " perdam, quo ipsius malitia impunè grassari possit. „ Addit paulò pòst (a): " In statu naturali degentes non solùm in præsens intentatum " periculum repellere, sed etiam eo depulso contra lædentem eousque " progredi possunt, quoad ab illo in futurum satis sibi cautum videatur. " De qua cautione ita habendum: si quis, injuria facta statim pœnitentia " ductus veniam petat, & damni restitutionem offerat, in gratiam cum " ipso redire debeo, nec ampliorem cautionem rectè ab eo videor exigere " posse, præter fidem denuo dandam; sufficienti enim argumento est, " firmum ipsi esse propositum in posterum me non amplius lædendi, quem " sponte facti pœnituit, & qui ad petendam veniam ultro descendit. Ast " cui per vim pœnitentia est extorquenda, & qui tunc solùm veniam pe- " tere instituit, quando resistendi vires deficiunt, ejus sola fides parum " sufficiens cautio videtur. Igitur tali vel vires nocendi subtrahendæ, " vel aliud vinculum injiciendum, ut ne deinceps nobis existat formidabi- " lis, postquam exprompta semel malitia, nec rite emendata, perpetuò " ipsum suspectum reddidit. „

182. Nec minus liquet, bello *offensivo* privato, in statu naturali locum esse; si enim licet contra vim vi tueri sua, cur non etiam recuperare vi ablata, debita exigere, & pro futuro cautionem quærere liceat? imò

 etsi

(a) J. N. G. L. 2. c. 5. §. 3. ad finem.

etsi non agatur de extorquendo aut recuperando debito, malum tamen inferre lædenti æquum est, *vindictæ* aut *punitionis* causa. Id quod WOLFIUS sequentibus demonstrat: " Si quis lædi se patitur ab alio, ei non modò „ verendum est, ne denuo ab eodem lædatur, verùm etiam ne ab aliis „ ejus similibus lædatur, & ne idem quoque lædere posthac alios audeat. „ Si quis te læsit, competit tibi jus eum adigendi, ne imposterum denuo „ lædat, & præcavendi, ne exemplum ejus secuti te, vel ipse etiam alios „ lædere audeat. Ut eum huc adigas, malum quodpiam cum ejus læ„ sione connectas oportet, quod ei, aliisque motivum sit, nolendi posthac „ læsionem. Cùm ergo jus habeas eum huc adigendi, jus quoque habes, „ malum (*pænam* vocat WOLFIUS) connectendi cum læsione, id est, bello „ offensivo aggrediendi. „ Ex hoc fonte se puriùs, quàm GROTIUM, ex Jure Rhadamantheo deduxisse existimat WOLFIUS jus puniendi in statu naturali (a). Illud cautè addit (b): " Qui alterum punit, non intendit ma„ lum, quod alteri inferendum est: sed aversionem periculi læsionis fu„ turæ sibi, & aliis ex præterita metuendæ. „ Subjungit: quemadmodum D. THOMAS ait, " in vera defensione hominem non occidi ex intentione: „ ita prorsus ad mentem ejus dicendum, puniendo non inferri malum ex „ intentione. Absit, ut quis sibi persuadeat, inanes fingi subtilitates, si„ bique caveat, ne eas ad quisquilias Scholasticorum referat animo con„ viciandi, quo contemnuntur, quæ non intelliguntur (c). „ Sunt tamen alii; quibus videtur non esse iniquum, ipsam occisionem si *intendat* puniens; cui enim, ajunt, licet finem quærere, licet etiam *intendere medium*, quale hìc est occisio. His omissis alia tractanda se offerunt.

## ARTICULUS II.

### *Explicatur jus belli privati, Statui Naturali competens.*

DE hoc jure belli privati duo potissimùm explicanda veniunt, I. Quousque se extendat; an etiam in infinitum. II. Ad quæ defendenda bona se extendat.

§. I.

(a) J. N. p. 1. à §. 1057. (b) §. 1074. (c) Ibid. §. 992.

## §. I.

### Quousque ſe extendat jus belli privati.

183. *Jus in infinitum extenſum à* Grotio:
184. *Et* Puſendorfio:
185. *Moderationem accipit à* R. P. Schvvarz.
186. *Et L. B. de* Wolf.

183. Celebre eſt effatum Grotii (a): qui me injuria parat afficere, is mihi eo ipſo dat jus, hoc eſt, facultatem aliquam moralem adverſùs ſe *in infinitum*, quatenus aliter malum illud à me arcere nequeo. Gronovius in annotationibus ad hanc ſententiam Grotii ait, " hoc aſſertum " duræ, ac difficilis eſſe concoctionis, etiam ubi injuria jam quis eſt affectus. " Fortaſſe hanc fuiſſe mentem Authoris, quòd det facultatem liberam in- " circumſcriptam in inſtanti, cùm conſilium in arena capiendum, nec co- " pia eſt circumſpiciendi, quid optimum ſit, arripiendi auxilium, & ob- " jiciendi, quodcunque ſub manu eſt, etiamſi inde, non quidem deſtina- " tione mea (quæ eſt tantùm, à me arcere injuriam) ſed caſu fortuito " mors lædere volentis ſequatur: ùt ſi manum, dum intentatur mihi ala- " pa, præcidam, aut ſic ſauciem, ut vulnus ei ſit mortale. „

184. Duræ non minùs concoctionis eſt doctrina Pufendorfii docentis (b): Eo ipſo, dum quis me injuriis laceſſit, nec pœnitentiæ ſi- " gna oſtendit, dat mihi, quantum in ſe eſt, adversùs ſe licentiam *in in-* " *finitum;* neque habet ampliùs in ſe jus, quo minùs extrema quæque ab " altero ipſi viciſſim inferantur: etſi ſæpe, ne iſto jure quis integro uta- " tur, aliæ conſiderationes prohibeant. „

185. Hanc doctrinam Pufendorfii nimiùm liberalem appellat R. P. Schwarz (c): " Hæc enim, ait, infinita poteſtas jure defenſionis " legitimo fundari nequit; hoc enim nititur moderamine inculpatæ tutelæ. " Et licèt æqualitate inferendi mali phyſica non reſtringatur, ùt rectè Pu- " fendorfius tenet: reſpicit tamen *per ſe* loquendo, moralem proportio- " nem, jure penes lædentem manente, ut ne ob quamvis levem injuriam " extre-

(a) De J. P. B. L. 2. c. 1. §. 10. (b) De J. N. G. L. 2. c. 5. §. 3. (c) J. N. G. P. 1. Tit. 4. Inſtruct. 2. q. 15.

„ extrema quæque in ipſum ſtatui queant: imò charitatis etiam lege ob-
„ ſtringente, ut ne ſæviatur ultra modum, illatæ injuriæ proportionatum.
„ Hinc Grotianum axioma veriore longè paraphraſi exponit Bannes, id
„ extendendo ad ea omnia, quæ neceſſaria ſunt, ut quis ab injuria ſe ſer-
„ vet immunem.

186. Non multùm abludit expoſitio Wolfii, quam adhibet huic juri infinito (a): " Jus infinitum, ait, illud dicitur, cui in genere non
„ poſſunt præſcribi limites: ſed cui demum limites præſcribuntur ex cir-
„ cumſtantiis præſentibus; cùm nunc plus, nunc minus liceat pro varie-
„ tate circumſtantiarum, eodem fere ſenſu, quo Euclides lineam rectam
„ *infinitam* vocat. „

Huic ego expoſitioni Wolfianæ, pariter illi Banneſianæ lubens aſſentior: in alio ſenſu non agnoſco jus belli privati *extenſum in infinitum.*

## §. II.

### Ad quæ bona defendenda ſe extendat jus belli privati.

187. *Præmiſſa regula generali* Patris Schmier.
188. *Extenditur hoc jus ad bona corporis.*
189. - - *ad bona fortunæ.*
190. - - *ad bona famæ.*
191. *Si tamen ſit ſpes boni ſucceſſûs.*

187. Clariſſimus ille juris naturalis Doctor P. Schmier, dum de juribus hominum, in ſtatu naturali exiſtentium, diſſerit, inter alia hæc habet (b). " Si bellum publicum cum plurium occiſione ex cauſa defen-
„ ſionis ab omnibus licitum reputetur, etiam bellum privatum,
„ quo in ſtatu naturali æqualis in æqualem arma movet, concurrente defenſionis cauſa, illicitum eſſe nequit. „ Verbo: *quotiescunque bellum publicum jure naturali inter duas civitates cenſetur indultum, toties bellum privatum inter æquales erit conceſſum; cùm duæ civitates inter ſe conſideratæ, pro æqualibus reputentur.* Regula hæc ſolido quidem nititur fundamento: cum grano tamen ſalis accipienda eſt, ùt in exemplo patebit paulò pòſt, ubi

(a) J. N. p. 1. §. 977. §. 1063. (b) L. 1. c. 1. n. 37. 38.

ubi de calumniis vindicandis agemus n. 242. Id præterea notandum, ex hoc jure belli privati non ſemper licere extremum malum ſeu necem inferre adverſario: ſicut etiam in bello publico ea moderatio adhibenda eſt, ut quis alteri plus non noceat, quàm ad defenſionem neceſſarium ſit.

188. Ad particularia jam ut deſcendamus, & imprimis ad bona corporis, ſatis certum eſt; ſicut pro vita ſubditorum Princeps, aut Respublica in hoſtes, ſi iniquas cædes exerceant, bellum ſuſcipere, aut etiam patratas jam, præcipuè crebriores, armis vindicare poteſt, ni ſatisfactio pro culpa præſtetur, & ſecuritas pro futuro: ita etiam privato cuique licitum eſt adverſarium, imminentem vitæ aut membris, illata nece, ſi mitiore modo fieri nequeat, repellere; nam vim vi repellere omnes leges, omniáque jura permittunt (a). Ita Doctores communiter. Quòdſi ergo occiſio invadentis, præſertim dum ſine meo novo periculo fieri poteſt, eſt licita, etiam duellum erit licitum, quamvis aleam dubiam ſubire oporteat, modò alia via non ſuppetat evadendi. Hoc contingere poſſe in duplici caſu exiſtimat Grotius (b). I. Si invadens alteri concedat licentiam dimicandi, alioquin eum occiſurus ſine dimicatione. II. Si Magiſtratus duos, mortem meritos, inter ſe committat. De quo caſu gemino judicium Ziegleri legi poteſt apud Schwarzium (c). Quid de reliquo obſervandum ſit, dum occidi opus eſt invadentem; quando nempe fugere teneatur is, qui vim patitur: quando vitam propriam vitæ invadentis poſthabere, quomodo moderamen inculpatæ tutelæ obſervandum, aliáque ſimilia paſſim apud Doctores invenies.

189. Non minus bona fortunæ bello privato, quàm publico tueri, aut recuperare fas eſt; nam, ùt ait Pufendorf (d), quid judicium, & mos omnium gentium ferat, in aprico eſt; nam pleraque bella geri conſtat, non ut aliis vita, ſed res eripiantur: ac ridiculus eſſet hoſtis, qui, ne telis peteretur, proteſtari vellet, quòd ad res duntaxat rapiendas veniat. Illud igitur certum eſt, non fieri injuriam ei, qui, dum alterius res raptum, aut perditum it, occiditur, etſi aliàs res iſtæ vitæ hominis æquiparari

R

(a) C. Si verò ali[illegible]nius. 3. de Sent. excomm. (b) J. P. B. L. 2. c. 1. §. 15.
(c) De J. N. p. 1. tit. 4. Inſtr. 3. quæſt. 4. (d) J. N. G. l. 2. c. 5. §. 16.

parari nequeant. Grotius (a) hac in materia rigidus nimium videtur Schwarzio (b). Quem rigorem ego non moror; cùm de lege Evangelica sit sermo Grotio. De statu naturali sentit cum communiore, dum ita statuit (c): *Licita est defensio justa bonorum fortunæ, si in notabili quantitate, vel pretio sive eripienda, sive erepta non nisi morte furis aut servari, aut recuperari possunt.* Quanti autem pretii res ablata esse debeat: quæ certitudo juris ad eam rem, vel in ea re: quæ diversitas in statu naturali ac civili, aliáque huc pertinentia, vide apud Schwarzium (d). Quòdsi ergo cædes raptoris licita est, etiam duellum erit licitum, uti asserit Bonacina (e) nixus assensu Navarri, Becani, Sanchez: *Ad defensionem rerum propriarum videtur esse licitum acceptare duellum, quando aliquis eas invadit, nec aliud adest remedium ad eas defendendas præter acceptationem; tunc enim non dicitur propriè duellum* (de hoc nolim jam litigare) *sed justa defensio rerum propriarum. In quo casu, si invasus non habeat arma, potest ab invasore petere, ut sibi arma concedat.* Nota tamen, cùm in duello propriam vitam exponas, de majore jactura bonorum debere agi: quàm ubi sine tuo periculo raptorem occidis. *Vide n.* 362.

190. Demum propiùs ad rem meam accedere juvat, & num bello vindicare liceat illud quoque delicatissimum bonorùm genus, honorem scilicet & famam, examinare. Bellum publicum gens genti non immeritò infert, grandis ubi contumelia illata fuerit, vel Principi, vel universæ Reipublicæ. Hac de causa bellum movit David contra Hanon regem Ammonitarum; eoquòd nunciis, à Davide amica cum salutatione ad eum missis, in opprobrium barbæ dimidium abraserit, etiam vestibus fœdum in modum præcisis (f). Justum quoque bellum fuit undecim tribuum Israël adversus tribum Benjamin, defendentem habitatores Gabaa, ne punirentur ob scelus illud immane, quo uxorem viri Levitæ eousque incredibili libidine vexârunt, ut animam efflaverit (g). Huc serviet etiam Dinæ injuria vindicata à fratribus, dignis, si modum demas, laudari à Judith (h). Injuriæ hæ

*reales*

(a) J. P. B. l. 2. c. 1. §. 13. 14. (b) J. N. G. p. 1. tit. 4. Instruct. 2. quæsit. 6.
(c) Ibidem §. 11. (d) Loc. cit. (e) De Censur. disput. 2. q. 6. punct. 2. n. 11.
(f) 2. Reg. 10. (g) Vide *Molinam* tract. 2. disp. 104. n. 3. 5. (h) Judith. c. 9.

*reales* quidem fuêre: nec tamen dubito, etiam ſolis *verbis* acerbam inferri poſſe contumeliam genti à gente, dum e. g. una Reſpublica, vel Reipublicæ pagus unus (a) per præconem, ad fines alterius Reipublicæ vel pagi miſſum, in eandem ſcommata, & atras calumnias declamaret, easdem mox per complures provincias diſperſurà, ut peſſimam notam apud nationes cæteras inimicæ inureret. In ſimilibus cauſis locum eſſe vi & armis, non facilè quis dubitabit: tunc ſaltem ſi congrua ſatisfactione vindictam prævenire non malit pars lædens, qua oblata utique à bello erit abſtinendum: *cùm in eum, qui jure agere & ſatisfacere eſt paratus, nefas ſit bellum ſumere tanquam in injurium* (b).

Quod Gentibus licet, cur privatis in ſtatu naturali conſtitutis non liceat? præcipuè ſi illud ſubſiſtat, quod ſupra n. 187. ex P. Schmier attuli: *Quotiescunque bellum publicum jure naturali inter duas civitates cenſetur indultum, toties bellum privatum inter æquales erit conceſſum; cùm duæ civitates inter ſe comparatæ, pro æqualibus reputentur.* Id interea extra dubium eſt, homini licitam eſſe juſtam defenſionem, & vindicationem famæ & honoris. Quòd ſi enim tueri licet bona fortunæ, cur non & bona famæ, quæ meritò pluris habentur, quàm opes; nam *melius eſt bonum nomen, quàm multæ divitiæ* (c). Conſecutio hæc placet, teſte Schwarzio (d), Theologis, & Juris-Conſultis tam veteribus, quàm recentioribus, Molinæ, Soto, Navarro, Ant. Gomez, Covaruviæ, Lessio, Lugoni, Silveriæ &c. Quin ſic infert conſequentiam: "Ergo ſi licita eſt occiſio aggreſſoris injuſti pro ſervandis bonis fortunæ, à fortiori licita erit pro ſervandis bonis honoris; & famæ." Sed de hoc indagare neceſſe erit paulò pòſt pluribus, & enucleatè magis agendum.

Quòd ſi interea quæras, an defenſio hæc à natura non tantùm permittatur; ſed etiam imperetur, reſpondet Wolfius (e), hominem ad famam defendendam obligari contra calumnias; hinc ipſum Christum Dominum, qui, quamvis convicia conviciis non redderet, ſeu *maledicta maledictis* (f): adverſus calumnias tamen Judæorum, dum famam ſuam laceſſe-



(a) Canton. (b) *Lipſ.* Civ. Doctr. l. 5. c. 4. n. 15. (c) Prov. 22. (d) P. 1. tit. 4. Inſtruct. 2. §. 4. (e) J. N. p. 1. §. 1033. (f) 1. Petr. 2.

cessebant, famam defendisse (a). Econtra alii cum SCHMIER, SCHWARZ, MEZGER, REDING, arctam ejusmodi obligationem non agnoscunt, nisi fortè non mea tantùm, sed & aliorum intersit, famam meam illæsam stare; nam, ajunt, in opinione verè Sapientûm, qui patienter fert injuriam, æstimationem de se magis auget, quàm minuit; virtus enim heroica est, motus naturæ rationi subjicere, & se ipso esse superiorem.

191. Notare hìc oportet, quod de bello publico communis Doctorum tenet (b), opportunè ad bellum privatum applicandum. Ajunt, non licere Principi bellum adversus hostem movere, non habenti vires necessarias, quamvis justam habeat causam, si ex bello tali maxima possunt oriri detrimenta in perniciem Statûs ex defectu virium. Ratio ex lumine naturæ petitur; quis enim prudens subeat grande periculum cum nulla, vel futili tantùm spe evadendi? quis se oceano institor committeret, si spem prudentem concipere non posset evitandi syrtes, & scopulos? Id, quod tunc præcipuè verum est, dum non tam patriæ, quàm familiæ suæ causa Princeps bellum cogitaret. Infero ergo etiam ego de bello privato: si quis aggressurus furem, ac raptorem, sive in duello, sive extra illud, ita se viribus, & dexteritate pollere non advertat, ut de victoria referenda spem possit concipere, malè is eam aggressionem tentaret; malè enim pro bonis fortunæ vitam exponeret ejusmodi periculo, in quo probabiliùs succubiturus vitam unà cum bonis amittere necesse haberet. Nisi fortè de tali, tantóque damno evitando ageretur, ut, qui illud incurreret, vitam non nisi molestissimè esset toleraturus: ubi fortè spes utcunque probabilis vincendi posset sufficere. *Vid. Cas. Cap. 6. n. 357.*

## ARTICULUS III.

### *An propter Jus belli privati Duello tueri honorem liceat contra injurias reales, e. g. verbera.*

A Generalibus ad particularia jam descendendum est. Quòd in Statu Naturali detur Jus belli privati, & quòd, vi hujus juris vindicare liceat præter bona alia illud etiam bonum delicatissimum, honorem scilicet,

(a) Joan. 8. v. 48. (b) *Molina* Tom. 1. de Just. tr. 2. disput. 102. *Suarez* de Charitat. disp. 13. sect. 4. n. 8. aliique apud *Schiaram* Theol. Bell. L. 1. diffic. 4. n. 6.

cet, & existimationem, satis liquet ex præcedentibus. Cùm autem contumeliæ, queîs honor violari potest, sint diversæ, diversi item modi vindicandi, examinabimus hoc Articulo, an duello, aliáve ratione violenta tueri liceat honorem contra crassissimum contumeliæ genus, scilicet contra *verbera*, eáque fuste, scutica, manúve vel infligenda, vel etiam jam inflicta. Ante omnia accuratiùs explicare oportet *Statum quæstionis*. Dein considerabimus verbera *primùm danda*, seu intentata: tum quoque verbera *jam data*.

## §. I.

### Status quæstionis accuratè explicatur.

192. *Depingitur Status naturalis mixtus.* 193. *Fingitur Casus.*

192. EX iis, quæ suprà, præcipuè n. 173. dicta uberiùs sunt, patet, Statum Naturalem aptè dividi in *merè* naturalem, & *mixtum*. Nobis de mixto sermo est, habente tamen præcipuum characterem Status Naturalis, libertatem scilicet non dependentem ab altiore judice. Fingamus ergo, quemdam terrarum tractum incoli ab hominibus, qui ex variis civitatibus eò confluxerint, & nunc degant congregati in varias familias: ita tamen, ut etiam multi, soluta per mortem, aliámve causam potestate paterna, conjugati, aut non conjugati, suas sibi, ubi placet, sedes figant, nullius subjecti potestati, nisi Authoris naturæ, vel ad summum parentum, aut mariti: vel si vis, etiam herili; námque etiam servos, & famulos in hoc Statu naturali mixto admittimus. Judice carent, qui vel inter familias, vel alios, extra familiam degentes, jus dicat, aut lites dirimat. De cætero offendi sunt faciles: in famæ, ac honoris integritate servanda admodum delicati: nil minùs, quàm contemptum, ludibrium, aut ignominiam ferre docti: mitiùs laturi opum, nescio quam jacturam, quàm vel fungi, aut deceptoris, aut adulteri nomen. Quòd si tamen ejusmodi fortè passus quis sit, omnium judicio armata manu abstergenda fuligo est: provocandus in arenam, qui offendit, ut pugnando satisfiat, redeátque honor.

Omnium maximè alapam, vel ictum fuste datum, indignè ferunt. Hunc, illámve si quis temerarius dedit, fas tibi esse dicunt, exerto cum

confestim gladio confodere, etsi suum is ferrum nondum nudâsset. Moras si trahis, occasionem venari oportet, qua fortè obrutum tu quoque cædere fuste possis. Si patiens excipiat ictus tuos, quin suum ipse ferrum stringere audeat, tuus tibi honor rediit. Si occasio non detur, ita eum obruendi, (solent enim, qui alapam dedêre, cauti incedere) vel si generosiùs velis agere, ad pugnam venire necesse erit, cui signum opportunè dabis projecto ad pedes antagonistæ baculo tuo. Pugna autem cruenta sit, nec leviter strinxisse cutem sufficiet. Hæc de verberibus, fuste, vel manu, vel scutica datis. Non tamen necesse est, ut verberem: modò pileum ei circumagam, vel manum impingam pectori: quin vel levâsse manum ad ictum sufficit. De his ferme eadem statuuntur, atque de verberibus. Quòdsi quis, neglectis his regulis, non utatur præscriptis remediis, extremo se contemptui exponit: velut imbellis fungus exploditur: commercio & societate æqualium excluditur: quin & bona vel rapiuntur, vel negantur eousque, ut, unde vitam sustentet, quandoque non supersit. Commissa econtra pugna, sive duello, quemcunque exitum habuerit, sanatum reputatur vulnus, honori antè illatum. Ut paucis dicam, de honore & duello idem est horum hominum in statu naturali corruptum judicium, quale hodie in civitatibus plerisque vigere cernimus.

193. Fingamus etiam casum. Leander, nescio quibus crabronibus concitatus, Hectorem, virum inter suos æstimatum, subitò invadit, eúmque provocat, ut duello satisfaciat pro injuria, quam sibi factam credit. Tergiversanti ex metu peccati fustem, aut alapam intentat. Dubitatur, an Hector vel aufugere debeat, si fugæ sit locus: vel an firmo pede consistere, & pugnam acceptare sine piaculo possit, atque etiam interimere. Fingitur simul, Hectori fugienti, vel alapam ferenti aliud damnum non fore timendum, præter ignominiam, contentam in ipso ignominioso ictu aut fuga, adeóque ignominiam hanc non esse de cætero damnificam. Explicato ita statu quæstionis, sequitur

§. II.

## §. II.

### De verberibus primùm dandis, seu intentatis.



194. AIo: I. Hector in posito casu non obligatur fugere. II. Neque obligatur patienter excipere verbera: sed fas est ei gladium objicere vim intentanti. III. Quòdsi hic desistat, vel cedat, occidere non licebit. IV. Minore tamen pœna protervum docere modestiam fas erit. V. Quòdsi autem Leander armis contra Hectorem agere incipiat, defendere se huic vetitum non erit duello, vel rixa, quomodocunque vocare placeat. VI. Cavendum tamen Hectori, ne lethale vulnus det Leandro, si minùs periculoso expedire se possit. Membra singula juvat explicare.

195. I. Hector in posito casu non tenetur fugere. Nam difficile est, ad capessendam fugam virum honoratum, non levis inter suos authoritatis, obstringere, siquidem fugiendo non leve honori suo dispendium, atque ignominiam esset allaturus. Quid agendum in hoc casu, ex judicio prudentum liceat colligere. Catholicos authores si consulo, docet Molina (a): „ si sit homo ingenuus, cui dedecori sit fugere, quando alius eum aggreditur, tunc, esto, fugiendo & vitam propriam, & aggressoris posset conservare, non tenetur fugere: sed defendendo personam propriam, & proprium honorem interficere potest injustum aggressorem, quando aliter non potest utrumque conservare. „ Citat Sotum, Navar-

(a) De Justit. tr. 3. disp. 17.

NAVARRUM, ANT. GOMEZ. Assentitur LESSIUS, testatus, hanc esse communem DD. sententiam. Certè vindex GOBATI recenset omnino nonaginta sex ei faventes (a). Et quamvis multi, vel plerique eorum loquantur de eo, qui armis, non qui colapho, aut fuste te impetit, sine periculo gravioris vulneris: nihilominus ratio movens est eadem utrobique, scilicet *ignominia fugæ*, quæ si sufficit, ut quis stet, ubi vita invaditur, cur stare non liceat, ubi nihil vitæ, & membris timendum est? argumento utitur MOLINA, ùt potior authorum pars, adducto jam supra n. 190; quia scilicet honor pretiosior est bonis externis: quòdsi ergo rapere volenti opes arma licet opponere: idem licebit contra volentem rapere honorem adigendo me ad fugam, vel ad recipiendum colaphum. Item: ego jus habeo standi: alter jus non habet me obligandi ad fugam: ergo fugere non teneor.

Monent tamen Patroni hujus sententiæ, habendam esse rationem personarum; non enim Ecclesiastico aut Religioso Viro, vel cuidam ex plebe fuga in probrum imputabitur. Imò lepidum est discrimen, quod facit BARTOLUS (b) cujus sententiam his verbis recitat DAMHOUDERIUS (c): „ Si „ tu es Perusinus, famam ac dedecus metuens, ad actum usque occisionis „ procedere potes; quòd summum sit dedecus Perusino magnanimo ac ge- „ neroso, turpiter adversario invadenti cedere. Sed ille, cui nulla est „ gloriæ, nominis, ac honoris ratio, qualis est Florentinus, & commodè „ fugere potest, neglecta nominis gloria, certè modis omnibus fugere tenetur, & si non fugit, punitionis crimen incurrit. " Hoc scilicet BARTOLUS studio partium dedisse videtur. Deinceps autem mutavit sententiam, & statuit, nullum teneri fugere (d). Monent insuper Doctores, illum, qui invaditur propè januam suæ, vel alienæ, præsertim amici cujusdam domûs, ita ut eò se facilè recipere, & excludere instantem inimicum possit, non tam facilè habiturum, cur ignominiam timeat. Item monet LUGO (e) eum, qui adversarium iniquè læsit, & lædendo irritavit, teneri ad fugam, utut ignominiosam.

196. Si sana est illa MOLINÆ, & aliorum doctrina, multò faciliùs admittetur mea; primò quia illi Theologi loquuntur non de statu naturali solùm,

(a) Vid. *La Croix* l. 3. p. 1. n. 803. (b) Ad l. 3. ff. de Just. (c) Prax. Crim c. 76. n. 9. (d) Vid. Maurit. de Duell. §. 51. (e) Resp. Mor. disp. 10. sect. 8

ſolùm, ſed etiam de civili, de quo mentem meam exponam Cap. VII. Tum ideo; quia qui fugit irruentem contra ſe armis, ſperare poteſt, idem periculum, fuga ſemel ſuperatum, non tam facilè fore rediturum; vel quia mitigabitur furor invadentis, vel quia opem interea ferent alii; econtra Hectori, provocato ad duellum, etſi ſemel fuga ſe ſubducat duello ac alapæ, nullibi tutò licebit conſiſtere, redibit provocatio fortè priore crudior; cùm cauſa talis ſit, quæ juxta receptam in tali ſtatu opinionem, non niſi monomachia finiri poſſit. Quin ipſa intentata alapa habetur pro data, ùt dixi n. 192. qualem non niſi ſanguine elui arbitrantur. Non ergo tam facilè obligari poterit ad fugam ignominioſam, & inutilem ſimul.

197. Acatholici Doctores rigidiores ſunt. Juxta Grotium (a) " neutiquam probandum eſt, quod à plerisque (Caſuiſtis ſcilicet) eſt tra- " ditum, defenſionem cum interfectione eſſe licitam, jure ſcilicet Divi- " no; (nam de ſolo jure naturæ, quo minùs ita ſit, non diſputo) etiamſi " quis fugere ſine periculo poſſit; quia fuga ſcilicet ignominioſa ſit, in " nobili præſertim homine. Atqui nulla eſt hìc ignominia, ſed falſa quæ- " dam ignominiæ opinio, ſpernenda ab omnibus iis, qui virtutem, & ſa- " pientiam ſectantur. „

Pufendorfii ſenſa hæc ſunt: " qui ab altero invaditur, utique " tenetur fugere, ſi commodè poſſit, ſic, ut cædes invaſoris non priùs " fiat licita, quàm fugæ via ſit intercluſa. Ubi patet, in naturali quidem " ſtatu invaſori nullum competere jus, ex quo alter teneatur ipſius vim " per fugam declinare: & ſi quando fuga potiùs, quàm pugna eligitur, " id non fit in gratiam invaſoris, ſed quia hòc ei, qui invaditur, magis " expedire videtur. Inde cùm civitates invicem in ſtatu naturali vivant, " nemo aſſeruerit, quòd, dum v. g. Rex alterum Regem per injuriam in- " vadit, hic teneatur, quantum poteſt, fugæ ſe mandare, ne, dum reſi- " ſtit, aliquos ex invaſoris copiis occidat. Verùm in civitatibus omnino fugien- " dum potiùs, ſi commodè fieri poſſit, quàm invaſor occidendus. Neque " verò in ejusmodi fuga turpe quid, & militari etiam viro indignum eſt; " quippe, quæ non ſuſcipitur ex ignavia, aut neglectu officii, ſed quia " ratio nullam hìc exercendæ fortitudinis materiam invenit, ſi citra ne- "

S „ ceſſi-

(a) J. B. P. l. 2. c. 1. §. 10. n. 3.

„ cessitatem civis sit occidendus, à quo me tutum Magistratus præstare „ commodè potest. „ (a)

198. Qualiscunque hic rigor ad me hoc loco non pertinet. In statu naturali jam versatur Hector meus, pro quo statu mitior est PUFENDORFIUS, ùt ex verbis primùm recitatis patet. Etiam GROTIUS consultò dixit, *se non disputare de solo naturæ jure.* Neque etiam aliter iis sentire licebit, si suis principiis velint inhærere, positis partim *num. præcedente*, partim *n* 183. Casuistarum jam est de Statu Civili disputare, & à se notam laxatæ disciplinæ amoliri. A damnatione saltem Pontificia hi non habent, quod timeant; nam teste CARDENA (b): *doctrina de honore invaso per facta ignominiosa nec formaliter, nec virtualiter subjacet damnationi.* Meum quoque erit, pro statu Civitatis tam malè, quàm bene ordinatæ suo loco edicere sententiam.

199. Igitur cum Illustri WOLFIO mihi adhuc res est, qui, præ cæteris rigidus, in ipso etiam statu naturali obligationem fugiendi imponit, ita statuens (c): *Si quis læsionem, sibi intentatam ab altero, fuga evitare potest, fugere debet. Etenim in defensione sui durioribus remediis uti non licet, quamdiu leniora prostant.* At negabunt nostri Theologi, quòd fugam cum gravi ignominia arripere lenius remedium sit, quàm frontem, & arma invadenti opponere, & tentanti dare colaphum, quod gravissimum contumeliæ genus est. Pergit WOLFIUS: *Fuga sibi consulere ignominiosum non rectè reputatur; quoniam ipsa lex naturæ eam urget, nec in hoc casu aliud defendendi genus concedit.* Verissimum est, fuga sibi consulere ignominiosum non rectè reputatur: sed unde probatur, quòd ipsa lex naturæ fugam urgeat pro nostro casu, & aliud defensionis genus non concedat? Ait: *Imaginem hujus juris videmus in brutis animantibus, quæ non nisi fuga sibi consulere possunt.* Crediderim; quia non ducuntur honore, nec eis fuga molestum dedecus affert. Subjungit: *hominum de ignominia præconcepta opinio jus nullum facit. Novi quidem, opinionem esse tyrannum, adversus quem nihil valet ratio. Sed hic non docemus, quæ malesanorum opinioni, sed quæ rationi consentanea sunt: valeant, quantum possunt.* Ad hæc

(a) J. N. G. l. 2. c. 5. §. 13. (b) Crif. Theolog. differt. 21. c. 2. art. 4.
(c) J. N. p. 1. §. 1010. 1011.

hæc, quæ doctissimè illata sunt, respondere liceat primò; equidem hominum præconceptam de ignominia opinionem jus nullum facere, quo arma obvertere liceat volenti cædere. Opinio ea malesana id solùm facit, ut fuga habeatur pro ignominiosa, & consequenter molestissimum contemptum fugienti afferat. Jus autem amoliendi à se molestissimum contemptum, aliunde habet homo.

Objicies fortè, sic Hectori etiam fore licitum adorare idola, si molestum deberet contemptum ferre, dum abstineret ab hoc crimine. Sed respondeo, neutiquam id confici; contemptus ex malesano judicio redundans in non adorantem idolá non facit Hectori jus ad idololatriam; quamvis enim aliunde habeat jus amoliendi à se contemptum: non tamen habet jus id faciendi per idololatriam; hæc enim statuitur esse *intrinsecè* mala de se, & semper prohibita. Econtra sistere gradum, & arma opponere volenti cædere: quin, nisi desistat, etiam occidere ad avertendam gravem contumeliam, licitum esse reputatur, licentia concessa ab illo ipso Deo, qui permisit ejusmodi defensionem armatam contra raptorem opum. *vide hæc exposita uberiùs n. 259.* Rectè denique ait Wolfius, *se non docere, quæ malesanorum opinioni, sed quæ rectæ rationi consentanea sunt.* Nempe malesanorum opinioni consentaneum est, fugientem velut ignavum contemnere: & hoc ego quoque improbo quàm maximè. Rectæ autem rationi consentaneum, vel saltem non dissentaneum est, postquam is contemptus separari jam à fuga non potest, ab hoc contemptu armis se contra iniquum hominem tueri: & huic soli subscribo. Illud adhuc notare liceat, vulgarem illam opinionem, quæ fugientem ad solius baculi minas de vecordia suspectum habet, dubitátque, an immoto pede perstiturus esset coram Reipublicæ hoste inter Martis tonitrua, non adeò temerariam, & frivolam esse; quis enim facilè credat, hominem, cæteroquin non admodum Christianum, aut Philosophum, non nisi conscientiæ stimulo, aut Stoicis machinis ad fugam concitari?

200. Cæterùm concordia inter nos stabit, si casui, prout à me est positus, inhæreamus; etsi enim aliàs eum, qui violentus in me irrueret, fugere tenerer: non tamen id de ejusmodi homine intelligendum, qui à me è vestigio duellum postulat; quia, ùt suprà insinuavi, provocato ad duellum, nullibi tuto licebit consistere: redibit provocatio, &

 fortè

fortè priore crudior. Judex autem, qui contra violentiam ulteriorem tueatur, abesse statuitur.

201. Denique conclusio, qua obligatio fugiendi negatur, confirmari potest ex quadam animadversione PUFENDORFII, ita disserentis (a): " Non credendum est, tergum semper invasori obvertendum aut cessim eundum; cùm „ illud vulneribus pateat, & hìc à lapsu periculum immineat. Et quia peri„ culis magìs patemus aversi; & qui semel in fugam se conjecit, ubi fortè „ eidem spatium non ampliùs supersit, aut velocitate pedum invasor præ„ cellat, non facilè iterum gradum componere potest ad excipiendum ad„ versarii impetum. Ergo ubi in proximo non patet suffugium, quo quis „ tutò se possit recipere, moderamen inculpatæ tutelæ non transgreditur, „ qui pectus potiùs invasori opponit, quàm per fugam opportunum se icti„ bus præbet. „ Hæc cùm plerumque comitentur invasionem, ab obligatione fugiendi plerumque absolvunt in statu Naturali, quin & Civili. Robur accipiet hoc primum membrum conclusionis etiam ex sequentibus.

202. II. Dicitur in conclusione, Hectorem ab obligatione fugiendi jam absolutum, neque teneri excipere verbera; sed fas esse objicere gladium. Ita CARDENAS (b) verbis expressis, post damnationem nonnullarum circa hanc materiam propositionum, ait: Si Titius fuste intentet ignominiosam percussionem Cajo, quam sine gravi nota aliter declinare non valet, potest Cajus opponere gladium. Ratio desumitur ex gravitate ignominiæ, quæ per fustem, aut colaphum inferri censetur, de qua PUFENDORFIUS (c): " Gravissima habetur contumelia alapis cædi, cujus „ causa apud multos Europæos populos hæc videtur esse, quòd servo„ rum, aut vili adhuc disciplinæ subjectorum, ista sint bellaria, unde in „ alapa maximus est contemptus. „ Pro ipso statu Civili hanc facultatem tribuunt omnes ferme Authores citati pro membro præcedente n. 195. Ut adeò in statu naturali minor sit hæsitandi ratio; quia in hoc statu si admittas alapam, nemo Judex ignominiam per pœnas, reo infligendas, absterget, id quod tamen in Civili sperare sæpissime licet.

203. III. Quòd si, qui verbera intentabat, desistit, vel gladium objicienti Hectori cedit (uti quandoque solent post inane terriculum vani thra-

(a) Loc. cit. (b) Differt. 21. c. 2. art. 4. Crif. Theol. (c) J. N. G. l. 2. c. 5. §. 12.

thrasones) occidere non licebit, aut vulnerare graviter. Recepta quippe apud juris naturalis Interpretes lex est: In aggredientem tantundem tibi licet, quantum læsioni arcendæ sufficit. Si quidem leniora media defensioni sufficiant, non utendum durioribus. Demonstrationem hujus veritatis exhibet WOLFIUS (a), cui subdit: " Hinc intelligitur, quomodo " accipienda sint, quæ dicit FLORENTINUS (b): *Jure hoc evenit, ut, quod* " *quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur.* Nimirum " supponendum est in casu dato, ea ob tutelam corporis fieri debuisse, " neque hanc alio medio leniore obtineri potuisse. Hæc quæ de limiti- " bus juris se defendendi dicuntur, probè tenenda sunt. Etsi enim hìc " jus defensionis spectetur non nisi in statu naturali, qui libertatis est, & " ubi nemini ratio ejus, quod fecit defensor, reddenda: ex hisce tamen " principiis suo loco definiendum, quid justum sit in statu Civili, ut ad " hanc normam exigantur leges, quæ de eadem prostant, positivæ. Ne- " mo est, qui hoc non facilè capiat, & secum hac ratione agi velit. Pra- " xis tamen admodum difficilis est, præsertim ubi affectibus perturbatur " animus, ut impediatur attentio, sine qua de mediorum usu probabile " non fit judicium. ".

204. IV. Licebit tamen minore pœna protervum docere modestiam. Ratio est; quia aliàs modestissimus quisque sæpissime præ aliis violentas contumelias pateretur, si aliud nil ultrà liceret, quàm eas solùm depellere, & depulsis dare veniam. Recolenda hìc sunt, quæ superiùs attulimus de bello offensivo privato *n.* 182. ex WOLFIO. Quibus stabilitis competit jam læso pœnam de reo sumere, vel *emendatricem*, quæ ab eo, qui læsit, repetitur, ut animum lædendi mutet: vel *exemplarem*, qua, qui te læsit afficitur, ut aliis metus incutiatur, quo à lædendis te vel aliis deterreantur. Hoc autem jus, quod jus *puniendi* vocat WOLFIUS, æquè est infinitum in eo sensu, in quo jus defensionis infinitum dixerat, (*Vid. n.* 186.) hoc est, tale, cui in genere non possint præscribi limites: sed demum ex circumstantiis præsentibus præfigendi sint. Similia docet PUFENDORFIUS (c), dicens: " in statu naturali degentes non solùm in præsens intentatum peri- "

 "culum

(a) J. N. p. 1. §. 982. 983. (b) L. 3. ff. de J. & J. (c) J. N. G. l. 2. c. 5. §. 3. 4.

„ culum repellere, ſed etiam, eo depulſo, contra lædentem eousque pro-
„ gredi poſſunt, quoad ab illo ſatis ſibi cautum videant. „ Quam ergo pœnam ſumere poterit Hector noſter de Leandro? ajo, prohibitum ei non eſſe gladii lamina dorſum recedentis, capútve aliquoties metiri, ſine vulnere tamen: vel ſi occaſio detur, etiam parte aliqua bonorum ſpoliare. Ajo, hæc non fore prohibita pro ſtatu naturali, ſi nil ex odio fiat: & adhibeatur debita moderatio: & Hector innocens antè non læſerit Leandrum.

205. V. Quòd ſi autem Leander armis agere incipiat contra Hectorem, objecto gladio ſe defendentem, ne alapam recipiat, Hectori prohibitum non erit, duello (rixam voca, ſi mavis) ulteriùs tueri ſeſe; nam nec fugere tenebatur, nec alapam pati: ergo rectè oppoſuit gladium, & licita hæc erat defenſio. Quòdſi ergo, ùt bene argumentatur Wolfius (a),
„ aggreſſor tuam licitam defenſionem oppugnare præſumat, facit, quod
„ injuſtum eſt; quamdiu enim intra defenſionis licitæ limites te contines,
„ jure tuo uteris: dum ergo jus tuum evertere ille ſatagit, contra jus tuum
„ facit: ergo de novo fit aggreſſor injuſtus, „ non ſolùm honoris, ſed & vitæ. Fas autem eſt injuſto aggreſſori ſe ſe opponere: quamvis tam tua, quàm illius vita exponatur periculo; rectè enim vitam tuam dubiæ pugnæ potiùs committis, quàm ferro aggreſſoris extinguendam offeras. Hic autem malitiæ ſuæ tribuat, ſi gravius quid patiatur. Neque dicat Leander, cœpta ſemel pugna, ſibi quoque neceſſitatem defenſionis incumbere, imò jus naſci; nam ſi deſiſtere petat, etiam cœpta jam pugna, in Hectore non dabitur jus ultra pugnandi, quod erat merum jus defenſionis, ceſſans utique, dum Leander aggrediens ceſſare ſeriò deſiderat, nec renovaturus pugnam tutò credi poteſt.

206. Oppones I. Repugnat amori ſui & alterius, pro evitanda alapa vitam ſuam periculo exponere: & alienæ moliri perniciem; quæ enim proportio inter vitam & alapam? ℞. I. Dum initio gladium objecerat Hector invadenti Leandro, nil moliri volebat in ejus vitam, ſed abſterrere. Poſtquam autem audax homo, ſalutari terrore inſuperhabito, ulteriorem vim intentat, utique nemo ab Hectore exiget, ut poſitis armis vel mactan-

(a) J. N. p. 1. §. 985. 986.

mactandum se offerat, vel genas & tergum ultro præbeat cædendum insolenti dexteræ? II. Naturalis amor, quem sibi quisque debet, utique exigit, ne vita *temere* exponatur : at non exigit, ut tanto me probro inermem exponam pro evitando periculo, quod defensio affert. Secus protervorum invalesceret audacia, & modestum quemque circumvolitarent sonantes colaphi. Neque etiam vitæ, vel etiam saluti æternæ, de qua periclitatur iniquus Leander, in pugna fortè occubiturus, magno suo incommodo Hector obligatur consulere, siquidem ille in ejus perdendæ periculum ex propria malitia se conjecerit; secùs enim probus quisque prædoni improbo pecunias, vel ipsum jugulum deberet latroni præbere, ne resistendo ruinam perdito homini accersat. III. Quamvis alapam inter ac vitam proportio mathematica non intercedit : datur tamen proportio moralis, qualis etiam datur inter vitam & fortunæ bona, quæ utique cum vitæ periculo in bellis publicis æquè, ac privatis defendi videmus.

207. Oppones II. Non licet occidere hominem propter opinionem solùm probabilem (a): atqui solùm est probabile, quòd quis possit se defendere defensione *occisiva* contra alapam; nam oppositum tenent Major, Sylvius, Tannerus, Malderus (b) ℞. ex Cardena (c): Nullum authorem negare, quod nos asserimus: unde sententia hæc non solùm est probabilis, sed omnino certa. Quòd si autem Doctoribus acatholicis nominatis *n.* 197. 199. displiceant catholici Theologi, hanc licentiam pro ipso etiam statu civili admittentes, argumenta hi petent, quibus erroris convincantur. Monebunt inter alia, ne Grotius illa Christi verba : *percutienti dexteram, sinistram quoque maxillam porrige. Auferenti pallium, da quoque tunicam*, pro præcepto obtrudat; cùm consilii tantum rationem habeant. Dein in quo sensu verum sit illud : *Non licet hominem occidere ob opinionem solùm probabilem*, explicabimus amplè *n.* 304.

208. VI. Cavendum tamen Hectori, ne vulnus lethale det Leandro, si minùs periculoso expedire se possit. Patet hæc assertio ex iisdem fundamentis, quibus niti vidimus *membrum III.*, non enim plus licebit in lædentem, quàm læsioni arcendæ sufficit. Novi, vulnus dari non posse cer-

(a) Vid. *Carden.* Crif. Theol. differt. 21. c. 2. n. 10. (b) Apud *Dian.* p. 5. tr. 4. resol. 4. (c) Ibid. n. 50.

certo & destinato modo (quæ verba sunt CARPZOVII) (a): *præsertim gladio, vel simili instrumento, ad homicidium perpetrandum apto:* hinc addidi: *si minus periculoso expedire se possit.*

## §. III.

### De verberibus jam datis.



209. ALiud jam malum se offert, cui difficilior medela est. Ferme sicut faciliùs servatur valetudo corporis, quàm perdita recuperetur: sic honorem servare contra alapam intentatam tantæ artis non est, quàm recuperare post datam. Fingamus itaque renovari hodie, quod ante annos non admodum multos est factum, & Hectorem, dum duellum subire detrectat cum Leandro, ab hoc colaphum accipere, vel aliud colapho æqui-

(a) P. 1. Pract. Crim. q. 1. n. 28.

æquivalens probrum *juxta n.* 92. Vel fingamus, quacunque ex causa viro ingenuo, atque honorato crudam ejusmodi contumeliam inferri subitò, antequam objecto gladio poterat præpedire. Quid consilii capiat probrosè cæsus? Syntagma in nostro statu naturali suprà descripto n. 192. ita habet: *Ferientem è vestigio confode stricto gladio: nil proderit cunctari, & differre vindictam; nam macula ejusmodi semper elui debebit sanguine, eóque non parcè fuso, neglecta occasione prima postea provocandum erit ad duellum, nisi servilis, & vecordis animi notam circumferre velis.* Sed num hæc bene? Equidem si perfectionem Evangelicam attendamus, ferienti maxillam dextram etiam sinistram præbebimus, vel certè præbentem laudabimus tanquam raram in terris avem; at si secernamus consilium à præcepto, gravi etiam vitio non poterimus vertere Hectori, si duriùs ei accidat concoquere in silentio crudam nimis offensam, & satisfieri sibi pro injuria quærat. At qua id via aget? num post acceptam alapam illico licebit transfodere cædentem? an idem licebit post intervallum, vel etiam in fugientem? vel an projecta ad pedes arundine licebit ad duellum evocare?

Qua in re notandum primò, si Hector satisfactionem, seu reparationem honoris alia ratione acquirere possit, quàm hac ferrea, & mortifera, quòd tunc non liceat vulnerare, aut occidere Leandrum: præcipuè si per Magistratum obtineri possit, uti in civitate bene ordinata, ubi regulæ saluberrimæ conditæ sunt pro abluendo probro per alapam fortè illato. *Lege sis dicta n.* 97. At ubi malo parata medela non est: ubi in statu naturali, vel in civitate malè ordinata, in qua receptum viget dictum syntagma, & Magistratus vel nullus datur, vel surdus est, aut eodem modo delirat, adeóque pro injuria satisfactio obtineri non potest, ibi enimvero nodus est intricatior, & difficile consilium. Notandum secundò, non esse hìc quæstionem, an, si quis mox ab accepta alapa subitò ira abreptus alterum confodiat, is peccatum grave coram Deo admittat: vel ad quam pœnam *extraordinariam* in tribunali humano debeat condemnari. Uti que primo æstui in utroque foro aliquid indulgendum. Sed quæstio jam de eo est, quod fit animo deliberato, quódque jam hodie proponere sibi possit vir honoratus, & statuere apud animum suum pro eo articulo, quo fortè alius ei vibraret alapam, aut fuste percuteret. Qua in re conclusionem statuo sequentem, quinque continentem membra.

210. I. Quòd liceat post datam alapam è vestigio confodere cædentem, reprobârunt nonnulli ex fundamentis non satis solidis.

II. Datur fundamentum, judicio nostro, solidius, quo negetur ea licentia.

III. Multò minùs licet occidere fugientem post impactam alapam, fustémve.

IV. Neque elapsa prima occasione licet post intervallum temporis eum, qui fustem vel colaphum impegit, interimere: aut aperto Marte seu duello aggredi.

V. Magis dubium videtur, an elapsa prima occasione, post intervallum temporis liceat cædenti reddere colaphum vel fustem: vel etiam occurrenti projicere cannam ante pedes juxta dicta *n.* 192. Explicanda veniunt singula.

211. MEMBRUM I. *Quòd liceat post datam alapam è vestigio confodere cadentem, reprobárunt nonnulli ex fundamentis non satis solidis.* Admiserünt hanc licentiam Doctores non pauci, quos inter NAVARRUS, MERCATUS, VICTORIA, ENRIQUEZ, CORDUBA &c. recensiti apud CARDENAM (a), & LESSIUM (b). Ratio potissima, qua nituntur, in eo stat, quòd honor per alapam ablatus, non minoris æstimetur, quàm res pretiosa, aurum, argentúmve. Cùm itaque talia auferentem vi oppugnare, quin occidere liceat, ut serventur opes, alia ratione non servandæ, *vid. n* 189. eadem facultas pro servando honore negari non poterit, juxta horum quidem sententiam. Contra probationem hanc multis depugnant authores plurimi, & meritò. Sunt tamen nonnulli eorum, qui fundamentis non satis solidis innituntur. Nostra plurimum interest, hoc loco firma ab infirmis secernere.

212. Quod ut commodiùs, & in compendio fiat, noto, potissimum honorem Hectoris non positum esse in eo, quòd alapam non accipiat, seu in *negatione* alapæ: sed in eo, quòd alapam non patiatur inultam abire. Equidem dans alapam pro sua parte non exhibet Hectori debitum honorem; nam honor est testificatio externa de alterius excellentia *juxta n.* 63. at non propterea contemnetur Hector ab aliis; eoquòd testificationi huic

(a) Differt. 21. n. 64. (b) De Jure & Just. l. 2. c. 9. dubit. 12.

huic contrarium quidquam ſit paſſus à malevolo homine. Exiſtimatio bona, quam de eo habent commilitones, non concidit ad colaphum, improvisò impactum, quem prævertere utique non erat in poteſtate Hectoris. Tunc concidet ea exiſtimatio, ſi ſervi inſtar cædi ſe ſinat modo tam ignominioſo, nec contrà honeſtæ mentis igniculis concitetur. Unde ab eo momento, quo vibratur colaphus, attoniti omnes exſpectant, an impunitam ſit laturus injuriam: ſuſpenſi dubitant, an in virum egregium, vel nauci hominem ictus inciderit. Si iners ſileat, ſervilis animi arguitur. Si indignationem oſtendat, & pulchras exſurgat in iras, firmatur nutans exiſtimatio, ac liberatur ex periculo naufragii, in quod inciderat per alienam proterviam. Atque hæc exiſtimatio *honor* dicitur vulgari vocabulo. Etſi ergo ille honor, quem Leander percutiendo abſtulit, recuperari nequeat, ſeu etſi jam fieri non poſſit, ut non irreverenter habuerit Hectorem (quod enim factum eſt, infectum fieri nequit): ſervari tamen exiſtimatio bona poteſt in animis hominum, noménque viri ſtrenui, id quod *ſervari honorem* dicimus. Et de *hac* exiſtimatione, in judicio hominum reſidente, de *hoc* honore quæſtio eſt, qua ratione eum tueri liceat, ſi per alienam proterviam nutare incipiat: non de exiſtimatione, aut externa exiſtimationis teſtificatione unius trifurciferi: hæc utique non eſt digna, ut magno impendio redimatur. Hoc ubi apud me expenderam, deprehendi, machinas, ſubruendo fundamento hujus laxioris ſententiæ adhiberi ſolitas, tanti roboris non eſſe, ac multi exiſtiment. Examinemus.

213. Opponitur I. ab Authoribus nonnullis rigidioribus: Occidendo furem, recupero rem meam, quam poſſederam antè: econtra irruendo in eum, qui alapam dedit, non recupero honorem *eum*, *quem is abſtulit*: ſed quæritur, & acquiritur *novus* apud corrupti judicii homines, habentes me pro viro ſtrenuo. Itaque quod cæſus agit ſtringendo arma, vindictæ rationem habebit, non defenſionis: ſicut tamen defenſionem moliri cenſetur is, qui furem interimit, urgente neceſſitate. Sic neque is cenſetur defendere ſua, qui ſegetem inimici comburit, à quo ſua fuit combuſta. Ita ferme CARDENAS (a). Quin ait LUGO (b): Data ea occi-



(a) Criſ. Theol. diſſert. 21. n. 72. ſeq. (b) De Juſtit. tom. 1. diſp. 10. n. 192.

dendi licentia, non erit ampliùs ratio, cur non etiam maritus adulterum cum conjuge ſua deprehenſum licitè occidat: id quod tamen nemo hodie audet aſſerere: ergo fundamentum hujus ſententiæ ruit. ℞. Si perpendantur ea, quæ antè notata ſunt, patebit, nece illius, qui alapam dedit, conſervari, & firmari *eam ipſam* meam exiſtimationem bonam, qua gaudebam antea, habitus pro viro ſtrenuo. Itaque quod cæſus ago, defenſionis rationem ſervat. Econtra comburendo inimici ſegetem, non ſervo, & defendo ſegetem meam, utpote jam redactam in cineres. Adulteræ maritum quod ſpectat, non perdet ille exiſtimationem bonam, ſi nece adulteri abſtineat poſt deprehenſum facinus; non enim receptum eſt dogma de adulterio, quòd debeat cæde vindicari, ſicut receptum eſt de colapho, non niſi per pugnam eluendo. Unde non habet neceſſe maritus, honorem ſuum ferro tueri poſt factam jam injuriam.

214. Opponitur II. ex Lugone (a): "Defenſio non habet locum, „ niſi contra invaſorem, accipiendo ſaltem invadentem lato modo, quate- „ nus comprehendit eum, qui decrevit lædere: vel eum etiam, qui, „ poſtquam læſit, non reſtituit, nec ſatisfacit, cùm poſſit; quatenus hic „ etiam aliquo modo dicitur *continuare invaſionem in ordine ad continuatio-* „ *nem damni.* Atqui talis invaſor non eſt, qui alapam dedit; jam enim ceſ- „ ſavit invadere." ℞. Etiam qui me ignominia afficit, quamdiu non affert ſatisfactionem, nec læſum honorem reparat, poteſt dici *invaſionem* honoris *continuare in ordine ad continuationem damni*, ſicut fur non reddens ablata. Exiſtimat Lugo, diſparem hìc rationem dari; quia ſcilicet à fure rem meam, jam antè poſſeſſam repeto: non autem honorem meum priorem poſſum repetere; utpote jam deſtructum per alapam, ſed alium novum. At enervatur hoc ex notatis *n.* 212.

215. Opponitur III. Qui furi infert vim, defendit *bonum verum*: econtra qui ferit poſt datam alapam, defendit *bonùm ſpurium*, ſcilicet exiſtimationem animi ſtrenui, ortam, & fundatam in iniquo judicio corruptorum hominum, quod neque ad ſanæ Philoſophiæ, minùs ad Chriſtianæ legis placita eſt exactum; ergo huic non licet, quod illi. ℞. Etiam ille, qui ferit poſt datam alapam, defendit *bonum verum*, exiſtimationem ſcili-

cet

(a) De Juſtit. tom. 1. diſp. 10. n. 194.

cet animi strenui, hactenus licitis modis acquisitam, & conservatam, non quærit novam laudem, & famam: sed antiquam satagit tueri, cujus jacturam esset passurus per indolentiam.

216. Equidem fateor, hæc jactura oritura foret, & fundaretur in iniquo judicio hominum corruptorum: at, hoc non obstante, licitè eam amolior; qui enim *iniquè* vexationibus, utut *iniquis*, me objicit, reus est illati mihi mali, sive de jactura bonorum, sive honoris agatur. Sit illud judicium neque ad sanæ Philosophiæ, minùs ad Christianæ legis placita exactum: at neque illud judicium, quo ùt ignavus contemnitur, qui nondum datam, sed *intentatam* alapam gladio non avertit, ad eas regulas exactum est: nihilominus gladio eam averti licitè docetur communiùs, ùt §. *præcedente* vidimus. Idem est de eo judicio, quo contemnitur, qui *fugit* injustè aggredientem corpus, & membra, dum posset interficere. Nihilominus Lugo (a) ait ad mentem aliorum. " Quando alius te invadit, ut interficiat, potes te defendere eum occidendo, si aliter effugere non potes: non potes autem aliter evadere, quia fuga tibi affert maximum ignominiæ, & dedecoris damnum, *& licèt id oriatur ex prava hominum existimatione*, qui id dedecori, ac pusillanimitati tribuunt, quod potuisset pietati, & charitati tribui; sed tamen *undecunque* id proveniat, malum est tibi, ignavum, & timidum reputari, ac ab aliis communiter contemni. „ Hoc ipsissimo modo argumentum objectum retorquet idem Lugo alibi (b). Sit ergo térque quatérque *iniquus* ille contemptus, & jactura bonæ existimationis, pressura omittentem vindicare acceptum colaphum: sufficit, quòd iniquè, id est, non data causa, & præscius mali, in quod me esset conjecturus per colaphum, colaphum dederit; nam, ùt dixi, qui *iniquè iniquis* vexationibus me objicit, reus est de illato malo, contra quod licitè me tuebor artibus, nemini alteri noxiis, neque malis ex sua natura, seu *intrinsecè*, ùt dictum *n.* 199. Addo, quod Pignatellus (c) de Scortia ait, utente simili argumentatione. Hoc argumentum Scortiæ (d), verba sunt dicti Authoris, merè scoria est; licèt enim perspicuum sit, cum vulgi sensum continere errorem crassum,



(a) Loc. cit. (b) De Iustit. disp. 10. sect. 5. n. 17. (c) Tom. 9. Consult. 88. n. 29. (d) In Select. Pontif. Constit. Theorem. 391.

& omni jure reprobatum: licèt item certum ſit, humanas actiones ad amuſſim Divinarum legum, non ad vulgi depravatum judicium eſſe dirigendas; attamen lex Divina naturalis homini concedit, ut ſe, ſuáque tueatur etiam cum periculo vitæ noxii invaſoris.

217. Opponitur IV. Id, quod dicit Carpzovius (a); tunc ſcilicet ejusmodi ultionem armatam futuram fuiſſe licitam, " ſi deciſio deſumenda foret ex dicterio illo germanico vulgari: *gladium pro alapa.* „ Verùm, præterquam quòd hoc planè irrationabile ſit, ac nullo jure nitatur, manifeſtè etiam illud repugnat moderamini inculpatæ tutelæ, quo „ ſui defendendi cauſa aggreſſorem interficere ei ſolummodo permiſſum „ eſt, qui periculum mortis aliter evadere nequit. „ ℞. Carpzovium loqui de ſtatu Civitatis bene ordinatæ, in quo utique talis armata ultio irrationabilis eſt, nec ullo jure nititur; cùm ſatisfactio obtineri à Magiſtratu poſſit. Dein rectè ait Carpzovius, *ſui defendendi cauſa* aggreſſorem interficere tunc ſolummodo licere, quando periculum mortis aliter evitari nequit. At in noſtro caſu Hector interficeret non *ſui*, ſeu ſui corporis: ſed *famæ ſuæ* cauſa, ferme ſicut, qui furem interficit, id non *ſui*, ſed *ſuæ rei* cauſa id agit: ſicut ergo furem occidere licet ob rem aliter non ſervandam, ſic idem dici videtur de honore periclitante ob colaphum.

218. Opponitur V. Quamvis in ſtatu naturali privatis etiam liceat lædentem pœna quadam mulctare, utì dictum *n.* 179. pœna tamen mortis, aut gravis vulneris longè excederet delictum, data alapa commiſſum. Edic enim, ſi tu in aliena cauſa judex eſſes, num Cajum, qui Titio alapam inflixit, capitis auderes damnare? cur ergo jam in cauſa propria id Hectori liceat? ℞. Necem, ſi quidem ea danti alapam inferretur, non habituram fore rationem pœnæ: *ſed dicendam fore defenſionem exiſtimationis hactenus poſſeſſæ:* ferme ſicut mors furi illata *pœna* non rectè dicitur.

219. Opponitur VI. Ex data ejusmodi licentia oriuntur exceſſus, rixæ & cædes. Ita Viva (b): ergo neganda eſt ob bonum commune. ℞. Inter viros honoratos adeò frequentes non eſſe colaphos; cùm ubique gentium hoc injuriæ genus abominationi ſit, & ipſe cædens doleat, ac pudore ſuffundatur, ſi eousque præcipiti iracundia abripi ſe paſſus ſit. Dein retorqueo

(a) Pract. nov. p. 1. q. 30. n. 35. (b) Trutin. in propoſ. 18. Alexand. VII. n. 9.

queo argumentum in alapam intentatam, quam gladio licitè averti: item in furem, quem, si opus sit, licitè interfici diximus.

220. Opponitur VII. Ejusmodi licentia *in praxi*, & actu, dum exercetur, conjuncta est cum odio, vindicta, & similibus malis affectibus: ergo *speculativè* solùm probabilis est sententia, hanc licentiam docens, non *practicè*. Ita iterum VIVA *loc. cit.* ℞. Intentio judicat omnes. Si quis animo ita comparatus sit, ut non nisi existimationem suam sartam, tectámque servare cupiat, tam parum peccabit ac ille, qui furem invadit, ut opes servet. Potest hic jam hodie in omnem eventum animo ita esse comparatus, ut non nisi suas opes: ergo & ille, ut non nisi suum honorem tueri ferro velit, occurrente necessitate. Item intentatæ solùm alapæ se armatus quis opponere potest, quin ob odium aut vindictam peccet: ergo etiam alapæ jam inflictæ. Illud præterea considerandum, quòd non omnis statim indignatio, aut zelus vindicantis justitiæ malus sit; ex æquo enim indignamur protervo homini, & castigando efficimus, ut pœniteat cum facti, nec facilè is vel alius adeò rusticè in nos, aliósve irruat.

221. Opponitur VIII. Damnata est hæc doctrina ab INNOCENTIO XI. minimùm ùt *scandalosa*, ita enim habet propositio inter reprobatas trigesima: *Fas est viro honorato invasorem occidere, qui nititur calumniam inferre si aliter hæc ignominia vitari nequit: Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Ergo undequaque jam est improbabilis sententia, de qua agimus in præsenti; nam si esset probabilis, haberet pro se fundamentum, ùt argumentatur CARDENAS (a), ob quod prudenter posset præstari assensus: si haberet tale fundamentum, *scandalosa* esse non posset. Ergo dum scandalosa est, improbabilis est. ℞. Pontificem loqui de statu civitatis, in quo Magistratus procurata congrua satisfactione labem, honori inustam, reparare valet; vel certè loquitur de casu, quo quis occideret *jam fugientem.* Id quod ex ipsis verbis propositionis damnatæ patet.

Ex iis, quæ hactenus ad objecta respondimus, colligitur, ni fallor, non temere me dixisse, sententiam hanc laxiorem reprobari à nonnullis ex fundamentis non omnino solidis. Itaque pergamus ad

222. MEM-

(a) Crif. Theol. differt. procemial. c. 10. a. 1.

222. MEMBRUM II. *Datur fundamentum judicio nostro solidius, quo negatur licentia post datam alapam è vestigio confodiendi cædentem.* Acriter vapulat doctrina licentiam illam asserens apud Authores tam acatholicos, CARPZOVIUM scilicet, PUFENDORFIUM, GROTIUM, MAURITIUM: quàm apud Catholicos. Certè VASQUEZ dicere non dubitat (a), "eam opinionem NAVARRI, & MERCATI gentilitatem sapere: eam etiam à sceleratissimis reprobari, qui quamvis passione veluti coacti id faciant, bene tamen vident, & fatentur, se peccare graviter." Adstipulantur complures apud CARDENAM, quorum tamen nonnulli intelligi possunt de nece, quæ non nisi puræ vindictæ causa exerceretur, quin necessaria foret ad conservandam existimationem. Quanti autem valeant eorum argumenta, ex præcedentibus cuique judicandum relinquo.

223. Ego fundamentum laxioris illius doctrinæ assumo, & ex eo ipso ostendo, malè gladium reponi colapho, sic argumentando: non licet furem occidere, si mitiore via potissimam saltem ablatæ pecuniæ partem valeam servare, vel recuperare, ita ut damnum non nisi exiguum maneat. Ergo neque licet occidere cædentem, si potissimam periclitantis existimationis partem mitiore via servare, vel recuperare valeo. Atqui hoc valeo: ergo &c. Audiamus qua ratione fieri id queat.

224. Vel, qui alapam dedit unam, longiorem parat grandinem: vel continebit se post datam primam? hoc tuum non est scire: ergo accepta prima alapa, exserere gladium licebit ad repellendas alapas fortè secuturas. Ferrum ergo objice prima vice cædenti, & provoca crudum Cyclopem, ut repetitum det ictum, si ausit. Nihil in hoc mali. Uteris jure tuo pro avertendo secundo colapho, quod arcendo primo competere cuique diximus *n.* 206. Cur enim non liceat contra fortè secuturos agere, quod contra primum licebat? equidem honor jam ablatus est primo: at longè magìs auferetur secundo & tertio, si culei instar excipias baculum, aut veluti mancipium heri verbera. Si stringat & ipse gladium suum, te, qui præter defensionem tuam nihil cupis, aggressurus, *aggressorem injustum* habes, contra quem pugnare nefas non est. Si tergum ille tibi vertat, ac discedat, ita

(a) In Opusc. de restit. c. 2. §. 1. dub. 9.

ita ut discessus fugæ speciem præseferat, habes, cur tibi graturaleris, ut *n.* 228. ostendam. Si non discedát: sed, viso tuo ense nudo, suum quoque stringat, non te aggrediendi, sed semet tantummodo protegendi causa, si fortè irrueres; tunc dic nihilominus audacter, ut alteram tibi det alapam, si ausit. Quòd si regerat, se ultrà nil tibi velle, satìs sibi esse litatum, repone, strenuum non esse facinus inermem, & nil opinantem cædere, hoc scire crudum quemvis de rure Menalcam: etiam tuo satìs esse litatum honori, quòd perterritum pecus redire timeat.

225. Ajo, hac ratione, quæ utique longè mitior est, quàm occisio, salva tibi manebit potissima saltem existimationis tuæ portio. Sit enim, judicetur vulgò ignavus, vecors, ignobilis, servilísque animi homo ille, qui colaphos fert patientia mancipii aut asini (rarissimus quippe est, qui ex virtute id faciat) si tamen tu objecto impigre ferro ulteriorem injuriam arceas: imò si invites, ut ausit repetitam inferre in sui jam custodiam intento; eo quòd nil opinantem & inermem obruere quivis de rure caudex nôrit: síque is arena discedat nil ultra audens, quid, quæso, est, quod ultrà exigant rigidi honoris censores? intrepidi utique animi dedisti documentum. Volent, inquis, ut acceptam injuriam etiam sanguine vindicem, eóque non parcè fuso. Sed cur id? indolenter te non ferre contumelias (si tamen ex hoc placet nobilem animum metiri) nec abhorrere à gladio utique vident: cur ergo ultra desiderant, ut vindices, & punias? Et quis inde tibi honor nasci poterit? vel resistet tibi alter, vel non? non resistentem vulnerare, vel occidere, quæ gloria? cum resistente pugnam ancipitem pugnare, & post acceptam alapam etiam mortis periculum subire, quæ insania? Sic deterior tua fit conditio, quàm protervi illius hominis sit; quia ultra commune utrique periculum etiam alapam habes. Nihilomnius, ais, ita sancitum est; vel in arena confodiendus est, qui colaphum dedit: vel pòst ad duellum evocandus: præstat autem mox confodere, quàm periculoso postea duello se committere. Itáne? ita sancitum est? ride tu hanc sanctionem. Procul te abesse à servili animo, aut pecudum patientia nemo non ex eo, quod fecisti, agnoscet. Itaque maxima existimationis tuæ pars in salvo est. Plura exigentem, dixi, ride: & siquidem ultrà sanguinem sitiat, dic, ut te aggredi ausit, secturum te ei venam.

At inſtas, ſi morem non geram ſanctioni illi, ſi alapam cruenta ſine vindicatione abire ſinam, excludar æqualium ſocietate cum contemptu, etiam fortunæ, atque officiorum jacturam paſſurus. Exſpecta ſis, ſuo loco docebo, quid agere liceat, ubi ejusmodi damnum imminet, impræſentiarum non niſi de conſervanda exiſtimatione eſt ſermo, ſeu de *evitanda timiditatis nota.* Ob hanc ſolam, cùm duellum ſuſcipere, nefas ſit per propoſitionem damnatam ab Alexandro VII., etiam cædes licita non erit, præſertim ubi potiſſima bonæ exiſtimationis portio mitiore, ùt oſtendimus, ratione ſalvari valet.

Non hæc eò à me dicta ſunt, ut contra Chriſtianam manſuetudinem, quæ in injuriarum tolerantia grande pretium ponit, conſilium ſuggeram. Perfectiora ſectetur inclyta hæc virtus pro more ſuo: non niſi viam volebam oſtendere, qua eluctari quis poſſet poſt acceptam alapam, quin vel honoris *magnum* diſpendium pateretur, vel conſcientiam *graviore* culpa inquinaret; neque enim video, quid ultrà deſiderare valeat ſuperſtitioſum in tuendo honore ſtudium: aut quid damnare poſſit ſacer Theologiæ rigor.

226. Quæres, an non ſuperſit modus alius generoſior, & ad ſanctiones, de honore receptas accommodatior, quo ſimul plenè ſatisfiat judicio corrupto hujus ævi: ſimul nihil contra conſcientiam admittatur. ℞. Supereſſe juxta opinionem nonneminis, exiſtimantis, illico ab accepta alapa fas tibi eſſe ſtringere gladium, eúmque in alterius caput aliquoties generosè impingere: non quidem ea ex parte, qua aciem habet: ſed qua plana eſt lamina. Si armis te petat, *aggreſſorem* injuſtum habes, ùt ſuprà dictum, quem ex æquo oppugnabis. Si inultus ferat impactam ſibi laminam, repete doſin: &, ſi velis, etiam baculum adde, & colaphos. Sic honorem tuum recuperas, relapſuro in illum probro; neque enim ita neceſſaria eſt ſanguinis effuſio, ut ei non æquivaleat patientia aſinina alterius in tolerandis tuis verberibus. Quòd ſi poſt datam tibi alapam, aut poſt primam à te receptam, fuga ſe ſubducat, & poſtea declarent commilitones, fuga adverſarii non reſtitutum tibi ſatìs fuiſſe honorem, ſed opus eſſe acriori lixivio ad eluendam tantam maculam, occaſionem aucupare, qua obvium habeas: tum eodem modo nudato enſe para grandinem ejus capiti. Si iterum fugiat, cachinno perſequere, vel etiam lapide aut gleba obvia, ſi id te non dedeceat.

227. Cir-

227. Circa hunc modum tuendi honorem, quem meum non facio, judico imprimis, eum esse inutilem; quamprimum enim ille, qui colaphum impegit, fustémve, strictis armis peti se adverterit, confodiendi potiùs, quàm verberandi causa fieri id arbitrabitur. Itaque, nisi monstrum inertiæ sit, arma armis opponet: dúmque tu brachium ad cædendum tolles, nudum tibi pectus fodiet. Neque facilè continget, ut fugiat; námque & ipse fugam sibi probro ducit. Quod postremò dicitur, ut scilicet, captata post temporis intervallum occasione, eum inopinatò obruas, cædásque, hoc iterum difficultatem habet; nam solet quisque, datæ alapæ sibi conscius, circumspectè incedere, ne talionem fortè recipiat. Et quid proderit dare verbera? pugnare gladio oportet juxta pseudo-legem. Si volet juxta hanc legem agere alter, tu debebis. Si malit à te verbera ferre, quàm pugnare, absolveris equidem tu: at ubi terrarum patientem ejusmodi incudem invenies? hæc de modica utilitate hujus vindicationis. De licentia si quæratur, desumenda erit ex iis, quæ *membro V. hujus Conclusionis* sumus dicturi. Ibidem ostendemus, quo remedio coërceri queat protervorum audacia, ne viris quibusque honestis impunè ejusmodi contumeliam faciant, quamvis hi, post objectum contra ulteriores ictus gladium, se se continere obligentur.

228. Membrum III. *Multo minùs licet occidere fugientem post impactam alapam, fustémve.* Ratio est; quia mitiore modo vales potissimam honoris tui portionem recuperare, ferme ùt *membro præcedente* dictum. Si enim ad primam alapam mox ferrum arripias, quamvis solius arcendæ secundæ causa id agas, strenuus censeberis, & fugienti timorem incussisse. Quin fugiens, ùt bene advertit Mendo, & la Croix (a), hoc ipso, quòd fugiat, satis se ipsum arguit, honorémque restituit, quantum restitui potest; non enim fugeret, nisi cum viro strenuo rem sibi esse agnosceret, id quod fugiendo declarat. Fugienti etiam minitare strictum ensem: non facilè redibit timidum pecus; & si rediret, vim tibi quamcunque fas esset armata manu retundere. Ergo facilè existimationis tuæ portionem præcipuam servabis (in quo ea consistat dictum *n.* 212.) imò

 faci-

(a) L. 3. p. 1. n. 804.

faciliùs, quàm si firmo pede persisteret: ergo multo minùs licebit occidere fugientem. Accedit, quòd nec ipsi superstitiosi honoris vindices exigant, ut fugientem persequaris; non enim hoc decere videtur virum gravem. Id exigunt, ut postea dimicando te purges, de quo paulò pòst. Unde patet, quare fugientem furem telo liceat persequi: non verò fugientem, qui dedit alapam; in illa quippe sententia statuitur, rem tuam aliter recuperari non posse; id, quod de honore in casu nostro dici non potest.

Unde ingenti zelo GROTIUS, & PUFENDORFIUS (a) contra laxam doctrinam detonant, ejusmodi licentiam asserentem. Nullo modo, ait hic, ferendum, quod nonnulli asserunt, non solùm rectè cædem admitti posse ad vitandam alapam: sed etiam accepta alapa, si, qui eam impegit, fugiat, eum posse occidi ad recuperandum honorem. Quare mirum non est, si provida Sedis Romanæ cura tanquam scandalosam eam rejecit. *Vid. n.* 220.

229. MEMBRUM IV. *Neque elapsa prima occasione, licet post intervallum temporis eum, qui fustem, aut colaphum impegit, perimere; aut aperto Marte, seu duello aggredi.* Sine, ut enarrem casum, qui multam cogitandi, & loquendi materiam dedit. Achilles, post acceptam à Themistocle alapam, totus extra se positus, bis, térve obambulabat cubile, reputans secum, quid consilii caperet. Mox abrupta deliberatione, Themistoclem subitò obrutum gladio transfodit. Dubitatum fuit, an Achilles ex jure, & consuetudine egisset: vel an ex insidiis feriisse dicendus esset. Pòst convaluit ex vulnere Themistocles, usus thermis in regione extera; ex qua post annum redux par pari reddere Achilli statuit. Itaque operitur die quadam exeuntem ex templo, & sacris refectum. Mox exerto sclopo, ait: cùm tu per insidias me petieris, malè ne vertas, si reddam paria; quibus dictis, globo ferali trajecit. Id jam non quæram, an Themistocles, subitò Achillem interimens, jure egerit. Patet, iniquissimo hoc facto malè eum suo honori, & conscientiæ consuluisse: unde etiam exesse provincia jussus est. Neque quæritur, an Achilles, qui tunc primùm dedit vulnus, postquam ambulando bis térve emensus erat cubiculum, dicendus

(a) Jur. N. & G. l. 2. c. 5. §. 12.

dus adhuc ſit, egiſſe è veſtigio, ſeu in continenti. *Vid. n.* 17. Id quæritur, an, ſi quis in primo momento, quo fortè cæſus eſt, ſui non ſatis compos, vel quomodocunque impeditus, impunè abire ſinat cædentem, an primùm poſt notabile intervallum temporis, e. g. aliquot horarum, aut etiam dierum, transfodere eundem licitè poſſit: vel ad duellum evocare. ℞. Primum omnium minimè licere; quia ſi hoc ullam haberet ſpeciem honeſti, ac liciti, inde foret, quòd honor hoc modo recuperaretur: atqui non recuperatur, juxta ipſas etiam pſeudo-leges duelli, utpote quæ, licèt id approbent è veſtigio, dum verberans ſibi poteſt eſſe intentus, & debet: deteſtantur tamen vim, nihil opinanti factam poſt intervallum, more Sicariorum: ergo nulla ſpecies honeſti, aut liciti ejusmodi facinori allini poteſt. Neque alterum licebit, ſcilicet aperto Marte aggredi, ſeu ad duellum evocare, ſi hoc omittenti aliud damnum non naſceretur, quàm qualiſcunque jactura exiſtimationis, aut nota timiditatis, ùt patebit ex *Articulo ſequente.* Quid ergo licebit, quæris? ℞. Licebit hominem, dum obvium habebis proximè, per famulum invitare, ut, ſi auſit, redeat, & ictum ſimilem det; ſtrenuum non eſſe facinus inermem, & nil opinantem cædere, capulo ſimul admovebis manum, defenſioni paratam. *Lege n.* 224. 225.

230. Membrum v. *Magìs dubium eſſe videtur, an elapſa prima occaſione, poſt intervallum temporis liceat cadenti reddere fuſtem, aut colaphum: vel etiam occurrenti arundinem projicere ante pedes.* Accipe caſum. Dederat Leander Hectori crudum adeò colaphum, ut copioſus mox ſanguis naribus proruperit. Unde hic turbatus gladium oblitus eſt ſtringere, imò ebulliente cruore impeditus; adeò ut è veſtigio agere omiſerit, quod pro eo rerum articulo leges de duello præſcribebant. Quare, ut reſarciret, quod omiſſum erat, poſt dies aliquot, de induſtria Leandro occurrens in platea, cannam ſuam, ſeu arundinem, quam ambulans manu ferebat, versùs eundem projecit, id quod dictæ leges probant. Quo hic admonitus, ſtricto mox gladio non dubitavit ſatisfacere. Hector communi ſententia judicabatur egiſſe juxta ſanctiones honoris, indéque purgato ad aulam iterum, circulósque nobilium patebat acceſſus. Sed num ſine noxa conſcientiæ cannam projecit? idem quæri poſſet, ſi ſubitò Leandrum verberibus ſalutâſſet. Quamvis hoc non adeò frequens ſit, & factu facile; nam alapam qui dedit, cautè incedere incipit, & circumſpectè, ne fors ab offen-

ſo reddatur par pari. Unde uſitatum magis eſt arundinem projicere venienti obviam, quàm colapho aut baculo medelam malo quærere.

231. Quod projectionem arundinis attinet, deciſio quæſtionis dependet ex eo, an ea actio in communi hominum exiſtimatione habeatur pro provocatione, eíque æquivaleat. Si æquivalet, prohibita talis projectio erit, quandocunque ipſum duellum erit prohibitum. An autem æquivaleat, non ita in expedito eſt. Hoc certum, quòd, ſi Leander omiſiſſet ſtringere gladium ad projectam cannam, & omittenti Hector addidiſſet largiora verbera, quin iis ille ad arma capienda fuiſſet permotus, reputandus futurus fuiſſet Hector recuperâſſe honorem, Leandro tunc ad fungos relegato. Sicut pari modo certum eſt, quòd ſi Leander, locô projectæ arundinis, colaphum, & poſt colaphum plures ejusmodi ictus ſuſtinuiſſet, quin ad pugnam concitari ſe permiſiſſet, abſolvendus futurus fuiſſet Hector. At id quæritur, an reddere colaphum liceat poſt intervallum: item an projectio cannæ æquivaleat provocationi? illud quod ſpectat,

232. Videtur ſine graviori noxa reddi poſſe colaphum; non eâ quidem mente, ut cruenta inde pugna ſequatur: ſed ut patienter fortè ferenti colaphum largior addatur hujusmodi offa, ſícque exiſtimatio naufraga ſalvetur. Habet nempe colaphus rationem *retorſionis*. In injuriis *verbalibus* retorſiones *verbales* licitas eſſe, expediti juris eſt (a). Difficultas quidem major eſt, in retorſionibus *realibus* ob periculum odii, vindictæ, exceſsûs, rixarum, & cædium. Huic tamen periculo poſſe occurri à viro moderato, agente cum deliberatione ac mora, & animo ad ſolam æquitatem reſpiciente, dictum eſt *n.* 219. Prævidet quidem Hector, Leandrum colapho vel concitandum fore ad pugnam, vel patientia ſua grande ſubiturum honoris diſpendium. At concitabitur ex propria culpa, à nemine coactus; neque enim colaphus eſt adeò arctè connexus cum pugna, ut ſeparatus manere nequeat, modò velit Leander. Diſpendium honoris, quod patiendo incurret, ſibimet tribuat; prior enim ipſe, & iniquè læſit Hectorem, quin pro læſione interea ſatisfecerit, ùt debebat. Quæ cùm ita ſint, quid gravis noxæ timendum ſit Hectori? denique meminiſſe oportet, nos

in

(a) Ex L. Quæ omnia. 25. ff. de Procur.

in ſtatu naturali jam verſari, ubi Magiſtratus non eſt, qui honorem mutilatum reſtauret.

Idem de projectione arundinis videtur dicendum, ſi quidem provocationi ad duellum non æquivaleat. Atqui videtur non æquivalere; nam Hector ea actione non cenſetur provocare ad duellum: ſed amovere à ſe, & reddere alapam. Non vult *determinatè* pugnam: ſed exigit, ut hanc purgationem ſuam æqui boníque conſulat, ac patienter ferat Leander. Neque indeterminatè ſeu disjunctivè exigit vel patientiam vel pugnam: ſed determinatè patientiam optat; quia pugna ei incommoda eſſet, & periculoſa: ergo projectio arundinis non æquivalet provocationi: ergo licita erit ſicut verberatio: quin magìs, utpote minùs cruda.

233. Ita quidem dici poſſet. At contra eſt; quamvis in intentione ſua Hector hoc ſignum externum ad amovendum alapæ probrum unicè detorqueat: in communi tamen exiſtimatione videtur idem, ac ſi diceret: *agedum, ſtringe ferrum, ſi auſis: ſecus ſenſurus lignum, ac inter fungos abjiciendus*, quod utique eſt ad duellum adigere comminatione, & idem ac provocare, certè adverſarius id tanquam datum pugnæ ſignum habet. Eadem cùm de reddito colapho communiter foveatur exiſtimatio: & inſuper vix unquam vibretur colaphus aut canna, quin cruenta pugna ſequatur, adeóque inter utrumque ſatìs arctus nexus ex more intercedat, cenſetur tam colaphus, quàm projectio cannæ refragari conſcientiæ, & utrumque eſſe prohibitum, *quandocunque* provocare ad pugnam, vel duellum prohibitum eſt.

234. Oppones. Rigida admodum & difficilis eſt doctrina, ſuperioribus concluſionis membris II. III. IV. V. tradita; ſic enim verberato licebit nihil, præterquam objicere gladium, ne repetita veniat alapa, juxta n. 205. at quid hoc inane fulgur, vanúmque tonitru curat protervus homo? abit cum riſu, proximè rediturus, eadem protervia vel id ipſum, vel alia ſalutaturus capita ac maxillas: ſic probus quisque continuò habebit, quod ſibi metuat: & ferrea caſſide caput involvere oportebit contra advolitantes ſubitò colaphos. Creſcet improborum audacia, & ſocietati humanæ magnæ moleſtiæ naſcentur. Acriori ergo confutatione compeſci malum debebit; licebítque compeſcere in ſtatu naturali, ubi in ſuperiore quadam poteſtate, nihil præſidii repoſitum eſt. ℞. Cauſam proborum necdum

peni-

penitus esse derelictam: nec omnino impunè grassari licere sceleri. Spicam lego ex agro SCHWARZII. *Statum naturalem*, ait is quodam loco (a), *consideratum per familias, plena libertate gaudentes, naturali jure æquales, ab invicem non dependentes, non carere tamen omni potestate quasi publica, per quam honor proborum licitè defendi, ac vindicari possit. Exemplo esse posse* (modum si demas) *Dinæ injuriam à fratribus vindicatam.* Itaque si quis adoptare velit illud principium WOLFII suprà adductum n. 182. *Si quis te læsit, competit tibi jus eum adigendi, ne in posterum denuo lædat, & præcavendi, ne alii, ejus exemplum secuti, vel ipse etiam alios lædere audeat, id quod fit, malum ei quoddam inferendo per modum pœnæ*, si quis, inquam, hoc jure uti velit; implorata suæ familiæ opera, vel externis etiam quibuscunque in auxilium adscitis cogat verberonem ad petendam veniam: quin etiam parte bonorum mulctet, aut fustigatione castiget, si mitiora non credantur sufficere. Monitum tamen MOLINÆ huc apponendum est, qui de Brasiliæ populis, per familias dispersis, nulli subjectis cavet, ut nemo ex familia privatus ex proprio, sed ex familiæ judicio, talia machinetur; eo quòd in propria causa nemo bonus judex. Quòdsi autem læsus dictis suppetiis, ac viribus destitutum se videat, aut adversam partem æquè validis aut majoribus auxiliis munitam, oportebit, ut vel invitus abstineat privato hoc bello, prout etiam Gentes abstinent, si prævideant, se non prævalituras in bello publico contra hostem.

235. Repones. Parum, vel omnino nihil utilitatis afferri læsis per datum consilium; nam primò debilioribus non servit. Secundò juxta sanctiones nostri status naturalis, descripti *supra n.* 192. ejusmodi vindicatio (sive castigationem malis appellare) nil valet ad reparandum honorem, ubi vel occidere è vestigio est necesse, vel postea projectionem baculi, aut verberationem adhibere. Tertiò valeat utcunque datum consilium, nunquid bella privata undique oritura societatis humanæ tranquillitatem turbabunt? ℞. Ad primum, utique me jam dixisse, ubi vires deficiunt, cedendum esse fatis, prout etiam Gentes faciunt, de gerendo bello deliberantes. Anne in hoc orbe quodlibet crimen suam pœnam recipiet? an nihil æternitati

tati

(a) J. N. G. p. 1. tit. 4. q. 9.

tati reservari credamus? ad secundum ajo, dolendum esse, quòd illæ sanctiones respuant hanc vindicationem, rectæ rationi magis consentaneam. Satis mihi est, quòd non ex doctrina Theologica, membris superioribus tradita, sequatur plena illa impunitas proterviæ: sed illa stante locus adhuc relinquatur salutari castigationi. Fors datum consilium usui aptius esse poterit ad calumniatorem compescendum *articulo sequente*. Ad tertium dico, bella illa privata futuros fore fructus, proprios statui naturali, propterea utique prudenter mutando in statum civitatis bene ordinatæ.

## ARTICULUS IV.

### *An in statu naturali duello honorem tueri liceat contra Calumnias?*

POstquam discussimus, quid juris sit, dum quis injuriis *realibus*, verberibus præcipuè vel læsus, vel primùm lædendus est; ad aliud genus injuriarum descendimus, quod potissimùm verbis absolvitur, & sub *Calumniæ* nomine venit. Calumnia, ùt *n.* 64. dictum est, sermo est; quo cuiquam imputantur imperfectiones, quibus minimè laborat, ut dum quis vel adulterii, vel fraudis admissæ; alteriúsve facti turpis reum quempiam affirmat. Si soli id in faciem exprobret, *non divulgatam*, seu occultam dicimus calumniam: *divulgatam* autem, si coram aliis proclamet. Fac, viro honorato simile quid in faciem exprobrari à maledico, vel spargi in publicum: fac etiam judicem abesse, prout in nostro statu naturali abest, qui læso succurrat: quæritur, an liceat honori consulere inferendo necem, vel provocando ad duellum. Loquar mox tam de calumnia occulta, quàm divulgata; si enim huic nefas est occurrere nece, vel duello: multo minùs occultæ ita occurrere fas erit. I. Reprobabimus cruentam defensionem. II. Suggeremus mitiorem. III. Solvemus argumenta contraria.

## §. I.

### Reprobatur cruenta defensio.

236. *Affertur mens Sedis Pontificiæ.*
237. *Nostra argumentatio contra defensionem cruentam.*
238. *Speciatim contra duellum.*

236. NOtandum, quòd circa materiam præsentem Sedes Pontificia justo laxiores quorundam Authorum sententias damnaverit. Innocentius xi. inter alias proscripsit sequentem, numero trigesimam: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.* Alexander vii. reprobavit numero decimam septimam, docentem: *esse licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem, gravia crimina de se, vel sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus non suppetit, utì suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Ex his propositionibus intelligitur nova calumniarum divisio; alia enim jam est *illata*, alia primùm *inferenda*, juxta voces illas: *nititur inferre: spargere minantem: si calumniator paratus sit.* Omnia hæc calumniarum genera communibus argumentis ostendam, malè gladio retundi, ídque in ipso etiam statu nostro naturali. Quinam Juris-Consulti doctrinam laxiorem docuerint, leges apud Carpzovium (a).

237. Sic autem arguo. Ut prò honore meo tuendo vitam alterius invadere liceat, primò certus sim oportet, de damno aliàs secuturo; nam periculum *incertum* famæ prævalere utique non debet juri *certo*, quod alter habet ad vitam suam. Secundò certus sim oportet, quòd hac ratione damnum sit avertendum; prodigeretur enim humanus sanguis, si in remedium adhiberetur eventu dubio. Et quidem tertiò certus sim oportet, quòd nulla alia ratione id damnum averti valeat; quando enim mitiora suppetunt remedia, ad extrema descendere sana ratio vetat. Quartò necesse est, ut ejusmodi licentia non cedat in perniciem societatis humanæ;

(a) Pract. Crim. q. 30. n. 68.

manæ; prohibuit quippe natura privatum commodum quærere cum pernicie publica.

Jam autem I. unde certum est, ut observat ILLSUNG (a) cum aliis, quòd calumniator, qui nititur calumniam inferre, fit illaturus damnum? fortè mutabit mentem, & resorbebit concepta jam verba. Sæpe dum ebullit ira, minas spargimus, evanescentes paulò pòst cum æstu commoti animi. Dein effutiat licet contra nos calumniator, quidquid dictat mala mens, an *certum* est, quòd audientes saltem prudentiores, fidem ei sint habituri? certè, quo quisque est prudentior, eo in habenda fide est cautior, in hodierna præcipuè calumniandi libidine, passim grassante, integerrimæ etiam virtuti parcere nescia. Ergo certus non sum de damno secuturo ex omissa cæde, aut duello.

II. Neque certus sum, damnum per gladium aversum iri. *Interfectio non est modus aptus ad tuendam existimationem*, pridem GROTIUS scripsit (b), & à nobis per integrum omnino *Articulum Capitis II. àn.* 113. fusè demonstratum est; quàm inepta sit hæc vindicandi honoris ratio, quàm malè quadrans, quàm nihil conducens ad rem. Probrum ea *non tollitur*, dixi: sed *augetur;* docet quippe experientia, patrata cæde, aut commisso duello curiosos homines in causam dissidii inquirere. Sic calumniam intelligunt: nec tamen illico calumniam fuisse credent. *Criminare audacter, semper aliquid hæret*, ajebat ille. Et cur non credant, eum esse furem, vel adulterum, qui homicida est? pronum erit judicare, hunc malè sibi conscium ferro tentâsse fauces obstruere spargenti mala: vel, cùm revelato probro supervivere nollet, semet neci exposuisse in duello. Qui ergo per gladium aptè, & certò avertetur damnum, quod honori timetur ex calumnia?

III. Etiam qualecunque hoc damnum, quod interdum privatus esset passurus ex calumnia, cedere deberet damno publico, quod societati humanæ certo certiùs accederet ex cædis, vel duelli licentia; cùm enim ita comparati sint mortales, ut in deteriorem partem facilè accipiant, quæ vel joco incautior lingua profert: timeántque, ne minimo lapillo subruatur totus famæ

 colos-

(a) Tract. 4. disp. 3. q. 2. n. 69. (b) De J. P. B. l. 2. c. 1. §. 10. n. 3.

colossus: cúmque superbia excæcati, quisque dissimulatis suis vitiis, laudes, & thura sibi deberi existimet, boni Superi! quàm citò, & passim præceps philautia in arma rueret, quas cædes, & conflictus non machinaretur, ex æquo se agere arbitratura; *mira quippe conciliatrix, & lena sui est natura* (a). Cui tum viro bono securo esse liceret, si quodvis inconsideratius verbum, in calumniam acceptum, expiandum esset vitæ periculo! Dabo, graves fuisse, quæ sparsæ sint, calumniæ: at cùm tanta sit hinc inter homines ad maledicendum proclivitas: inde tam præceps in vindictam ardor, an non promiscuis brevì pugnis, & cædibus miscerentur omnia, nisi lex illa frœnum injiceret, quam in cordibus hominum naturæ Conditor scripsit?

IV. Neque id certum, quòd nulla alia ratione id damnum averti valeat. Non deest modus mitior, ísque multiplex, calumniam eludendi, quo minùs noceat, etiam in statu nostro naturali, ubi nulla judicis copia, futurus usui, & exponendus *sequente* §.

238. Interim ajo, etsi ex jure belli privati, quo status naturalis gaudet (*vid. n.* 180.) calumniam liceret *cæde* prosequi: necdum tamen etiam *duello* id agere æquum esset. Cùm enim bellum, præcipuè *offensivum*, suscipere non liceat, nisi cum spe, eáque non inani, prævalendi; ne scilicet Respublica ruinæ exponatur, ùt docent passim Authores post CAJETANUM (b): ita etiam ad duellum ejusmodi fiducia afferri deberet, ne vindex suam sibi perniciem stolidè accersat. Jam verò in *singulari certamine*, verba sunt PEREGRINI, per experientiam confirmata, *par est utriusque conditio, & eventus dubius*. Unde etiam sequitur, quòd, etsi aliquod bellum *pœnale* admittatur (c): singulare tamen ejusmodi certamen æquè utrique parti periculosum, pro pœna assumi nequeat; quia provocans non minùs semetipsum, quàm adversarium puniret.

Bellum autem *recuperativum rei* ablatæ, seu honoris, dici non potest; eo quòd manifestè *citato Articulo* demonstratum sit, duello probrum non elui, sed augeri. Ergo contra calumnias honorem tueri non licet cæde, minùs duello.

§. II.

(a) *Cicero* de nat. Deor. lib. 1. (b) In 2. 2. D. Th. q. 95. art. 8. *Molin.* tract. 2. disp. 102. *Pelzhofer* Arcan. Stat. l. 9. c. 4. (c) Vid. *Molin.* l. cit.

## §. II.

### Suggeritur defensio mitior contra calumniam.

239. *Consilio* Wolfii 240. *Aliud superadditur consilium.*

239. ILlustrem Juris Naturalis Interpretem, L. B. de Wolf audire juvat. Contra calumnias, ait (a), fama, & existimatio aliter defendi nequit, nisi efficiendo, ne calumniatori fides habeatur ab aliis. Demonstrat ex eo, quòd infamia, quam parit calumnia, judicium hominum sit de tuis imperfectionibus, & vitiis: impediendo itaque hoc judicium, impeditur infamia, quæ timenda est ex calumnia, & defenditur fama. Ex qua veritate per modum Corollarii infert, quòd interfectio alterius, vel læsio corporis ipsius quæcunque, non sit medium aptum ad tuendam famam, atque existimationem.

Defensio potest esse duplex juxta hunc Authorem (b), alia *realis*, alia *verbalis*, dum scilicet vel factis, vel verbis contrarium probatur. Fama, & existimatio defenduntur verbis, ostendendo falsitatem eorum, quæ dicit calumniator, aut veritatem contrarii, & fidem calumniatoris labefactando: suspicionem verò ejus, quod objicitur ab ipso, à te avertendo; non autem defenduntur rependendo convicia, & calumnias; nam conviciari, & calumniari conviciatorem non magìs aptum medium est ad famam, & existimationem defendendam, quàm vi impetere ejus corpus. Quòdsi ea sit calumniatoris authoritas, ut alii facilè ei fidem adhibeant, fidem ejus labefactabis, præsertim ubi tua plurimùm refert, ne fides eidem habeatur (c). Falluntur adeò, subdit, qui propalando ea, quæ ignominiæ sunt, vel etiam infamiæ, calumniatori, aut socio ejus injuriam fieri existimant; cùm lex naturæ prohibeat propalari talia. Enimvero hi non perpendunt, in collisione officiorum erga se ipsum, & erga alios vincere officium erga se ipsum. Cùm licitum sit non parcere vitæ alterius, ut serves tuam, neque illicitum videri potest non parcere existimationi, ac famæ alterius, ut propriam serves. Hactenus Wolfius.



(a) J. N. P. I. §. 1039. (b) Ibid. §. 1048. (c) Ibid. §. 1055.

Quæ dicta satis consonant cum doctrina nostra Theologica, juxta quam, si quis injustè læsit famam tuam, nec potes eam tueri, aut recuperare alia via, quàm imminuendo quoque famam illius, id licet: dummodo falsa non dicas, nec aliter, quàm ad conservandam tuam famam necesse est, nec magìs lædas, quàm lædaris, collata tua cum alterius persona: neque crimen, quod de calumniatore tuo propalas, sub secreto servare debeas, aut modo iniquo ejus notitiam acquisiveris, aut ex ipso calumniatore, olim à te petente consilium, intellexeris. *Vide* CARDENAM (a). Concludamus. Quoniam ergo aliter defendi *nequit* fama, nisi verbis & factis, quibus probatur contrarium ejus, quod dicit calumniator, (adde, vel labefactando ejus fidem) etiam aliter defendere *non licet*; nam id solùm ex jure adhibemus, quod fini servit, quem ex jure quærimus.

240. Doctrinæ huic meritò acquiescere deberent, sanioris judicii qui sunt. Fors tamen abnuet quisquam, veritus, tum ne quandoque modus ille Wolfianus adhiberi, saltem cum effectu, non valeat: tum ne, si intra hos limites constringatur viri probi defensio, calumniatorum crescat protervia; quandoquidem sine frœno, & impunè arrodere eis licebit obvium quemque, sicque societatem humanam continuis vexationibus turbare: acriore ergo confutatione opus esse videtur, ut calumniandi libido compescatur. Non prorsus abs re hic movetur scrupulus, & si quidem in statu civili versaretur nostra disputatio, judicis esset, pœnis calumniandi libidinem coërcere. At de statu naturali sermo est. Quis ergo satìs efficaciter os maledicis obstruet? ℞. Usui hìc iterum posse illa remedia esse, quæ suprà, ubi de vindicandis verberibus dictum, suggesta sunt *n. 234. 235.* iisdem viribus ad petendam veniam, & canendam palinodiam adigendus est calumniator: quæ tamen palinodia, ùt WOLFIUS insinuat, (b) potiùs rationem *Castigationis*, quàm *reparationis*, aut defensionis habitura est. Quodsi hæc nihil proficiant, vel nequeant à te obtineri, valebit illud WOLFII (c): Patienter ferenda sunt, quæ mutari non possunt. Et tritum illud:

*Conscia mens recti famæ mendacia ridet.*

Quòdsi autem ex calumnia nascerentur alia adhuc damna e. g. in fortunis, dignitatibus &c. tunc ad ea remedia licebit recurrere, quæ aliàs arcendis his damnis ex æquo convenire dicemus alibi.

Hæc

(a) Crif. Theol. in propos. 43. Innoc. (b) Ibid. §. 1040. (c) Ibid. §. 1042.

Hæc de ſtatu naturali dicta ſunto. Difficultas minor eſt in ſtatu civitatis, etiam malè cæteroquin ordinatæ; nulla enim facilè civitas tam malè eſt conſtituta, ut, quamvis ad vindicandas ignominias alias nil conferat ſua poteſtate Magiſtratus: non tamen querelam de calumnia audiat, judicétque, quin ad armatam purgationem devenire neceſſe ſit. Etiam inter viros militares mos viget, ut quis calumnia impetitus, cauſam ſuam ad judicem deferat, agátque ex L. *diffamari:* ubi dein calumniator, ſi temere dixiſſe deprehenditur, infamia notatus pœnas luit; ſaltem ſi convincere eum judices poſſint, vel etiam velint. Peſſimè itaque & ineptiſſimè agunt, qui vi barbara, ac privata innocentiam contra calumnias conantur tueri. Aliud foret, ſi cauſa malevolorum artibus turbaretur, & implicaretur de induſtria. *Vid, n.* 71.

## §. III.

### Solvuntur argumenta contraria.

241. *Objicitur tritum illud:* vita, & fama pari paſſu ambulant.
242. *Item illud:* In ſtatu naturali licet privatis, quod licet gentibus,
243. *Impugnatur noſtra probatio, petita ex timenda nimia frequentia rixarum.*
244. *Etiam captioſo dilemmate.*
245. *Reſpondetur ad caſum Caramuelis*
246. *Geminato reſponſo.*

241. Opponitur I. *Vita & fama pari paſſu ambulant*, recepto paſſim aphoriſmo: idémque eſt gladio, quàm lingua percuti; vita naturali, ac civili ſpoliari: ergo quidquid licet in eum, qui vitam petit, idem licebit in eum, qui famam per calumnias aggreditur. Certè, *qui fidens conſcientiæ ſuæ, negligit famam ſuam, crudelis eſt*, ipſo D. AUGUSTINO teſte (a). „ Hæc ratio, ait WOLFIUS (b), nonnullos decepit. At ſi vel maximè „ concedamus, famam vitæ æquiparari; diſpar tamen eſt utriusque defen- „ dendæ ratio; vita enim cæde alterius defendi poteſt, & medium defen- „ ſionis unicum eſt in eo caſu, ubi id facere licet: aſt fama, & exiſtima- „ tio nece alterius defendi nequit, adeóque ex numero mediorum defen- „ ſionis hac in parte prorſus excluditur hic defendendi modus. Juxta CARP- „

„ ZOVIUM

(a) Serm. 355. aliàs 49. de diverſ. (b) P. 1. J. N. §. 1036.

„ ZOVIUM (a) iniqua prorſus, & irrationabilis eſt hæc ſententia: Neque etiam „ vulgatum illud Interpretum, quòd *vita*, *&* *fama pari paſſu ambulent*, „ ſimpliciter verum eſt, neque ex textibus allegatis probatur; quia lex „ octava, *quòd met. cauſ.* loquitur de ſpeciali in corpus injuria, per ſtu- „ prum illata, cujus cauſa Romanis legibus occidere permiſſum eſt (b). „ Ineptius profertur lex nona *De manumiſſ. vindic.*, quæ de ſpeciali manu- „ miſſionis caſu agit, nempe, ut minor juſtam cauſam habeat manumit- „ tendi ſervi, ſufficit per hunc illius vitam, vel famam eſſe conſervatam. „ At comparata in uno aliquo ſingulari non faciunt abſolutè æqualia. Et „ quis non intelligit latiſſimam hac in re vitæ, & famæ differentiam? „ illa ablata non reparatur: hæc verò non aufertur revera per calumniam, „ & ſi auferri, aut lædi viſa eſt, reſtitui, ac reparari valet. „ Addo, quòd malum intentatum ab armato hoſte, qui ſtricto pugione vitam aggreditur, ſit evidens: ſecus verò malum, quod calumniator molitur, dum calumniam ſtruit, ſeu inferre nititur. Denique conſiderandum venit, quòd in licentia defendendi vitam non timeatur tantus abuſus, tot malorum poſt ſe appendicem trahens. *Vid. n.* 237. Qualiſcunque ergo inter vitam, & famam ſit *pretii æqualitas:* diverſa tamen eſt, qua uti fas eſt, *defendendi ratio.* Denique unum addo: ſi vita, & fama *pari* paſſu ambulant, cur pro ſervanda fama vitam potiùs exponis, quàm famam pro vita ſervanda.

242. Opponitur II. Homines duo, in ſtatu naturali nulla ratione à ſe mutuò dependentes, idem jus habent ad defendendam famam contra calumnias, ac duæ gentes liberæ: his autem famam bello defendere publico fas eſt, ùt oſtenſum exemplis alibi allatis n. 190. Ergo idem de privatis dicendum. Præcipuè ſi verum ſit, quod ex P. SCHMIER ſuprà adduximus n. 187. *Quotieſcunque bellum publicum jure naturali inter duas civitates cenſetur indultum, toties bellum privatum inter æquales erit conceſſum; cùm duæ civitates, inter ſe conſideratæ, pro æqualibus reputentur.* Item ſi datur jus puniendi, ſeu *belli privati vindicativi* ſtabilitum n. 182. ℞. Rarum fore caſum, quo gens genti bellum movere poſſit *ob calumniam*, quam utique ſparſis per orbem apologiis, minore impendio, ac periculo confutabit. Raro, hodie præ-

(a) Juriſpr. Forenſ. Part. 4. Conſt. 10. def. 6. (b) L. 1. §. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar.

præcipuè, ejusmodi quid occurret, ùt vel ex ipsis illis exemplis colligere est. Dein id præcipuè considerandum, quòd non tam præcipites sint gentes, ut properè in bellum ruant. Majoris hoc est moliminis opus, & ingentis apparatûs. Matura præmittitur deliberatio, & prudentûm audiuntur consilia. Longè frequentior econtra inter privatos calumnia est: promptiùs movetur bellum privatum, ubi à sola exacerbata mente turbulentum consilium suggeritur, & non nisi unus stringendus est gladius. Itaque humanæ societati non ita timendum à belli publici, quo calumnia vindicaretur, atque à privati licentia. Hinc etiam allata P. SCHMIER sententia cum grano salis erit accipienda. Neque ex jure puniendi seu *belli privati vindicativi* rectè deducitur, licitè calumniatorem *occidi;* nam pœna ex hoc jure emanans non debet semper consistere in malo *extremo*, in ipsa nece. Dein, quod præcipuè duellum attinet, mirabilis castigatio ea foret, quæ tam castigantem, quàm castigatum æquali discrimini exponeret vulnerum, aut necis. Unde si quis etiam hoc jus exercere velit, mitiorem potiùs illum puniendi modum, n. 240. expositum, deberet adhibere, nisi Grotiana illa licentia, extensa in infinitum, uti fors velit in sensu non satìs sano. *Vid. n.* 183.

243. Opponitur III. Æquè frequentia sunt litigia de bonis fortunæ, quàm de calumniis: nec tamen ideo illa defendere nefas est cæde, ac duello: (*vid. n.* 189.) ergo probationis nostræ membrum tertium nihil concludit, quo armatam contra calumnias defensionem improbavimus ob frequentiores turbas, inde orituras. ℞. Litigia illa circa fortunæ bona frequentia quidem esse, ubi jus datur dubium, neque certa est justa rei possessio. At negatur in casibus juris dubii, aut juris tantùm inchoati, præcipuè in statu civitatis, cruentam defensionem locum habere, præcipuè inter privatos; meritò quippe damnata est propositio 32. 33. inter Innocentianas: *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus: sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Item: *Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessorem injustè impedientem.* Scio equidem, in statu naturali aliquando plus permitti ex defectu judicis, ad quem recurri possit in causa dubia: at eousque neque permissio illa extendi debet, ut promiscuis cædibus societas humana turbe-

tur, certò tunc turbanda, ſi Marte proprio calumnias vindicare permittatur, ùt ex noſtra probatione liquet.

244. Opponitur IV. Vel frequentes ergo eſſent ſparſæ ejusmodi calumniæ, quæ, an gladio vindicari poſſint, diſceptamus: vel raræ? ſi raræ ſunt, nil metuendum ſocietati humanæ. Si frequentes, certè moderatis, probísque viris malè conſultum eſt, ſi famam ſuam dilacerandam inulti relinquere debeant Theoninis dentibus, paſſim & ſæpe ſævientibus. ℞. Frequenter quidem ſpargi calumnias: at rarò tales ſpargi, primò ex quibus damnum exiſtimationis certum oriatur: & ſecundò certò reparandum per vim cruentam; & tertiò ita ut ratione alia, explicata n. 234. non poſſit medela afferri. Aliæ calumniæ ſunt frequentes; quibus tamen malè, & ineptè duello occurritur, hoc ipſo, quòd ex iis non oriatur certum damnum exiſtimationis, neque certò reparandum per vim cruentam, & fortè alia ratione medela poſſit afferri. Quid autem de illis rarioribus ſentiendum, mox dicemus.

245. Opponitur V. Fingamus ergo caſum, utut rarum accidere, quem Caramuel proponit (a). Si Titium Albericus, homo Laicus, infamat (hoc eſt, infamare pergit) perfidè nempe & injuſtè: & verum eſt, Titii opinionem, atque authoritatem his calumniis graviter lædi (nam leves jacturæ indignæ ſunt remediis gravibus) ſi verbis ſe non poſſit defendere: ſi eum Respublica protegere, & defendere nolit, aut nequeat: & tandem ſi honorem ſuum verè tueri poſſit occidendo Albericum: & non aliter; in tali, inquam, circumſtantiarum concurrentia, ſtando juri naturæ, poterit Titium Albericus occidere. Ita Caramuel. Statim autem ſubjungit: ánne eadem doctrina poterit admitti ſtando juri Civili, & Canonico? reſpondeo, ex neutro poſſe. Hactenus dictus Author. Jam quid de ejusmodi licentia ſentiendum vi defenſæ hucusque doctrinæ? ℞. Rarò ea omnia concurrere, quæ huic facto afficta ſunt. Fingamus tamen, aliquando concurrere, ſaltem, teſte Cardena (b), non afficitur opinio Caramuelis damnatione Pontificia; eo quòd damnatio nil dicat de jure naturali: ſed tantùm negat, *id eſſe licitum:* ſicut etiam negat Caramuel. Id obſervo: " ſi naturali jure

(a) Theol. Fundam. Fundamento 55. n. 1580. (b) In propoſ. 30. art. 5. n. 51. ſeq.

jure ea occiſio eſſet licita, Canonico jure, & Civili prohiberi vix poſ- "
ſet; prohibitiva enim lex ejuſmodi eſſet nimis ardua: atque adeò indi- "
gna Legiſlatore humano. Deus idcirco poteſt aliquam actionem arduam "
præcipere; quia ſimul dat vires, ut facilè ponatur, juxta illud Trid. "
Seſſ. 6. c. 11. *DEUS impoſſibilia non jubet: ſed jubendo monet & facere,* "
*quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* At Legis- "
lator humanus non præbet vires ad ferendum onus præceptorum, & "
ideo non debet grave onus imponere. „ Ita in ſimili Viva (a). Ajo ergo de licentia primò, cùm ejuſmodi caſus foret rariſſimus, dari fortè eam licentiam; ceſſaret enim præcipua ratio, & finis naturæ prohibentis, nempe confuſio ſocietatis humanæ per promiſcuas cædes. Reliqua noſtra argumenta etiam non haberent hìc locum, ùt patebit conſideranti; quia hìc fingitur calumnia *certè* noxia, & *certa* in gladio ſalus, & quidem in hoc *unicè.*

246. Ajo ſecundò, & fors meliùs cum Viva (b): Quamvìs (ejus verba recito) aliquando poſſit utrumque evidens apparere, & quòd grave damnum ex parante calumniam immineat: & quòd non ſuppetat alius modus id declinandi, quàm per necem invaſoris: non perinde licita eſſe poteſt calumniatoris occiſio; quia facilè homines ex paſſione hallucinantur. Unde debuit abſolutè à natura tale medium ad vitandam calumniam prohiberi; eo quòd majus eſſet damnum in Republica ex frequentibus cædibus, quæ haberentur: quàm bonum, quod inde ſequeretur, &, quia bonum publicum prævalere debet privato; ideò toleranda potiùs in aliquo caſu ab innocente aliqua dehonoratio, quàm permittenda iſta defenſio occiſiva. Ad idem principium recurrit Viva, ubi n. 7. defendit juxta propoſitionem 18. Alexandri vii.; *non licere interficere accuſatorem, falſos teſtes, ac judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia; etſi alia via non poſſit innocens damnum evitare.* Quòdſi aliquando, ait, non poſſit damnum impediri, id eſt per accidens, tribuendúmque proprio infortunio: non ſecùs, ac ſi de cœlo vita, aut propria bona tangerentur; non debuit enim natura propter bonum alicujus privati in aliquo raro caſu permittere hanc defenſionem immoderatam, quæ innumeris cædibus anſam daret; cùm ſibi ex paſſione quilibet facilè perſuadeat, judicem



(a) In propoſ. 17. *Alex. VII.* n. 7. (b) Loc. cit. n. 4.

esse infensum: ad eum modum, quo non debuit natura fornicationem permittere pro raro illo casu, quo aliquis putaret, bonam prolis educationem non esse defuturam; eo quòd quilibet, œstro percitus passionis, facilè sibi persuaderet, quòd hìc & nunc bonæ prolis educationi esset prospectum, & sic luxuries ubique debaccharetur. Hactenus VIVA. Hæc interea ad casum CARAMUELIS, & totam de calumniis doctrinam sufficiant; donec ex sequentibus amplior lux affundatur.

## ARTICULUS V.

### *An in statu naturali duello honorem tueri liceat contra convicia &c?*

PEculiari examine convicia, exprobrationes, irrisiones, illusiones, subsannationes &c. à calumnia secernimus; differunt enim (a). Calumnia falsitatem involvit, qualem in conviciis &c. intervenire necesse non est; nam hæc sæpe ob imperfectiones veras jaciuntur. Dein, si in gesticulatione illusoria, aut vili agnomine consistunt, non tam facilè in audiente, aut vidente bonam existimationem perimunt, atque calumniæ. Sunt tamen de cætero satìs acerbæ, ac molestæ. De his itaque quæritur, an in statu naturali, aut æquivalente, aliquando cæde, vel duello eis liceat finem imponere. Salebrosa indago est: ne impingamus, audiamus primò sententias Authorum; tum nostram edicamus.

### §. I.

### Sententiæ Authorum circa vindicationem conviciorum &c.

247. *Theologi licentiam affirmantes.*
248. *Theologi eandem negantes.*
249. *Opinio* Pufendorfii, *&*
250. *Huic adhibita lima* Schwarzii.
251. Laymanus *expresſè de duello loquens*,
252. *Crisin* Seyboldi *patitur.*

247. "POtest occidi is, qui afficit contumeliis atrocibus, sive per verba, „ sive per signa, quando honor alia ratione defendi non po„ test. Ita BONACINA (b). „ Ejusdem sententiæ ait esse GOMEZ, RODRIQUEZ,

(a) Harum definitiones vid. n. 64.
(b) Tract. de Restit. disp. 2. q. ult. sect. 1. punct. 10. n. 7.

QUEZ, LOPEZ, P. NAVAR. JUL. CLAR. " Ratio ejus est; quia licitum est " occidere invasorem facultatum: ergo etiam invasorem, inferentem igno- " miniam. Affirmativè respondit novissimè, ait DIANA (a), eruditus & " doctus JOAN. DE ESCOBAR, HENR. STROVERSDORF, & BALDELLUS. Posse " scilicet interfici, qui virum aliquem honoratum conviciis, & maledictis affi- " cit, nec potest aliter cogi, ut taceat; talis enim est invasor honoris, intel- " ligendo, quando contumeliæ sunt atroces; nec evitari aliter queunt. " Ratio enim naturalis dictat, licitam esse eam defensionem, quæ neces- " saria sit ad contumeliam depellendam, & comprimendam: alioqui da- " retur licentia improbitati, optimos viros contumeliis vexandi, quæ ta- " men multò quàm damna rei familiaris sunt acerbiora, & magìs affligunt " animum. „

248. " Verùm, pergit DIANA, his non obstantibus hanc senten- " tiam non approbat, & meritò, HURTADO, PETR. BINSFELDIUS, MOLFESIUS, " LESSIUS, FILLIUCIUS, AZORIUS, & alii. Quia verbales injuriæ verbis re- " pelli possunt, quæ est legitima vindicta; tum quia sic repelli solent " etiam apud viros honoratos; quare, si factis repellerentur, jam fieret " excessus in defensione; cùm aliter & possint, & soleant repelli. Sed, " pergit, ut verum fatear, BALDELLUS, & alii primam sententiam docent " in casu, quo aliter contumelia tolli non potest, nisi interficiendo calu- " mniatorem; quia id solùm est vim vi repellere, & honorem tueri con- " tra injustum, & violentum dehonorantem. Ego verò, concludit DIA- " NA, non recedo à secunda sententia. „

249. " A Theologis ad juris naturalis Interpretes pergamus. " PUFENDORFIUS (b) ita habet: In statu naturali non potest ab aliquo exigi " patientia etiam modicæ injuriæ, præsertim continuatæ, quo minùs per " extrema quæque repellatur. Rationem dat hanc (c); quia tum demum " vita redderetur insociabilis, si licentiæ resistendi aliquis terminus pone- " retur inter eos, qui in naturali libertate vivunt; qualis enim vita, si al- " ter semper modicis verberibus (hæc exempli tantùm causa affert) infe- " stare pergeret? modesto cuique semper misero esse necessum foret, quo- " tiescunque privato cuiquam jus Naturæ violare placeret. „



(a) Resolut. Moral. p. 5. Tract. 4. Resol. 12. (b) De J. N. G. l. 2. c. 5. §. 12.
(c) Ibid. §. 3.

250. Hanc doctrinam Pufendorfii *nimiùm liberalem* appellat P. Schwarz (a): " Neque solidam judicat allatam rationem; quòd secùs „ vita redderetur insociabilis, si contra eum, qui modicas injurias con- „ tinuare non desistit, extrema adhibere non liceret; nam si leves ipsa „ *continuatione* sic coalescerent in gravem, ut vita redderetur insociabilis, „ cessat suppositum asserti. „

251. Expresse de duello ita habet Paulus Layman (b): " Si ad „ pugnam lacessens alterum crebra convicia, & contumelias adjiciat, „ qua ille molestia, & subeundo dedecore aliter liberare se non potest, „ nisi armis congrediatur, non audeo damnare eum, qui meræ defensio- „ nis causa id fecerit, dummodo spes sit contra injustum adversarium „ prævalendi; alioquin illicitum erit certo mortis periculo se exponere ad „ vitandum dedecus, quod non ex hominis delicto, sed ex vulgi sinistra „ opinione provenit; majus enim bonum est vita, quàm honor. „

252. At, ait P. Seybold (c), " difficilis est hæc doctrina Layma- „ niana ob propositionem, qua dicitur, quòd *vir equestris, ad duellum* „ *provocatus, possit illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incur-* „ *rat;* „ & alias similes, quæ tamen, cùm sint strictæ interpretationis, an nihilominus, illis salvis, possit ea doctrina subsistere, judicet prudens Lector. Ita varii variè sentiunt. Sit itaque

## §. II.
## Nostra Sententia.

253. *Conclusio negans, si vexationes tales sint, quales ùt plurimùm inferri solent: ejúsque Ratio.*
254. *Remedia leniora afferuntur.*
255. *De atrocibus præter ordinem disseritur.*

253. Ajo, si convicia, exprobrationes, irrisiones, illusiones, subsannationes, durior agendi ratio &c. ejusmodi sint, quales ùt plurimùm esse solent, ac inferri videmus, utut crudæ & acerbæ, non sufficiunt ad

(a) I. N. G. P. 1. tit. 4. instruct. 7. q. 15. (b) L. 2. tr. 3. p. 3. c. 3.
(c) Erotem. Jur. p. 2. sect. 4. §. 1. n. 18.

ad cædem vel duellum, præcipuè ſi non ſint continuatæ ac diuturnæ. Certè in aſſerenda tali licentia facilem non eſſe oportet; cùm enim hoc genus injuriarum frequentiſſimum ſit, & quandoque vix ulla ratio occurrat, ab ea moleſtia ſe liberandi, quæ non damnorum ſeges inde pullularet, ſi quisque frequenti, vel etiam quotidiana ejusmodi vexatione fatigatus, perimere lædentem poſſet, aut ad conflictum evocare? uxor toxicum crudo marito pararet: ſervus duriori hero ſicam: ſodalis ſodali obvium cultrum in pectus adigeret, ubi impatientes frequentis, ac diuturnæ vexationis, & omni alia ope deſtituti, accedente vehementi fortè ira abripi ſe ſinerent. Non rarò in eadem legione, aut exercitu, vel in eadem curia imperioſus quidam homo commilitonem, collegam ſuum vexat, premit, perſequitur modis amaris, quin huic liceat mutire. Si jam ejusmodi preſſi audiant, licere ſibi adhibere armatam vim, in quem, Superi! hæc licentia abuſum abiret, quantum poſt ſe malorum ſyrma traheret! neque refert, quòd hoc exemplum ad ſtatum civilem pertinere videatur: neque quòd ſervus contra dominum, aut uxor contra maritum jure ſtatus naturalis plerumque non gaudeat; nam ſatìs eſt, exinde periculum manifeſtè detegi, quod timendum foret ex tali licentia in ſtatu qualicunque. Securitati ſcilicet humanæ gentis cautum non ſatìs eſſet. Dixi: *præcipuè ſi non ſint continuatæ, aut diuturnæ;* id eſt, ſi non ſint frequenter repetitæ, nec perduraturæ, quarum finis jam ſpectetur è propinquo: multo magìs ſi jam ſint præteritæ; nam hæc tranſeuntia patientiam viri ſtrenui non deberent exhaurire. Addo etiam: *ſi aliud præter moleſtiam damnum ſecum non afferant*; ſecus enim ex ratione damni colligi debebit, quantum liceat.

254. Quid ergo miſerè vexatis, preſsísque remedii ſuper? ℞. primò. Prudentis eſſe, patientia ejusmodi nimbos excipere. Præſtat ſæpe de ſuo jure aliquid remittere potiùs, quàm intempeſtiva defenſione majori ſeſe periculo exponere, juxta illud MARTIALIS: (a)

*Miſerere tui, rabido nec percitus ore*
*Fumantem naſum vivi tentaveris urſi.*

Item

(a) VI. Epigramm. 64.

Item juxta ISOCRATEM, de se ipso prædicantem (a): *Hæ meæ artes fuerunt, ut ne quid ipse erga quemquam delinquerem; mihi verò si qua facta esset injuria, ut non me de inimicis vindicarem; sed controversias amicis eorum dirimendas permitterem.* Et hoc qua utilitate fiat, SENECA explicat (b). *Sæpe ratio patientiam suadet, ira vindictam, & qui primis malis defungi potuimus, in majora devolvimur. Quosdam unius verbi contumelia, non æquo animo lata, in exilium projecit, & qui levem injuriam silentio ferre noluerant, gravissimis malis obruti sunt.*

℞. Secundò. Si patientia tua abutatur homo parum humanus, nec vexare desinat, remediis utere, suggestis *n.* 234. 235. Nolim tamen ejus remedii usum temere ad quævis convicia extendere. Horum acerbitas, & diuturnitas in considerationem antea veniat, oportet. Et, ùt ibidem monuimus, alieno potiùs standum est judicio, quàm proprio. His limitibus circumscripta, & instructa simul suis remediis defensionis privatæ licentia, tantum abest, ut vitam *insociabilem* reddat, prout PUFENDORFIUS timet: vel *modestissimum quemque miserum* esse cogat, ut potiùs licentia laxior societatem horrendum in modum esset turbatura.

255. Sed id adhuc quæri potest, an unquam præter ordinem ita ingravescere possint hujus generis contumeliæ: an ita atroces, molestæ, ac diuturnæ, & graves evadere vexationes, ut, non suppetente alia via, armata manu invadere, quin etiam, reciproco periculo insuper habito, ad duellum provocare liceat? ℞. quamdiu spes est mutationis, opis, finis, eáque non admodum remota: aut quando mitiore illato malo compesci cavillator potest, ut moderatiùs saltem vexet, non licebit eousque progredi. Ratio, superiùs data, hoc prohibet. Quòdsi nihil ejusmodi supersit, ipsæque injuriæ valde atroces sint, ita ut miser præ indignatione vix non crepet: vel certè concitatam semper bilem valetudini tandem nocere advertat, dubitari non abs re poterit, an tortorem suum occidere fas sit: quin etiam ad duellum, si hoc opportuniùs fieri queat, evocare. Namque revera intolerabilis vita foret, continuò sic vexanda: atque etiam præstaret, propriam vitam exponere duello periculoso, seu neci aut vulneri incerto

(a) De Permut. (b) De Ira l. 2. c. 14.

certo, quàm certè miseram ducere. Ego tamen crediderim, casum adeò atrocem esse rarissimum. Insuper difficillimum fore, judicare sine errandi periculo, an revera talis sit: vel an ab impatienti solùm, & commota bile in tanta magnitudine depingatur; nam, quæ ab aliis patimur, per microscopium plerumque intuemur. Hæc ad hanc quæstionem dicta sufficiant.

## ARTICULUS VI.

### *An ad evitandum dedecus, quod ex recusato duello resultaret, duellum subire liceat?*

HOnorem lædi, & afferri dedecus per verbera, calumnias, convicia &c. non difficile captu est: & ex ipsa harum contumeliarum natura intelligitur, nisi quis totus quantus velit esse Philosophus. At id mirum, scholam monomachorum novum confinxisse probri genus, quod non ex *natura sua*, sed ex *institutione*, *ac beneplacito hominum* honori ac bonæ existimationi labem afferat, éstque id *recusatio duelli*. Ignominia fortè quempiam affecisti: vel affectus fuisti ipsus? si hoc, provocare teneris lædentem: si illud, provocanti parere necesse habes. Ita pseudo-lex imperat, *toto Capite II.* à nobis exagitata. Provocare: vel provocanti parere si renuas, ignaviæ notam tibi accersis, reputandus inter timidos. Quærimus itaque hoc loco, an ad evitandum dedecus, quod ex recusato duello resultaret, duellum subire liceat? Quæstionem absolvemus *§. unico*; non enim alia hìc damna, quæ ex ejusmodi recusatione sequi possent, stateræ imponimus: nil jam de exclusione à cœtu æqualium: nil de jactura dignitatum, aut ipsius sustentationis, ad vitam necessariæ, commemoramus. Solam timiditatis notam, conjunctúmque apud homines contemptum in considerationem vocamus.

### §. unicus.

### Statuitur Sententia negans.



256. AGedum, ponderemus; an hæc nota, hic contemptus tanti momenti sit, ut quis sine conscientiæ noxa provocare ad duellum possit, vel provocationem acceptare. Qua in re nota est doctrina ab ALEXAN-

pro VII. damnata (a). *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Huic damnationi, ficut æquitate naturali nititur, ita eidem fubfcriberem, etfi à Sede Pontificia non profluxiffet. Ego enim fic exiftimo, Duellum ejusmodi opus eft, quod fine graviffima neceffitate adhibere nefas fit: jam verò ubi nil nifi nota timidioris animi & conjunctus qualiscunque contemptus, feu finiftrum hominum judicium ferendum eft, talis neceffitas non incumbit: ergo duellum tunc adhibere nefas erit. Primum afferti hujus membrum patet perpendenti, quin vel obiter legenti ea, quæ *toto Capite II.* uberiùs confcripfimus, & quorum plurima ftatui Naturali non minùs, ac Civili quadrant. Quòd autem in præfenti graviffima neceffitas non urgeat, ex eo probamus; quia non admodum difficile accidere debet viro prudenti, hanc notam, & finiftrum quorundam hominum judicium æquo animo ferre, & contemptum contemptu vindicare; eft enim ejusmodi judicium ftolidum, poftquam abunde tum ratione, tum oraculis fummorum Principum demonftravimus per *totum Articulum III. Cap. II.* (b), acceptationem duelli non effe argumentum fortitudinis: neque recufationem, timiditatis; ftolida autem imprudentum judicia, *faltem quamdiu à judiciis non proceditur ad ulteriora damna, vel vexationes,* explodere non admodum difficile eft viro cordato. Ain, fi hæc turba à te exigeret, ut opes tuas omnes in mare demergas, vel certè extremo periculo committas, fecùs te habitura pro avaro, & fordido, num valeret apud te hæc vefania, vel difficile admodum accideret contemnere? neutiquam. Cur ergo opes, fortunas omnes, unà cum vita, & animæ falute in difcrimen adducere velis, ut timidi notam evites in cerebro horum ardelionum; cùm tamen milleni & milleni alii prudentiores potiùs æftimatione, quàm contemptu te dignum fint judicaturi? apparet ergo, eam notam tanti non effe, ut cum duelli licentia comparari poffit. Notari autem velim, me id non probare ex eo, quòd judicium illud *iniquum* fit ob ea, quæ diximus *n.* 215., & dicturi fumus alibi; fed ex eo, quòd non ita *difficile* fit, illo iniquo judicio infuperhabito; abftinere duello; utpote quod ejusmodi eft, ut fine graviffima neceffitate adhiberi non debeat ob fexcenta incommoda in humanam focietatem redundatura.

257. Præ-

(a) Propof. Ord. 2da. (b) A n. 121. feqq.

257. Præterea & illud perpendi meretur, quàm tristes post se casus tractura esset talis licentia; deducta semel in usum, qua provocare, & provocanti parere fas esset ad effugiendam solam notam timidi. Certè cùm offensæ sint ferme quotidianæ: & declinanti duellum ab imprudentibus ignaviæ labes semper affricetur; etiam duella futura essent frequentissima, quo pejus cogitari nihil potest. Rectè ergo damnatam illam doctrinam unanimi quoque suo calculo damnant, quotquot sapiunt.

258. Opponitur ex Card. DE LUGO (a): " Communis est Doctorum sententia, si quis ab armato hoste invasus, ex fuga, quam capesseret, dedecus magnum, & ignominiam hominis ignavi, ac timidi incurreret, posset firmo pede persistere, etiamsi necesse sit invadentem occidere ad sui defensionem (ùt etiam à nobis uberiùs declaratum est à n. 195.) ergo etiam provocatus condicere in duellum potest; cùm recusatio æquè ignominiosa sit, ac ejusmodi fuga. „ Difficultatem hanc non levem appellat LUGO. Tum varias aliorum responsiones ad stateram appendit, quas, ubi non satis graves deprehendit, suam subjicit his verbis: " Differentia debet peti ex eo, quòd occisio in uno casu sit defensio, non in altero. Quando enim alius te *invadit*, ut interficiat, potes te defendere eum occidendo, si aliter effugere non potes; non potes autem aliter; quia fuga maximum affert tibi ignominiæ damnum: & licèt illud oriatur ex prava hominum existimatione, qui id debilitati tribuunt, quod potuisset pietati tribui: undecunque tamen id proveniat, malum tibi est, ignavum reputari; unde non potes jam aliter sine gravi incommodo vitam tueri, quàm invasorem occidendo. At verò quando alius te ad duellum invitat, si acceptares, & eum occideres, occisio illa non esset defensio tuæ vitæ; nemo enim te *invadit*, sed rogat solùm, & invitat ad pugnam. Nec excusat timor dedecoris ex recusatione duelli; quia id non facit, quòd occisio sit *defensio*; cùm nemo te *invadat*, aut velit invito quid auferre. „ Dubito ego, num assignata differentia difficultatem propositam solvat; nam fortè quis



(a) De Just. disp. 10. sect. 8. n. 171.

Inſtabit: Etiam hic provocans dicendus eſt *invadere:* ſi non vitam, ſaltem honorem; nam, nulla data cauſa dum provocat, injuriam facit; non tantùm quia vitæ tuæ periculum parat: ſed quia te, ſi quidem duellum, ùt debes, recuſas, iniquo contemptui iniquè exponit. Hic ergo reſultans contemptus, cùm ei *voluntarius in cauſa* ſit, dici is homo poteſt *invadere* honorem tuum: & non deſiſtendo à provocatione, *invaſionem honoris continuare*, ferme ùt dictum eſt *n.* 214.; ergo ſi, omiſſa fuga, arma invadenti licet opponere; etiam erga provocantem id licebit. ℞. Utcunque ſe habeant, quæ hìc de *invaſione* dicuntur: nego ego in hac argumentatione conſequentiam. Inter *invaſionem*, quæ aliquo modo contineri videtur in provocatione: & inter *invaſiones alias* latum diſcrimen intercedit, propter quod has, non autem illam liceat armis retundere. Hoc autem diſcrimen deſumendum eſt ex gemina ponderoſiſſima ratione, quam *n.* 256. 257. contra licentiam acceptandi provocationem pro evitanda nota timidi attulimus, quales non afferri poterunt contra licentiam opponendi arma invadenti, omiſſa fuga, id quod patebit volenti vocare ad trutinam. Alia, quæ hìc opponi poſſent, e. g. *volenti non fit injuria*, ſi in duello occidatur. Vel: *Vita, & fama pari paſſu ambulant* &c. alibi ſoluta ſunt, vel ſolventur adhuc.

CAPUT

# CAPUT IV.

## AN DUELLUM LICITUM ESSE POSSIT IN STATU NATURALI AD VINDICANDAS UNA CUM HONORE FORTUNAS, SEU OPES.

NOn solùm detrimentum honoris cum contemptu ferunt, qui conscientia ducti, ac debito sibimet amore retenti, duellum declinant: sed contingit quandoque, ut non levem etiam in rebus fortunæ cladem patiantur, atque obstructo fonte, ex quo opes hauserant, penuriâ incipiant premi, jam non habentes, ex quo se, suósque honestè posthac alant. Finge, afflictum ejusmodi in eo statu naturali vivere, quem suprà *n.* 192. depinximus, unicam ei salutem in duello esse. Quæro, an pro servandis fortunis, ex illibato honore dependentibus, liceat ei provocationem acceptare: vel etiam provocare, siquidem hoc ignominiam passo necessarium sit ad servanda bona? Gemino Articulo gemino dubio quæramus exitum.

### ARTICULUS I.

#### *An ad servandas unà cum honore opes liceat duellum acceptare?*

CAsum, majoris claritatis gratia, statuamus, vestitum omnibus suis adjunctis, ad rem facientibus. Hector, vir inter suos honoratus, innocenter quidquam dixerat, quod Leander in malam partem accepit, maligna interpretatione susurronis abductus. Quare, ut suo, quem læsum opinabatur, honori consultum iret, ab Hectore exegit, ut duello sibi satisfaceret pro injuria, more recepto. Excusabat dictum Hector, & saniora ingerere conabatur Leandro. Protestatus etiam est, se non timiditatis, at solius conscientiæ causa pugnam aversari. Sed frustra fuit; immotus perstitit ferox Leander: quamvis perbene nôsset, eo res Hectoris loco esse sitas, ut, si duellum hoc recusaret, ita ejus fortunæ essent accidendæ, ut,

pæne ad incitas redigendus, ægrè se, suósque esset aliturus posthac. Casum ejusmodi, quem modo in statu naturali fingimus accidere, metaphysicum non esse, satis patebit ex iis, quæ de statu civili *n.* 281. enarraturi sumus. Quatuor autem capita in præsenti facto probè notari velim. Primò, quòd Hector nulla vera offensa Leandro causam provocandi dederit. Secundò, quòd recusando duellum ingens damnum sibi accersat. Tertiò, quòd alio remedio hoc damnum avertere non valeat. Quartò, quòd Leander, ferociter persistens in provocatione, satis prævideat secuturum Hectori damnum. Jam firmare argumentis sententiam stat: *altero* §. solvere difficultates contrarias.

## §. I.

## Probatur, quòd licitè ad duellum comparuerit provocatus Hector.

259. *Comparatio instituitur inter provocantem, & raptorem.*
260. 261. 262. *Qua non subruitur terno assultu.*
263. *Sed novum robur accipit ex ipsis principiis praclari cujusdam adversarii.*

259. SI furari, aut rapere Leander Hectori ea bona, ad sustentationem honestam necessaria, tentaret, licitè pro illis pugnaret Hector. Patet hoc ex jure belli privati, vi cujus pugnare contra furem, aut raptorem licitum esse diximus ex communi Authorum (*vid. n.* 189.). Expresse de duello Bonacina, nixus assensu Navarri, Becani, Sanchez &c. docet (a): " Ad defensionem rerum propriarum videtur esse licitum acceptare duellum, quando aliquis eas invadit, nec aliud adest remedium ad eas defendendas præter acceptationem. In quo casu si invasus non habeat arma, potest ab invasore petere, ut sibi arma concedat. " Unde infero: ergo etiam licitè pugnat, & duello congreditur Hector, dum Leander iniquè provocans, similis damni ei causa est. In quo enim stat differentia? in eo solo, quòd in priore casu damnum Leandro sit *voluntarium secundùm se*, ut loquuntur scholæ: in altero *voluntarium in causa*. *Voluntarius*

(a) De censur. disp. 2. q. 6. punct. 2. n. 11.

*tarius in causa* dicitur ille effectus, quem, etsi voluntas non *intendat*, ac velit *in se*: vult tamen causam illius effectus.

Atque ut hic effectus, malus si sit, imputetur ad culpam, mihíque tribuatur, duo requiruntur à Theologis. Primò, ut cognoscam nexum inter hanc causam, & illum effectum: quem utique nexum inter provocationem & jacturam opum perspectum habent monomachi, satis versati in ævi hodierni perversis judiciis. Secundò, ut actio, quæ effectum causat, non sit cæteroquin licita & utilis; si enim talis foret, neque ad effectum illum pravum intentio collimaret, ad culpam agenti non imputaretur. Sic mulier decorè compta exibit licitè ad templum, aliásve cognatas ædes pro more suo, licèt prævideat, irritatum iri quemquam ex sua forma ad libidinem. Jam verò provocatio non est actio aliunde licita & utilis, sed prohibita: ergo qui provocat, prævidens simul damnum inde secuturum provocato, neque tamen à provocatione desistit, damnum inferre censendus est. Ergo damnum Leandro est *voluntarium in causa*, rectéque ei imputatur ad culpam. Ergo rectè ei se opponit Hector, pugnátque veluti contra furem, aut raptorem: perinde enim irascor volenti mihi malum *in causa*, quàm si vellet *secundùm se*.

260. Neque dicas primò, provocationem non esse causam damni; sed recusationem duelli esse veram causam. ℞. Non nego, etiam recusationem hanc requiri, ut emergere damnum possit; ita tamen, ut ad hanc recusationem adstringatur provocatus per leges probitatis, quibus si, uti debet, adstrictus manet, non potest non recusare duellum: econtra provocans potest, & debet omittere provocationem: in hac nihilominus persistendo illam causam *iniquam* dat damno, de qua quærimus. Sic Vidua quædam, defuncto recenter marito, iniquè vexata à cognatis, à judice opem petiit, quam etiam homo libidinosus addixit, si sui se voti libidinosi redderet compotem: quod dum casta fæmina recusat, deserta à judice non leve passa est damnum in fortunis suis. Quæ, edic, causa damni fuit, an pia recusatio viduæ: an negatio opis?

261. Neque dicas secundò cum doctissimo recentiore, à me in hac materia consulto. " Damna, quæ sequuntur, originem suam trahunt " à corrupto hominum judicio, habentium pro ignominia provocationem " recusare, & abhorrentium à consortio recusantis, cui judicio corrigendo "

„nequa-

„ nequaquam proportionatum remedium eſt duellum. „ ℞. Cum bona venia tanti viri, me non dixiſſe, quòd Hector duellum adhibeat corrigendo illi judicio; quod utique neutiquam eſt *proportionatum medium* huic fini: ſed id dixi, quòd duellum Hector adhibeat pro ſervandis bonis, honeſtæ ſuſtentationi neceſſariis. At quòd damna, quæ ſequuntur, originem ſuam trahant ex corrupto judicio hominum, id diſtinguere liceat. Sequuntur ex hoc judicio ſolo, hoc nego. Etiam, & fortè principaliter, ex provocatione Leandri, ſic concedo. Si non provocaret Leander, nil illud corruptum judicium noceret Hectori. Scilicet nil novi eſt, quòd plures cauſæ concurrant ad idem damnum inferendum. Sic præter proditionem Judæ cauſa mortis Chriſto fuit corruptum judicium Judæorum, habentium eum pro deceptore. Judas nihilominus reus fuit effuſi Divini ſanguinis; eo quòd probè noverit, ex ſua proditione Chriſto inferenda fore mala extrema. Et ſi quidem Chriſtus ſe, aut alius Chriſtum, defendere voluiſſet, jure fuiſſet Judam aggreſſurus: ergo etiam Leander, probè gnarus, quòd, ſtante corrupto judicio monomachorum, Hector ſit perditurus opes, ſi provocatus duellum recuſet ob conſcientiam, reus eſt damni, quod Hectori accerſit non deſiſtendo à provocatione, quódque damnum jure à ſe avertit Hector vi armata.

Unum addo. Nunquid ſi Leander, facti pœnitens, in ſacro tribunali poſtea confiteatur, Hectorem, à ſe provocatum, ferme ad mendicitatem fuiſſe redactum: nec diffiteatur, ſe prævidiſſe ex recepto more ita futurum; nec tamen à provocatione deſtitiſſe, nunquid ſacer Judex obſtringet Leandrum, ut reſarciat damnum Hectori, eíque de neceſſaria ſuſtentatione proſpiciat? ita certè faciendum nemo negabit, & docet expreſsè Molina (a). Quo autem jure id aget ſacer judex, niſi judicet Hectorem iniquè læſum fuiſſe à Leandro, & provocationem fuiſſe veram damni cauſam? ergo Leander fuit injuſtus bonorum *aggreſſor;* ubi autem eſt injuſta aggreſſio, ibi eſt juſta defenſio: ergo provocatus noſter defenſorem agit bonorum, id quod licet.

262. Neque dicas tertiò: Ex hac explicatione ſequi, quòd quidem *defenſio bonorum* ſit licita, non autem *duellum;* duelli enim nomine inſi-

(a) De Juſt. tract. 3. diſp. 82. n. 2.

insigniri non poterit pugna Hectoris contra Leandrum: multo minùs dici *duellum honoris vindex:* sed *opum.* ℞. Me semper abhorruisse à quæstionibus de nomine. Ajo, provocato, in his angustiis versanti, licitum esse ad provocationem comparere in arena. Hoc satis. Interim huic pugnæ convenire videtur definitio duelli, posita *n.* 4. *Honoris vindex* dicetur; quia unà cum bonis vindicatur honor; quamvìs ad hunc, saltem primariò, non collimet intentio Hectoris: & quia ex honoris regulis ad has angustias fuit redactus.

263. Demùm ut meæ sententiæ robur invictum addam, recenseo, quid hac in re sentiat vir cæteroquin Clarissimus, quamvis adversæ is sit opinionis, & acriter eam tueatur. Nihilominus hæc scribere non dubitavit (a): " Non apparet, quomodo duellum offerens sit injustus " aggressor, nisi fortè ideo principaliter ad duellum provocet, ut, cùm " sciat provocatum non acceptaturum duellum, hac via ipsum spoliet of- " ficio suo, ac bonis; tunc, inquit, idem dicendum, quod dicitur de casu, " quo acceptatio duelli necessaria est ad tuendam vitam, & bona fortunæ, " scilicet licitam esse acceptationem, & oblationem duelli ad defensionem " vitæ, & fortunarum, si alia ratio hæc defendendi non appareat. „ Sic ille. At ego non video, quid discriminis inter hunc, & nostrum casum intercedat, nisi quòd in hoc, ubi ea intentione provocatur, ut alter excidat bonis suis, damnum sit provocanti *voluntarium secundùm se:* in nostro autem *voluntarium tantùm in causâ.* Ferme sicut mors Christi Judæis fuit *voluntaria secundùm se:* Judæ tantùm *in causa;* non enim crediderim, quòd Judas rectà quæsierit Christi necem. Jam verò armata defensio licita est non tantùm in eum, cui ruina meorum bonorum est *voluntaria secundùm se:* sed etiam in eum, cui est *voluntaria in causa*, quamdiu hic à sua machinatione non desistit; præcipuè quando nemo adest, cui ea sit *voluntaria secundùm se*, sicut in nostro casu accidit; sic enim ipse præcipua causa damni est.



(a) *P. Schmalzgrueber* tit. de Cleric. pugn. in duell. n. 9.

## §. II.

### Respondetur ad argumenta contraria.



264. Opponitur I. ex SCHWARZIO (a), qui ita habet: " Duellum acceptandum in tali casu prorsus extraordinario etsi speculativè defendi possit ùt legi humanæ, vel etiam Divinæ naturali haud adversum: ejusmodi tamen licentia, ùt in praxi absolutè tuta probabiliùs defendi nequit; quia scilicet enervaret finem inadæquatum legis, etiam naturalis, prohibentis duellum simpliciter; nam finis adæquatus non consistit solùm in præcavendo damno, tam privato, quàm publico: sed etiam in præcavendo ipso damni periculo communi, quod ex tali licentia nimiùm periculosa, quia excessibus nimis obnoxia, societati humanæ immineret, quàm maximè præjudiciosum, & vel ideo quàm maximè præcavendum; ergo, etsi talis lex per accidens in præjudicium privati hominis cederet, non cessaret: sed ob bonum commune, per se intentum, vim obligandi retineret in praxi. " Sic habe in compendio: Ex hac duelli licentia in societatem humanam redundaret ingens malum; quia ob hallucinationem, & frequentissimum hominum abusum multiplicarentur duella, ac cædes; ergo patiatur, oportet, provocatus qualemcunque bonorum jacturam; quia bonum privatum postponendum est publico. ℞. *primò*, me neminem observâsse alium ex Doctoribus adversariis, qui

(a) J. N. P. 1. tit. 4. q. 3.

qui hunc moveret scrupulum. Tum interrogare liceat, an rarus futurus esset ejusmodi casus, vel frequens? Rarum, imò *rarissimum* vocat R. P. Schwarz, prorsus *extraordinarium*, quin *moraliter vix possibilem.* At si adeò rarus est, non apparet, quam sibi stragem ex ea licentia timere deberet hominum societas. Aliud foret, si de convicio, calumnia, nota ignaviæ &c. idem, quod de jactura opum, affirmaremus.

" Homines, ait Clarissimus Author, in obviis casibus sibi facilè " persuaderent, se non modò in honore, sed etiam honori annexa digni- " tate, officio, & consequenter in bonis fortunæ graviter læsos; adeóque " licitam etiam esse defensionem per duella haud segniter interpretarentur. „ At non dispicio satis, quomodo judicium sani hominis tam proclive, & lubricum esse facilè possit, ut mox à qualicunque honoris diminutione devolvatur ad timendam bonorum stragem, incitas, & mendicitatem. Est hoc ejusmodi damnorum genus, quod phantasus non pro libitu exaggeratum depingit, velut convicium, & resultantem inde ignominam, solet: sed quod, an reapse ingruat, provocatus utique luculentè videre potest: &, nisi ita videat, à duello abstinere tenebitur. Imò adhibeat pro majore securitate illud, quod ex Molina alibi (*vid. n.* 237.) monuimus, ut non ex proprio, sed ex familiæ, vel aliorum prudentum judicio agat. Quòdsi autem dicere præplaceat, ejusmodi casum frequenter occursurum, sic sua stabit veritas ei, quod alibi diximus, nimis scilicet difficile fore humanæ conditioni, in frequentibus adeò casibus destitutam esse omni remedio, & in tantam rerum suarum ruinam per legem prohibentem deturbari.

Quòdsi seriò quærere velimus, an ex stabilita nostra licentia timenda sit nimia duellorum frequentia, crediderim ego, in statu naturali, si ibi eadem maligna persuasio obtineret, honorem scilicet læsum non nisi pugnando redimi; crediderim, inquam, in statu naturali frequentiora fore duella, atque hodie sint; cùm nulla lex civilis aggerem ei furori opponeret. At hoc vitium esset non licentiæ, quam nos asserimus: sed ipsius status naturalis, legum, & judicis præsidio nudati, & ex hoc capite statui civili longè postponendi. Nec dicas, etiam status naturalis fore vitium, si calumniæ, & convicii causa cruenta pugna sequatur: & tamen nos hanc pugnam damnâsse capite præcedente art. 4. 5. ne, inquam, hoc dicas; nam

*respondeo*, vitium corruptæ nostræ naturæ esse, quòd ad injectam ejusmodi scintillam veluti pulvis pyrius exardescat, & præcipiti ira detonet, & casu quidem frequentissimo. *Vid. n.* 237.

Dein neque id dissimulandum, quòd sola conscientiæ noxa, si qua contraheretur ex duello pro fortunis suscipiendo, paucos foret retentura, nisi vitæ amor, vel in statu civili timor pœnæ, frænum injicerent. Gravi enim piaculo sibi non admodum ducerent monomachi, in arduo hoc rerum situ ad arma recurrere; proprius amor, sicut augeret injuriam, sic etiam minueret peccati speciem. Consueverunt præterea parum ad regulas conscientiæ respicere, ubi impotentis animi dolore abripiuntur. Unde non video, quid securitatis ex majore rigore Theologico humanæ societati esset accessurum.

265. Opponitur II. Ex P. SCHMALZGRUEBER (a), quod argumentum etiam probare videntur CASTROPALAO (b), LESSIUS (c), PIGNATELLUS (d). „ Qui duellum offert, non nititur me spoliare meo honore (idem dic de „ bonis fortunæ): sed, si istius amissio consequatur, per accidens solùm „ consequitur. Igitur non apparet, quomodo duellum offerens sit injustus „ *aggressor.* Ubi autem non est aggressio, ibi non est defensio. „ ℞. Etsi non nitatur ita, ut ea spoliatio fiat ei *voluntaria secundùm se:* nititur tamen ita, ut ei fiat *voluntaria in causa*, id quod in probatione hujus sententiæ abunde explicavimus.

266. Opponitur III. Ex eodem. " Defendere se ipsum cum *mode-* „ *ramine inculpatæ tutelæ* ille duntaxat dicitur, quem alter invitum aggredi- „ tur, nec potest ullo modo vitare certamen; sed tenetur mori, vel cum gra- „ vi dedecore fugere, aut invasorem occidere. Atqui acceptans duel- „ lum, hoc casu potest vitare certamen: ergo defensor non est, qui ser- „ vet moderamen inculpatæ tutelæ: ergo culpam contrahet pugnando. „ ℞. Provocatum posse quidem evitare mortem, vel vitæ periculum: cùm tamen jacturam bonorum evitare nequeat nisi pugnando, pugnabit cum moderamine *inculpatæ tutelæ* pro bonis suis; sicut qui cum prædone, involante in pecunias, armis decertat, moderamen inculpatæ tutelæ adhibere dici-

(a) Tit. de Cler. pugn. n. 19. (b) De Charit. tract. 6. disp. 5. punct. 7. n. 8. (c) De Justit. l. 2. c. 9. n. 84. (d) Tom. 9. Consult. 88. n. 30.

dicitur in defendendis pecuniis; quamvis prædo ejus vitam aggreſſus non ſit, nec vim corpori intulerit. Manet ergo in caſu noſtro *inculpata tutela*, non quidem *corporis*, ſed *fortunarum*.

267. Opponitur IV. Ex eodem. " Non eſt licitum furari, fornicari &c., etſi minitetur Princeps, quòdſi ſimilia non faciat, acceſſum ad aulam vel honoratum officium &c. non ſit habiturus; " (addamus, etſi ſpoliationem bonorum minitetur): igitur neque licebit acceptare duellum, quamvis ex recuſatione ſecutura ſint ejusmodi damna. ℞. Hîc ad eam quæſtionem devolvimur, an duellum ex natura ſua, ſeu *intrinſecè*, ùt ſcholæ loquuntur, malum ſit: ſive an ita lege naturali prohibeatur, ut *licitè* committi nullo caſu poſſit. Circa quod notandum, actiones quasdam morales hominum malas eſſe, quia prohibitæ ſunt: e. g. opus ſervile tractare die dominico: alias autem eſſe prohibitas, quia ſunt malæ jam in ſe, veluti furari, blasphemare &c. Hæ actiones dicuntur *intrinſecè* malæ, ac lege naturali prohibitæ. Notandum tamen, inter has ipſas iterum diſcrimen intercedere. Quædam ab *objecto ſuo* accipiunt malitiam, ut hæc ſeparabilis non ſit, v. g. blasphemare. Aliæ verò ſunt malæ, & repugnantes juri naturæ: quæ tamen cohoneſtari poſſunt, ſi jus exercendi tales actiones conferatur ab eo, qui conferendi poteſtatem habet. Sic auferre rem alienam, quod per ſe malum cenſetur, ſi fiat invito rei domino, mox cohoneſtatur, ſi is conſentiat. Occiſio innocentis e. g. Iſaaci, quæ per ſe mala reputatur, eo ipſo cohoneſtatur, ſi Deus, vitæ humanæ Dominus, conſentiat. Unde hoc jus naturale *conditionatum* dicitur, illud *abſolutum*. Qui hac ratione loquuntur, ait doctus recentior (a), nihil aſſerere videntur veræ doctrinæ contrarium: verbis tamen utuntur, vel ex quorumdam imperitia ad falſas ideas formandas, vel ex aliorum malitia ad invidiam creandam aptiſſimis. In quo ſenſu autem illud jus *conditionatum mutabile* ſit, vide apud Suarium (b), Layman (c), & alios paſſim: item *n. ſequente*. Quòdſi jam de *duello* quæratur, ad quodnam genus prohibitorum pertineat, reſpondet Cajetanus (d): " duellum cùm bellum ſit duorum, ex belli ratione conſiderandum eſſe. Et quoniam bellum non eſt malum ex genere ſuo, id "

 „eſt

(a) *R. P. Zech* Diſſert. 2. de Uſur. §. 134. (b) De Leg. lib. 2. c. 15.
(c) Lib. 5. Tract. 10. part. 3. cap. 6. (d) In D. Th. 2. 2. q. 59. art. 8.

„ eſt, pro omni caſu (multa namque ſunt bella juſta, & unum ac multum „ non variat ſpeciem) contingit procul dubio, eſſe bellum juſtum inter me „ & alterum, ſicut inter regnum & regnum.

In eundem ſenſum CASTROPALAO loquitur (a). Poteſt ergo duellum aliquando eſſe juſtum, æquè ac bellum; & tale profectò in noſtro caſu cenſendum eſt, ubi duello quis redimit honorem, conjunctum cum clade bonorum; DEUS enim ejusmodi provocato poteſtatem dediſſe meritò creditur, defendendi res ſuas etiam per necem alterius. Si quæras, unde nobis innotuerit hæc à DEO facta poteſtas? Ajo, ex eo, quòd ſatìs certò innotuerit, ſimilem poteſtatem conceſſam fuiſſe illi, qui à prædone liberare ſe nequit, niſi inito duello. Item illi, qui provocatus fuit ea intentione, ut recuſaturus duellum fortunis exuatur (*Vid. n.* 263.) Par utrinque eſt conditio: par ergo etiam certandi facultas. Unde argumentum ex furto, fornicatione &c. petitum, ſponte ſua corruit; nam ad hæc datam fuiſſe à DEO licentiam, nemini innotuit; ergo prohibitæ ſunt illæ actiones, quin duellum prohibitum ſit.

268. Opponitur V. ex Illuſtri B. WOLFIO, cujus hæc eſt ſententia (b): “ *Omne duellum naturaliter eſt illicitum.* Sic autem argumenta- “ „ tur: Qui duellum ſuſcipiunt, vi imperunt ſeſe invicem, vitam, & corpus „ exponentes periculo; quilibet verò hominum & vitam, & integrita- „ tem organi cujusdam corporis lædendi periculum cavere debet, quan- „ tum in ſe eſt, nullum habens dominium in vitam ſuam, nec in corpus „ ſuum, vel ullum ipſius organum, ſive membrum: ergo duellum natu- „ raliter illicitum eſt. Unde ſubjungit: quoniam duellum naturaliter illici- „ tum eſt, ad idem non ineundum obligatus es. Quamobrem cùm hæc „ obligatio *immutabilis* ſit, adeoque qui te provocat, ab ea liberare minimè poſſit, ad duellum provocatus id ſuſcipere minimè debes. „ Ita ille. Dum ego primò rigorem hujus concluſionis, *omne* duellum condemnantis, perpenderem, arbitrabar neceſſarium declarare, in quo ſenſu obligatio naturalis duellum interdicens (quam obligationem dari neque ego nego) *immutabilis* diceretur; ac primò quidem, juxta placita noſtrorum

(a) De Charit. tract. 6. diſp. 5. punct. 7. n. 3. (b) J. N. P. V. §. 1091.

rum Theologorum, ac Jurisperitorum, Jus naturale, quod *num. praecedente absolutum* diximus, nulla ratione mutabile est. *Conditionatum* autem dici potest *mutabile*, nempe *mutatione impropria, & indirecta;* eo quòd per mutatas circumstantias, vel certas conditiones positas mutatur materia, vel objectum juris naturalis: consequenter nec jus naturale ampliùs obligat: vel potiùs pro circumstantiis mutatæ materiæ, vel sub hujusmodi conditionibus nunquam obligavit. Et hinc mutatio dicitur solùm *impropria, & indirecta.* Sic in præsenti materia duellum jure naturali prohibitum esse fatemur: mutari tamen dicitur dicto modo ea lex, dum recusationem duelli grandis bonorum strages consequeretur, in hoc rerum articulo non obligare dicimus, imò nunquam obligâsse. (a) Quin, cùm nunquam obligaverit, dici cum aliis potest, quòd non fuerit mutata, & sit verè *immutabilis* (b), cessabítque divisio in jus naturale *absolutum*, & *conditionatum*, de qua *n. praecedente.* Jam verò in principiis Wolfianis obligatio naturalis dicitur, quæ in ipsa hominis, *rerúmque essentia*, atque natura rationem sufficientem habet (c). Unde obligatio naturalis *necessaria*, *& immutabilis* asseritur (d). " Quid enim mirum, sonant verba, quòd " illa quoque obligatio, quæ cum essentia, & natura hominis, rerúmque " ponitur, necessaria sit, atque immutabilis? quamdiu itaque existent homi- " nes, & quamdiu in hoc extituræ sunt res materiales eædem, tamdiu " quoque obligabuntur naturaliter ad id, ad quod naturalis illorum obli- " gatio sese extendit. „

Notandum autem ulteriùs, in quo sensu dicatur obligatio naturalis habere rationem sufficientem in essentia hominis, & natura rerum immutabili. Scilicet non in eo sensu, quasi illud, quod semel malum, semper, & pro omnibus circumstantiis malum: quod bonum, semper necessariò bonum sit; ait enim alio in loco (e), actiones aliquas etiam propter determinationes accidentales in bonas vel malas abire posse, & etiam has ipsas per hominis, *rerúmque essentiam*, ac naturam bonas vel malas esse; quia scilicet *omnes* actiones, quæ ad perfectionem vel imperfectionem nostram, statúsque nostri tendunt, per ipsam *essentiam* atque naturam nostram, re-

rúmque

(a) Vid. *Pichler*, aliósque passim in Prolegom. (b) Vid. *R. P. Zech* de Usur. §. 123.
(c) J. N. P. 1. §. 129. (d) Ibid. §. 130. (e) §. 123. ibid.

rúmque ad eas concurrentium ad eandem perfectionem vel imperfectionem tendunt (a). Ex quibus omnibus, operosè combinatis, illud folùm fequitur, duellum in iis circumftantiis, in quibus femel eft malum & prohibitum, in iisdem femper effe tale; quia lex naturalis, pro illis circumftantiis prohibens, eft *immutabilis.* Nondum autem apparet, quomodo femper & in omnibus circumftantiis malum, & prohibitum fit; quia poteft ad imperfectionem noftram, ftatúsque noftri tendere, ubi agitur de fola nota timiditatis vitanda: econtra ad perfectionem, ubi ad vindicandam neceffariam fuftentationem fufciperetur, & fic nihilominus in utroque cafu per ipfam hominis, rerúmque effentiam ac naturam jam malum, jam bonum effet in fenfu declarato. Non ergò *omne* duellum naturaliter illicitum eft.

Neque id unquam nobis in mentem venit, quòd *provocans ab ea nos obligatione liberet:* fed provocatum liberat officium charitatis erga fe ipfum, utpote cui optabilius eft incertam pugnæ aleam fubire, quàm certam neceffariæ fuftentationis jacturam pati.

269. Opponitur VI. Conceffa femel licentia comparendi ad duellum, ubi agitur de fortunis, extendetur facilè ad alia damna e.g. dum fola dignitas, & officium periclitatur, remanentibus nihilominus opibus ad fuftentationem neceffariis: vel ubi de fola exclufione ex focietate, & commercio honoratorum agitur: vel ubi folus honor per illatam ignominiam labem patitur. Profectò nobilis mens atque ingenua non tam opibus tuendis ftudet, quàm fervando honori. Sordidum eft plus pro nummis, quàm pro fama laborare. E circulis honoratorum hominum profcribi, & veluti leprofum evitari, vel non poffe comparere fine rubore, acerbius malum eft, quàm aliquot florenorum millibus accidi rem familiarem. Officium dum perditur, folent ùt plurimùm etiam opes minui, & amitti jus frequentandi conventus nobiliores. Ergo conceffam pro noftro cafu licentiam ad alios extendere pronum foret. Atqui hoc non tantùm pugnaret contra fententias noftras tam præcedentes, quàm fecuturas: fed etiam portam ampliffimam aperiret duellis, invalituris contra bonum focietatis humanæ: ergo etiam in cafu præfenti neganda eft ea licentia.

℞. Ca-

(a) J. N. P. I. §. 122.

℞. Caſum, ubi amittere ſolum officium, aut dignitatem neceſſe foret recuſato duello, cùm ad ſtatum naturalem non admodum pertineat, decidendum fore ſuo loco (*vid. n.* 357.). Neque diffiteor, circulis æqualium excludi acerbiùs animum rodere (ſi ſenſum nobilis animi ſpectemus) quàm aliquot florenorum millibus accidi: at varia lenimina doloris ſui excluſus ille invenit, & adjumenta, quibus accidendus noſter caret, de quo *vide n.* 368. Sed & id notatum velim, non ſemper pro jactura aliquot millium florenorum avertenda licitum me duellum dixiſſe. Quæ debeat eſſe magnitudo damni, *vid. à n.* 357. Cæterùm laudabile eſt, quòd excelſæ mentes non tam defendendis opibus ſtudeant, quàm ſervando honori: neque tamen conficitur ex hoc ad honorem affectu, licitè eum duello defendi. In ratione defendendi latum diſcrimen eſt, quamvis in æſtimatione honor adæquet, imò ſuperet nummos, ferme uti ſuprà de vita diximus, occaſionem dante illo ſyntagmate: *vita & fama pari paſſu ambulant. Vid. n.* 241. Perpendenda etiam veniunt argumenta, contra pugnam, honoris ſolius vindicem allata *n.* 256. ex quibus patebit, cur in noſtro caſu armata defenſio conſcientiam non lædat; læſura, ubi pro ſolo honore ſuſciperetur.

270. Opponitur VII. Ex Navarra (a) " Si poſſem occidendo res meas ſalvare, deberem occidere provocantem: non tamen admittere duellum; aliàs cooperarer peccato illius; cùm enim ille peccet exeundo ad duellum, &, ſi ego evitato duello ſimpliciter occiderem, ille me non aggrederetur duello, jam videor per acceptationem duelli cauſa peccati illius. „ ℞. Hac via, ſi ſcilicet vel clanculum è medio provocantem tollerem, vel vi oppreſſo ſpiritum eliderem, non mihi fore rediturum deperditum honorem, & conjunctam bonorum jacturam non fore evitandam; quia ſoli juſtæ pugnæ id privilegium ſenſus (ſanum, vel inſanum per me dixeris, de quo *vid. n.* 215.) hodierni ævi reſervavit.

271. Opponitur VIII. Provocatus noſter ob commiſſum duellum excommunicationem latæ ſententiæ incurreret, ùt pluribus explicabitur *Cap. VIII.*, ergo peccati reus ſit oportet, & quidem aliunde contracti, quàm ex violata lege purè Eccleſiaſtica; ergo jam in ſtatu naturali. ℞. Si no-



(a) L. 2. de Reſtit. c. 3. n. 290.

ſter provocatus à peccato immunis eſt, nego, quòd excommunicationem incurrerit, quæ non fertur niſi ob peccatum, & quidem grave, ùt docet Communis, & non niſi contra duellà, jam ante Conſtitutiones Pontificum, lege naturæ prohibita, ùt fusè oſtendit PEREGRINUS (a).

272. Opponitur IX. Saltem periculum æternæ ſalutis amittendæ à duello provocatum noſtrum deberet retrahere; oritur autem periculum præſentiſſimum ex odio, & vindicta ebulliente in provocato, dum veluti coactus pugnat. Hoc in ſtatu, quî ſalvabitur? dilectio inimicorum etiam lege naturali præcepta eſt; quia diligere debes alterum, eo quòd homo, non quòd amicus ſit. Et hæc obligatio nunquam tollitur, quamdiu vivit homo, ùt demonſtrat WOLFIUS ex puris principiis juris naturalis (b). Jam verò quomodo dilectio inimici ſubitò cor occupabit, ubi quis lethali vulnere ſaucius, frendens, ac ſpumans ſpiritum evomit? ℞. Quamvìs hoc difficile ſit viro, qui aliàs impotentis animi, neſcit ſuis affectibus dominari: vel ei, qui præter exſpectationem laceſſitus ad pugnam ſui colligendi ſpatium non habuit: viro tamen aliàs probo, qui poſt tentata alia omnia, non niſi neceſſitate ferrea adactus, animo bene comparato, in arenam deſcendit, impoſſibile non eſt, depoſito rancore, datáque coram DEO venia, pugnare ſine æſtu, *lædente conſcientiam;* non enim omnis ardor, quo noſtra contra raptorem defendimus, peccatum eſt. Vidi talem, qui, Sacris antè in templo munitus, & depoſito ad Chriſti pedes odio, certamen ſubiit, dum id ei licere ex conſcientiæ ſuæ arbitro intellexit, qui tamen ego non fui. Videre etiam plerumque eſt, pugiles poſt pugnam mox redire in gratiam, & junctis dextris amicitiam firmare, veniam etiam generosè concedere, ſi cui eorum lethaliter ſaucio moriendum ſit; ita ut appâreat, non tam incitante odio pugnâſſe, quàm ut pſeudo-legi facerent ſatìs. Itaque ob odium *plerumque* periculoſum utcunque ſit duellum: non *ſemper* erit, ſaltem non ita, ut periculum ſit valde propinquum, & removeri non valeat. *Vid. etiam dicta n.* 219.

273. Opponitur X. Peſſimi exempli res eſſet duellum ejusmodi, unde complures relaxatæ conſcientiæ homines ſibi poſthac non ducerent

ſcru-

(a) De Duell. q. 3. (b) *Wolf* J. N. p. 1. §. 682.

scrupulo id, quod ab aliis factitari vident. Obligamur autem ruinam spiritualem proximi, seu *scandalum* evitare: ergo & duellum. ℞. Si constet in vulgus, in quas angustias conjectus fuerit Hector, id quod facilè constare poterit, malo exemplo neminem offendet. Vidi ego in casu, cujus antè mentionem ingessi, populum frendere non contra Hectorem, sed contra Senatum bellicum, qui Hectorem malè destituerat.

# ARTICULUS II.

## *An ad servandas unà cum honore opes etiam liceat provocare?*

DIfficiliores invenio Doctores nonnullos in asserenda licentia offerendi duellum, quàm acceptandi (a). Nec prorsus immeritò; tunc saltem mitius crimen est acceptantis, quàm offerentis, dum hic, nulla vera injuria læsus, alterum ad pugnam, vel invitum adigit. At maneamus in casu nostro, inversa solùm quæstione.

### §. unicus.

### Affirmatur Licentia.

274. *Statuitur casus,*
275. *In quo par est ratio cum casu superiore.*
276. *Par ad Objectiones responsio.*
277. *Par confirmatio ex adversariorum petita principiis.*

274. FIngamus ergo, Hectorem, nulla data causa, petulanti scommate, aut atra calumnia impetitum fuisse à Leandro: unde, nisi ab illata macula se purget, grave damnum in bonis fortunæ cogatur perferre. Nihil omittit Hector, ut Leandrum permoveat ad sufficientem satisfactionem, dandam vel petita venia, vel cantata palinodia, vel exhibito alio humanitatis signo, quo macula in persuasione hominum deleta censeatur. At nihil proficit, perstat Leander in sua protervia, fastuoso supercilio rejicit, ridétque malè mulctatum Hectorem, solo duello satisfacturum se

 dicit:

(a) *Viva* Trutin. ad propos. 2. Alexand. VII. n. 6.

dicit: quamvìs probè perſpectum habeat ingens, quod hic laturus erit, damnum, ſi quidem duellum recuſet pro nota ſuæ conſcientiæ teneritudine. Aliud ergo jam ſupereſt Hectori nihil, quàm ut ad pugnam invitet Leandrum, aliàs miſero ſibi impunè inſultaturum. Rebus ita conſtitutis

275. Ajo, licere Hectori provocare Leandrum, ſicut in caſu priore licebat acceptare. Cohæret, nì fallor, utraque hæc doctrina: nec quemquam ſcio Doctorum, qui, conceſſa prima, *expreſſè* hanc ſecundam negarit. Ratio ubique par; ſcilicet neceſſaria bonorum defenſio contra eum, qui per nefas non deſiſtit dare cauſam damno, eámque tollere renuit mitiore ſatisfactione, utì deberet. Ejusdem rationis ſunt, ajunt VALENTIA (a), & PIGNATELLUS (b), ad duellum provocare, ac illud accipere, quoties neceſſariæ defenſionis cauſa utrumque fit.

276. Par etiam eſt ad oppoſitiones reſponſio; nam ſi objicias, Leandrum non velle damnum Hectoris: repono, hoc damnum ei eſſe *voluntarium in cauſa;* ſcilicet in offenſa, quam præſcivit, juxta ſtylum ſuæ communitatis elui non niſi duello ab Hectore poſſe, ſi quidem ipſe humiliore ratione ſatisfacere eidem detrectaret. Eſt ſimul *voluntarium indirectè*, ùt vocant; quia damnum cauſat omittendo id, quod facere deberet, ſcilicet ſatisfacere modo alio.

277. Par quoque eſt confirmatio hujus ſententiæ ex Principiis Clariſſimi Adverſarii, *ſuprà n.* 263. citati; is enim in ſuperiore caſu conceſſit, Leandrum fore injuſtum aggreſſorem, ſi ideo principaliter ad duellum provocet, ut, cùm ſciat provocatum non compariturum, hac via ipſum ſpoliet bonis: tunc, ajebat, licitam eſſe acceptationem, & *oblationem* duelli ad defenſionem fortunarum, ſi alia ratio hæc defendendi non occurrat. Ergo fingamus, Leandrum ideo convicium Hectori feciſſe, ut duellum recuſantis bona vel peſſumdaret, vel ſibi acquireret. In hoc caſu non negabit Hectori facultatem provocandi: imò hoc, nì fallor, innuit dicendo, licitam eſſe acceptationem, & *oblationem* duelli; non enim poſſet *oblatio* ob illam perverſam intentionem locum habere, niſi fingatur, Hectori, ex hac intentione læſo, neceſſitatem incumbere *offerendi* duellum.

Hoc

(a) 2. 2. diſp. 3. quæſt. 17. punct. 1. (b) Tom. 9. Conſult. 88. n. 53.

Hoc dato, ajo, ùt in casu præcedente dixi, etiam absente ea intentione licitum esse duellum offerre: modò Leander præviderit damnum secuturum ex ignominia, & satisfacere alio modo omittat. Licitè enim aggredior armis eum, qui damnum mihi inferre non desistit, quamvis hoc ei damnum tantùm sit *voluntarium in causa*, & *indirectè*; præcipuè cùm nemo sit, cui damnum sit *voluntarium secundùm se*, & *directè*; sic enim ipse præcipua causa damni est.



# CAPUT V.

## AN ASSERTA PRO STATU NATURALI LICENTIA APPLICARI ETIAM POSSIT STATUI CIVITATIS MALE ORDINATÆ.

HActenus desudatum est in statu naturali hominis, descripto *n.* 192. cujus præcipuus character erat, carere judice ac superiore quacunque potestate, quæ succurrat læso in honore. Hunc modum tractandi cur assumpserimus, rationem dedimus *n.* 170. Quid licitum, vel vetitum sit pro tuendo honore homini, in eo statu degenti, id expendere hucusque præcipuus labor erat. Unde jam doctrinæ ordo postulat, ad statum *civitatis*, & quidem *male ordinatæ* gradum facere, ac quærere gemino Articulo, an asserta pro statu naturali licentia applicari etiam huic statui *possit?* & an *tutò?*

## ARTICULUS I.

### *Statuitur Sententia affirmans posse licentiam applicari etiam statui civitatis malè ordinatæ.*

TRepido, ut fatear, pede vadum hoc tento. *Mihi satis est*, ait P. Böckhn, *hanc doctrinam retulisse, quæ altiorem decisionem exigit* (a). Equidem etiam mihi satìs esse posset: at, spero, nemo vitio vertet, si modestè mentem aperiam, paratus dedoceri errorem à quocunque, qui pariter modestè id fecerit. Itaque §. I. explicabo statum quæstionis. §. II. Afferam argumenta pro mea sententia. §. III. Respondebo ad argumenta contraria.

§. I.

(a) Jur. Can. in Tit. de Clericis pugn. n. 7.

## §. I.

### Explicatur ſtatus quæſtionis.

278. *Definitio civitatis.*
279. *Diviſio in benè, & malè ordinatam.*
280. *Malè ordinatam in hoc ſenſu quidam exiſtimat nullibi exiſtere.*
281. *At contrarium oſtenditur ab experientia.*
282. *Quid ergo conſilii?*
283. *Statuitur ſententia.*

278. EST *Civitas* ſocietas perfecta cum debita parentium, & imperantium ſubordinatione, ad civilem beatitudinem coadunata (a). Igitur non dicitur civitas à muris aut ædificiis: ſed à pluribus civibus, in unum congregatis, in quo ſenſu CICERO pro Muræna, *Roma*, inquit, *urbs eſt*, *civitas eam incolit.* *Perfecta* ſocietas dicitur, ut differat à ſocietatibus *imperfectis* ſcilicet à ſocietate conjugali, à familia, & ſtatu herili, quæ ad bene, beatéque vivendum ſufficientes non ſunt, ùt demonſtrat ARISTOTELES (b). *Debita imperantium & parentium ſubordinatio* eſt vinculum, quo cohæret civitas, & veluti vitalis ſpiritus, quem tot millia trahunt ad ſalutem, & vitam communem. Et hoc eſt, quod potiſſimùm ad propoſitam materiam facit; in ſtatu ſiquidem civitatis ſuprema datur poteſtas, quæ puniendo lædentem ſatisfaciat læſo, omnémque prohibeat vim, privata authoritate inferendam: quo præſidio deſtituitur ſtatus naturalis inter æquales vel perſonas, vel familias. *Ad civilem beatitudinem coadunata eſt*, ut ſcilicet, præter alia commoda, quisque ſecuritatem habeat ab injuriis, quam præſtare debet ſuprema poteſtas, penes quemcunque dein pro varietate regiminis reſideat. Huic dum me ſubjicio abdicata libertate mea naturali ſaltem quoad exercitium, præſidium viciſſim mihi, & defenſionem ſtipulor pacto expreſſo, vel tacito. Sive itaque forma regiminis Monarchica, ſive Ariſtocratica, ſive Democratica ſit, penes quemcunque ſuprema poteſtas reſideat, hujus eſt vindicare me, dum vel in corpore, vel fortunis, vel fama damnum mihi infertur: & ita illius eſt me vindicare, ut mihi poſt delatas, auditáſque querelas omnino vetitum ſit privata authoritate

(a) *Schmier* Jur. Univ. I. 1. c. 2. n. 137. (b) 1. Pol. c. 1.

tate vim facere: secus enim rueret ordo, invalesceret perturbatio, & ipsa civitas desineret.

279. Inter ipsas civitates aliquas minùs bene, alias meliùs ordinatas atque constitutas cernere est, ubi nempe major vel minor legum bonitas, earúmque observantia viget. Atque ut de duello hodierni moris loquar, videmus plerasque, vel omnes saluberrimis quidem contra hoc malum munitas mandatis: at in eo potissimum discrimen notatur, quòd in una civitate stet sua his legibus authoritas, alibi neglectui habeantur: suprema potestas alicubi vigilet, alicubi dormiat: hoc in loco nihil omittat, ut monomachias vel impediat, vel puniat: alibi autem, mandatum scripsisse contenta, de eo in usum deducendo parum curet. Boni Superi! si ea adjumenta, quæ ex quinquagenis propè mandatis collecta, *Cap. II. art. I.* exposuimus, adhiberet supremus quivis Princeps, aut in republica senatus, eásque reis pœnas infligeret, quas justissimè statutas *Cap. IX.* recensebimus, næ rarum nobis animal monomachus foret. At ea est multorum Magistratuum socordia, ut jure merito censeantur indigni primo, quem in civitate occupant, loco.

280. Optarem, ut præclara illa opinione, quam de Magistratibus hodiernis favet R. P. Böckhn (a) etiam digni essent omnes. " Indubitatum tenemus, ait, casum ejusmodi, quo ob defectum alterius medii usus hujus sententiæ liceat, posterioribus saltem sæculis, quibus vis omnis privata in Germania interdicta est, vix adhuc fuisse datum, nec unquam facilè deinceps dandum. Siquidem, dum communi omnium Imperii Statuum consensione omnes violentiæ, ac nominatim duella sunt prohibita, certè Imperii Status, modò implorati, hujúsque propriæ sanctionis, quam sine læsione honoris sui ipsi neglectim habere haud possunt, admoniti fuerint, obligationi suæ haud deerunt. Sed esto, rem ab eis dissimulari, confugium ad supremum Imperii Monarcham patet, de cujus Majestate citra summam temeritatem, ac sacrilegium asseruerit nemo, quòd nolit repellendo tanto flagitio, cujus extirpationi severissima illa Imperialis Constitutio lata est, sua authoritate inter-

(a) Loc. cit.

intervenire. Si difficilem dicas accessum, prudenter id credi nequit si- "
mili in negotio, præsertim quando implorans vir illustris est: erit saltem, "
qui supplicem tunc libellum offerat, ac, si nullum repereris, Diœce- "
seos Ordinarium require, efficiet hic, ut preces tuæ ad competen- "
tem locum perveniant. Ipse Pontifex, si ad eum recurreris, pro pa- "
terna sua vigilantia, ac solicitudine id curabit. Hæc media, si tenta- "
veris, moraliter erit certum, ita tibi consulendum fore, ut nec hono- "
rem, nec officium deperdas: nec à quoquam propterea sine gravi pœ- "
na tibi possit illudi. „

281. Veneror ego consilium clarissimi Authoris, & precor, ut eum, quem pollicetur, successum prosperum sortiatur. Quid contigerit in variorum Principum terris, mox narrabo, dandi speciminis causa. A Principibus ad Imperii Comitia, vel Sacram Cæsaream Majestatem, vel ipsam Pontificiam Sedem confugisse quemquam, equidem mihi non constat: quo autem effectu id quis facturus fuisset, lucubrationis meæ lectoribus dijudicandum relinquo. Atque, ne detineamur hoc loco, & inoffenso pede pergere in tractatione liceat, fingamus Hectorem quemdam has fores pulsare vel non potuisse: vel etiam his pulsatis rerum suarum jacturam non evitâsse. Jam de casibus particularibus ut loquar.

Noveram ego alibi terrarum ante annos complures virum nobilem, Centurionem officio, qui, ubi temere sibi verbulum elabi est passus, innoxium, ut credebat, malignè autem ab audiente Sub-tribuno exceptum, illico gravi convicio ab hoc perculsus, eò redactus est, ut vel gladio se purgare necesse habuerit, alterúmque provocare, vel abdicato officio legione excedere. Conscientiæ suæ metuens opem quærebat, ubi debebat, scilicet apud senatum militarem in Regia Principis, sub quo stipendia ambo merebantur. At rescripsit Senatus, se quidem duellum non imperare: nec tamen cogere etiam posse commilitones, ut militent cum eo socio, qui pugnam declinet. Et en! post integri anni tricas, tandem bonus Centurio duellum subire statuit. Obvio in platea Sub-tribuno stricto suo gladio signum pugnandi dat, à quo lethaliter vulneratus paucas post horas exspiravit. Sub-Tribunus asylum quæsivit, ubi postquam latuerat trimestri spatio, impunitus non solùm libertati restitutus, sed & in locum occisi centuriæ præfectus est.

Caſum non multùm abſimilem narrat P. Seybold (a): " Cajus, „ obſcuro genere natus, ſed officio bellico nobilis, ad quod ſua virtute „ eluctatus fuerat, è nobiliſſima quadam familia Germaniæ uxorem du- „ xerat. Neſcio, qua occaſione dein idem Cajus ab alio quodam magnæ „ nobilitatis Officiali bellico, ſed officio bellico non multùm ſupra Cajum „ eminente, arundine ignominiosè eſt percuſſus. Nobilitatem invaſoris re- „ veritus, nulla uſus eſt defenſione, & reſiſtentia Cajus. Vulgatur res „ in exercitum, Officiales reliqui contra eum proteſtantur, negant, cum „ eo ſtare milites velle, qui timidus alterius percuſſioni, licèt paris fermè „ dignitatis militaris eſſet, non reſtiterit: eum ceu imbellem ex caſtris ex- „ eſſe jubent. Princeps Imperii, in cujus cohorte percuſſus Centurionem „ agebat, ab eo imploratus, reponit, ſe ipſum non removere ab officio: „ cæterùm cogere Officiales, & milites aliorum Principum ſe non poſ- „ ſe, ut cum eo ſtent in armis, eúmque tolerent: ipſe ſibi proſpiciat. „ Fruſtra omnia. Aggreſſor interim ad Rhenum ex Hungaria cum ſua „ turma vocatus eſt. Remedium recuperandi officium ſupererat nullum, „ niſi monomachia cum offenſore. Quid juris? an totam vitam, officio „ jam expers, agere inter ruricolas cogetur Cajus, atque redigi in ſta- „ tum antiquæ fortunæ, unde ad hanc dignitatem tanto conatu fuerat „ eluctatus, perpetua cum paupertate luctaturus; prædia enim nulla, cen- „ ſus nullos habebat, unicè ex officio ſuo militari ſe, uxorémque nobi- „ lem ſuſtentans. An uxor nobilis inter ruſticas jam fæminas marcído „ fruſto panis, veſtitu detrito, & vulgari ſit contenta? difficilis eventus, „ in quo tamen Cajum, inter ruricolas cum uxore ſua in pago degentem, „ ipſus conſpexi, officio ſuo militari orbatum. „ Ita P. Seybold.

Huc referri poteſt ille infelix Bellidux, qui, duelli evitandi cauſa, in Moſcoviam usque ex Germania ſe contulit. At neque ibi ſtationem invenit, dum ab adverſario ſuo litteris denunciatus, redire opus habuit, & duello ſibi fortunam ſervare. *Vid. n.* 75. Alius provocatus ad urbem neutrarum partium, dum parere detrectat, extruditur à ſua tumultuante legione: & tandem miſſo ex curia mandato jubetur, eò ſe conferre, & ab antago-

(a) Dicæomach. p. 2. ſect. 4. §. 1. n. 14.

tagoniſta poſcere, ut ſcommatis in ſe jacti veritatem demonſtret. Et quis adeò bardus eſt, ut non intelligat ſenſum hujus mandati?

Fuit Bohemus quidam de Comitum illuſtri genere in aula extera, qui, dum ad Principem querelam defert de convicio in ſe totámque nobilitatem Bohemicam jacto, aliud reſponſi tulit nihil, quàm ut demonſtraret, quàm ſtrenua ſit nobilitas Bohemica. Satis dictum. Pugnatum ab ambobus fuit prope Regiam, inſpectante ex compoſito Principe. Atque utinam non ſæpius acciderent ſimilia, belli præcipuè tempore in caſtris, ubi ſupremi præfecti vel tegunt ſilentio minorum duella, diſſimulanda, ùt ajunt, acuendæ fortitudinis cauſa: vel ſubitæ rixæ nomine palliant. Væ autem illi, qui renueret comparere provocatus, aut provocare accepta injuria.

282. Jam in ejusmodi rerum articulo conſtitutus vir probus civitatis quidem membrum eſt: ſed profectò *civitatis malè ordinatæ;* nec bono illo frui jam poteſt, defenſione ſcilicet honoris, & opum ſuarum contra vim privati hominis, quod tamen pacto tacito ſibi quisque ſtipulatur, qui ſe poteſtati civili ſubjicit. In *civitate bene ordinata* ſi degeret, utique vi & armis abſtinere deceret, quamdiu aliquid præſidii ab iis ſperare licet, qui juſtitiæ gladium geſtant. At cùm videat hinc inimicum, nulla vera injuria læſum, flecti neſcium, inſiſtere provocationi: vel negando ſatisfactionem pro facto convicio, provocandi neceſſitatem imponere: illinc autem experiatur, fruſtra ſe tribunalium fores pulſare, in medio ſe vado deſtitui cum irreparabili non honoris tantùm, ſed & dignitatis, atque dependentis inde ſuſtentationis neceſſariæ jactura; quid, quæſo, ita inter ſaxum & ſacrum hærenti conſilii ſuggerendum? Conſulendum ſanè, ut amore ſanctæ pacis, ad Chriſti patientis exemplum, ærumnas potiùs ferat, quàm ut Collegam, ſéque ipſum in ultimum diſcrimen adducat, hoc, inquam, conſulendum, omníque energia inculcandum eſt. Quòd ſi tamen conſilio huic morem gerere grave nimis accidat, &, an præcepto gravi ad id adſtringatur, interroget, promittátque, ſe absque ebulliente odio (*vid. n.* 272.) cum adverſario confecturum negotium, ſua potiùs tuendi, quàm alterum lædendi cauſâ: quid reſponſi dabit æquus rerum æſtimator Theologus?

283. Qua in re, uti & in cæteris, consultissimum judico, nihil dare immoderato rigori: nihil etiam molli indulgentiæ. Per hanc peccata non pauca irrepunt: illo lassati fideles totum jugum impatienter excutiunt. Sapientissimè hodiernus SS. Pontifex Benedictus xiv. profitetur (a), se *non magis ab opinionibus laxis, quàm ab iis, quæ nimium, & intolerabilem rigorem inducunt, alienum esse.* Itaque ajò, me non posse damnare Theologum, qui viro illi militari, aut nobili declaret, quòd absque gravi conscientiæ noxa acceptare duellum possit: vel etiam, si ita res ferat, offerre. Adeóque quod in Statu Naturali licitum esse diximus, etiam in hoc Statu *Civitatis malè ordinatæ* certo modo licitum asserimus. Jam probanda erit doctrina.

## §. II.

### Argumenta pro sententia affirmante licentiam.

284. *Rationem* extrinsecam *quod attinet, Authores antiquiores de hoc casu silent.*
285. *Recentiores quidam nostram tenent sententiam.*
286. *Quidam contrariam.*
287. *Ratio intrinseca prima est; quia nulla lege prohibetur tale duellum.*
288. *Ratio secunda; quia in illis angustiis quis redigitur ad statum naturalem.*
289. *Unde patet, quæstionem consultò antè juxta statum naturalem fuisse examinatam.*

284. NOn ego discutiam hoc loco, quantum in quæstionibus moralibus Authorum numero, & præstantiæ sit deferendum: recensere tamen oportet, quid circa dubium præsens senserint, sentiántque adhuc. Noveris itaque, Authores antiquiores casum nostrum non attigisse; usui enim ævi sui servientes, iis ferme duntaxat duellis calamos suos commodârunt, quibus in judicio lites dirimi, vel inter privatos alia dissidia finiri solebant (*vid. n.* 160.) donec erectis tribunalibus delira hominum fortitudo sanguinem suum jam non litigiis, sed honori libare cæpit, summo contemptu decreto in eos, qui inultam ignominiam ferrent. Tum iterum multi

(a) In Epist. Encycl. de extensione Jubilæi, quæ incipit: *Celebrationem magni Jubilæi.* dat. 1. Jan. 1751.

multi Jurisperiti, ac Theologi sententiam dixêre oppidò faventem hujus generis monomachiis, uti videre est apud SANCHEZ (a), & BANNEZ (b), donec fulmen Vaticanum, vibratum die XIV. Septembris anni MDCLXV. ab ALEXANDRO VII. summo Pontifice, latè terrorem sparsit, ubi proscripta est illa propositio: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Ab eo tempore reprobârunt pugnam, pro solo asserendo honore, aut eluenda ignominia susceptam. Econtra docuêre, sicut *raptorem bonorum* occidere fas est: sic etiam licitè duello contra eum eadem bona defendi, si alia ratione servari nequeant. Non facilè autem quispiam, si LAYMANUM excipias, qui pridem ante annum MDCLXV. præclara sua opera ediderat (c), discussit casum, quo non rectà opes, sed primò honor, inde opes per connexionem invaderentur. Ultimis temporibus huic quæstioni operam dare inceperunt nonnulli.

285. Hos inter nostram sententiam apertè tenent P. REIFFENSTUEL (d), P. SEYBOLD (e), P. PICHLER, P. HUTH (f), aliíque necdum impressi, teste SCHWARZIO. Item P. SPORER (g), saltem quoad licentiam acceptandi provocationem, adducens etiam NAVARRUM. Huic numero accensendus quoque venit celeberrimus LAYMANUS (h), qui censet, licèt *ordinariè* provocatus ad duellum, non possit id acceptare, ne ignaviæ, aut timiditatis notam apud alios incurrat: tamen si in rarissimo casu eo loco res sita est, ut miles in exercitu, vir equestris in aula Regia officio; dignitate, Ducis, aut Principis favore ob ignaviæ suspicionem deberet excidere, nisi provocanti se sistat, non audet damnare eum, qui meræ defensionis gratia comparet. Non equidem dicit LAYMAN, posse etiam *offerri* duellum in ejusmodi casu: at à nobis jam suprà (*à n.* 274.) ostensum est, quòd par sit utriusque ratio. Neque exprimit idem Author satis, an jactura officii, & dignitatis, etiam *separata* à jactura bonorum necessariorum, sufficiat ad licentiam: vel an sufficiat tunc solùm, quando *conjuncta* est, ùt plerumque esse solet: interea meritò ejus authoritas firmandæ nostræ sententiæ adhibetur.



(a) L. 2. Summæ. C. 39. (b) 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 3. (c) Mortuus Constantiæ A. 1635. (d) Jur. Can. ad tit. de Cleric. pugn. n. 20. (e) In Dicæomachia P. II. sect. 4 §. 1. n. 14. (f) In tit. de Cleric. pugn. (g) Theol. Moral. tract. V. in 5. Præcept. (h) L. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 3.

286. Ex his, qui præsentem casum ex instituto tractârunt, contrariam sententiam tuentur P. SCHMALZGRUEBER (a): non tamen apertè loquitur de jactura talis officii, quocum conjuncta est necessaria sustentatio pro vita honestè ducenda. Huic accedit P. SCHWARZ (b). Ad quorum argumenta suprà responsum fuit, dum in statu naturali versabamur: neque singularem difficultatem pro statu civili facessunt. Ea responsa nostra, si unà cum fundamento nostro perpendantur (*vid. à n.* 259.), deprehendemus, solidè dixisse PICHLERUM: *omnes eos Authores pro hac doctrina nostra adduci posse, quotquot duellum permittunt ob necessariam defensionem rerum temporalium magni momenti, quorum sunt plurimi*, inter alios LESSIUS (c) adducens BANNESIUM, & ANGELUM; WIESTNER &c. non enim videtur pertinere ad rei summam, sive rectà petentem fortunas meas duello compescam: sive petentem rectà honorem, & per connexionem fortunas. Recole alibi dicta de damno *voluntario secundùm se*, & *voluntario in causa n.* 259. Authores alios, qui non de industria casum, his vestitum adjunctis, examinârunt, qualis cum aliis est PIGNATELLUS (d), hoc loco præterimus.

287. Omissa jam authoritate, rationes, ùt vocant, *intrinsecas* afferre juvat. Prima sic habet: nulla lege in statu civitatis pro nostro casu prohibetur duellum. Non lege *naturali*; hæc enim tunc solùm prohibet duellum cum prædone, & (quod nobis idem est *juxta n.* 259.) cum provocante suscipere, si aliud remedium præcavendo ingenti damno supersit. Non lege *positiva Divina*, expressa illo præcepto: *non occides;* juxta communem enim doctrinam Patrum, ac Doctorum præcepta Decalogi (si tertium fortè excipias) sunt mera declaratio legis naturalis, quam pridem in cordibus hominum scriptam, cùm invalescens malitia propemodum delesset, lapideis tabulis incidit DEI digitus. Quòd si ergo ante Decalogum lex naturalis tale duellum non prohibuit, etiam per Decalogum prohibitum non fuit. " De jure divino voluntario perfectiore, *Evangelico* scilicet, " plus est difficultatis, ait GROTIUS (e). Quin DEUS, cui plus juris est in " vitam nostram, quàm nobismet ipsis, potuerit patientiam eò usque exi- " gere, ut etiam privatim in periculum adducti occidi deberemus potiùs, quàm

(a) In tit. de Cleric. pugn. (b) J. N. p. 1. tit. 4. instruct. 3. §. 1. (c) De Just. & Jur. l. 2. c. 9. n. 48. (d) Consult. 88. tom. 9. (e) L. 1. c. 3. §. 3. n. 1. J. B. P.

quàm occidere (adde etiam: *privari bonis*) ego non dubito. An autem " voluerit nos eousque obstringere, id est, quod inquirimus. Sed verior, " & receptior est sententia, quòd talis patientia non sit in obligatione. " Neque lege *humana* Ecclesiastica aut civili talis obligatio, ferendi scilicet damnum, imponitur. Non *Ecclesiastica;* nam Concilium Tridentinum, GREGORIUS XIII., & CLEMENS VIII. non voluerunt damnare duella, quæ jure naturæ licita sunt: sed solùm, quæ hoc jure sunt prohibita. Ita SCHIARA (a), adducens SAYR. & FILLIUCIUM. Eadem est mens LUGONI (b); cùm enim Tridentinum dicat, *detestabilem duellorum usum, fabricante diabolo fuisse introductum*, colligunt ex his verbis Doctores, in iis casibus, in quibus antea licitè acceptabatur, posse etiamnum acceptari. Idem censendum est etiam de Constitutionibus Pontificum, ùt tenet LUGO, adstipulante MOLINA (c), & probat pluribus speciatim de Constitutione CLEMENTIS VIII. PEREGRINUS (d). Atqui duellum in nostro casu enarratum, ante Tridentinum prohibitum non erat; ergo neque nunc prohibitum est per Constitutiones Ecclesiasticas. Nec denique obstat lex *civilis;* non enim video, ait PUFENDORF (e), quomodo Magistratus jure irasci possit illis, qui more & ex opinione vulgi existimationem suam asserunt, ubi ille tales injurias insuper habuit. Nulla ergo lex obstat, quo minùs duellum hoc etiam in statu civili licitè suscipiatur. Unde non capio, quomodo CARAMUEL dicat, in casu suo, de vindicatione honoris allato *n.* 245. duellum licitum quidem esse jure naturali: prohibitum tamen Civili & Canonico. Neque id capit CARDENAS " (f), si enim, ait, invasus habet jus naturale se defendendi, " non est facile intelligere, quomodo leges humanæ id possent prohibere. "

288. Jam etiam ratione altera stabilienda nostra est assertio. Ejusmodi homo, de quo casus noster loquitur, vel non volente, vel non valente succurrere Magistratu, videtur repositus esse in statum naturalem. Unde, quæ in isto licent, licebunt etiam homini, constituto quidem in statu civili, jam autem relicto suæ naturali libertati. Hoc eruitur ex principiis doctissimorum juris naturalis Interpretum. PUFENDORF (g) de eo, qui inimi-

(a) Theol. Bell. l. 1. diff. 19. n. 14. (b) Disp. 10. sect. 8. n. 171. (c) Tract. 3. disp. 17. n. 6. (d) De Duell. q. 3. (e) L. 2. c. 5. §. 12. J. N. (f) Cris. Theol. Dissert. 16. c. 2. art. 5. n. 53. (g) J. N. l. 2. c. 5. §. 7.

inimicum gravem sibi injuriam moliri advertit, ait, nequaquam ei licere machinationem occupare: sed ad communem imperantem rem esse deferendam, atque ab hoc exigendam cautionem. Tum addit: *hanc ubi Judex mihi denegaverit, tunc eo modo salutem mihi meam licebit expedire, acsi in libertate naturali forem constitutus.* Atqui etiam in nostro casu Judex mihi denegat cautionem, ac præsidium: ergo &c.

Grotianam doctrinam, quam adoptat etiam P. Schmier, optimè exponit Wolfius (a) verbis sequentibus. " In civitate judicia successere „ in locum belli privati: & jus belli, natura homini competens, quoad „ exercitium sublatum, aut, si mavis, non tam jus belli, quàm exerci- „ tium ejus sublatum est. Quòdsi, qui in civitatem coëunt, aut postea „ eidem se associant, jus belli abdicarent, eodem quoque uti in nullo „ casu possent; usus enim ejus, quod non habes, nullus est. Enimvero, „ cùm saltem in hoc consensisse, aut consentire intelligantur, quòd in „ tuendo, & persequendo jure suo Judicis ope uti velint, exercitium „ quoque Juris belli proprium sibi reservârunt eo in casu, quo Judicis „ copia haberi nequit. Bellum itaque privatum in casu isto injustum non „ est; cùm gerentes utantur jure suo. Tum gradum promovet. Judi- „ cium *cessat*, ait ex Grotio, *momentaneè*, quando Judex exspectari non „ potest sine certo periculo, aut damno, ùt dum nos prædo invadit. „ *Continuè* autem *cessat*; si Judex non adsit, qui controversiam decidere „ possit, vel velit. Et quidem *jure*, si versemur in loco, ab imperio „ Civili vacuo, e. g. in insula vacua. Vel *facto*, si Judex *cognitionem* „ *causæ apertè rejecerit, nec ab eo detur provocatio ad superiorem.* Quam- „ obrem cùm bellum privatum licitum sit, quando judicia *cessant*, in his „ quoque exemplis licitum erit. Solicitè dein monet. Quando huc re- „ fertur, *si Judex cognitionem causæ apertè rejicit*, justitiæ *denegationem* „ non esse confundendam cum *protractione* ejusdem. „ Ecce ad cessationem judicii, & licentiam belli privati refertur etiam casus, quo Judex cognitionem causæ *apertè rejicit.* Et quid egêre aliud Judices, ac Magistratus illi, de quibus suprà factum non unum enarravimus *n.* 281.? Nónne *apertè* *reje-*

(a) P. S. J. N. §. 561. 562. 563.

*rejecerunt cognitionem causæ*, & *denegârunt justitiam?* Quid aliud sonant illa verba, quæ actori rescribunt: *Tu tibi consule, nos cogere non possumus commilitones, ut tecum militent* &c.

289. Patet ex adducta ratione, cur antè totam quæstionem in statu naturali ventilaverimus, quàm ad statum civitatis veniremus. Apparet etiam, operam bene locare eos Authores, qui omnem de jure & moribus doctrinam ad leges naturæ primò examinant. Audivi olim virum doctum multo cum desiderio optantem, ut quis Theologiæ moralis doctrinam, ad prima sua fundamenta reductam, orbi exhiberet. Deprehendi ego postea, ea inveniri ùt plurimùm in doctrina juris naturæ, separatim stabilita.

## §. III.

### Respondetur ad argumenta contraria.

290. Oppon. *Sequetur perturbatio.*
291. *Negligentia Magistratûs non potest dare jus ad duellum:*
292. *Secùs damnari non poterunt duella Veterum.*
293. *Doctrina hac affinis est propositioni damnatæ:*
294. *Et evertit finem Legis Ecclesiasticæ.*

290. Opponitur I. Gravissimæ perturbationis periculum, timendum civitati, si ob negligentiam judicis, malè fungentis officio, privata sibi quisque authoritate jus dicere ausit. Pronum utique est conjectare, plurimos fore, qui, quamprimum judicem in quacunque causa minùs sibi faventem crediderint, aut partes suas remissiùs tueri, mox, conquerentes de denegata sibi justitia, vi aperta, vel artibus occultis sua sibi audebunt jura asserere, ac propulsare damna. Credent se repositos esse in statum naturalem, in quo suum cuique tribunal domî suæ est. Chaos inde timendum, cui præpediendo utique bonus civis jus suum privatum amore boni publici immolare in casu particulari deberet. Adhæc (quod bene notandum) non exspectabunt viri militares, donec apertè eis denegetur justitia: viso semel, iterúmque exemplo, vel cognito *stylo* curiæ bellicæ, quamprimum contumelia insonuerit, ad duellum proruent, reputantes secum, quòd à Magistratu deserti, repositi jam sint in statum naturalem. En fontem uberrimum pugnarum, & cædium. ℞. Tunc equidem timendum foret civitati grave

 peri-

periculum, si ob *qualemcunque negligentiam* judicis jus sibimet privata authoritate dicere licitum foret: non item si pro eo casu solùm liceat, in quo *apertè denegatur justitia* à Principe, vel supremo ejus consilio, à quo ad altius non datur appellare. Hæc autem querela *apertè denegatæ justitiæ* non adeò facilè locum habet (a). In casu autem, à nobis proposito, denegatio justitiæ manifesta est; quid enim aliud volunt rescripta illa frigida verba: *Tu videris. Nos cogere non possumus tuos commilitones, ut tecum militent.* Quid hoc aliud, quàm *apertè denegare* justitiam, & actorem sibimet relinquere? quòdsi jam, qui ita durè rejiciuntur, perturbant Rempublicam, sibimet jus dicendo, penes Rectores potiùs culpa est, quàm penes ipsos. Hoc qualecunque Reipublicæ malum præpedire privatus quisque ex virtute potest, si velit: at unde probatur, quòd obligetur cum jactura necessariæ sustentationis? Cur non etiam exigitur, ut prædonem, vi auferentem bona, non recuperanda per viam juris, nemo armis invadat, perturbationis evitandæ gratia? Tunc nempe obligatur bonus civis commodum proprium immolare bono publico, & malum ferre, ne civitas ferat, ubi hæc malum à se avertere nulla alia ratione potest. At posset in hoc casu; quid enim faciunt Reipublicæ Capita? num dormiunt? evigilent, præeant bono exemplo, curent ipsi salutem Reipublicæ; cur innocens civis tantam jacturam ferat ab iniquo furcifero ob negligentiam Judicis? Id, quod de viris militaribus dicitur, non ampliùs exspectaturis, donec negetur justitia, peculiari ex ratione repugnat conscientiæ. Afferetur ea ratio *Cap. seq.*, ex qua patebit, pulsandas antea esse fores justitiæ, nec licere, non salutato Judice, avolare ad pugnas.

291. Opponitur II. Negligentia Magistratuum non dat mihi jus occidendi, vel vulnerandi civem; eccur enim civi liceat agere malum; quia Magistratus omittit bonum? ℞. In casu nostro Hector non acquirit jus ex negligentia Magistratûs: jus defendendi sua aliunde habet; neque de eo unquam abdicavit aliud quàm exercitium. *vid. n.* 288. Negligentia ergo Magistratûs occasio est, cur privatus homo jus hoc suum in his angustiis exerceat. Non ideo pugnabit ergo Hector, quia Judex officio suo non fungitur; sed quia non vult per injuriam exui bonis necessariis. Unde

(a) Vid. *Mavium* P. 2. Decis. 154.

Unde nego, ſaltem in ſenſu adverſarii, quòd faciat malum; *quia* alter omittit bonum: ſed *dum* alter omittit bonum, facit Hector, quod non injuſtum eſt. Idem haud dubiè reſpondebit præclarus ille adverſarius, de quo ſuprà in caſu, quo Hectori licentiam pugnandi concedit, ſi à Leandro *ea intentione* fuerit provocatus, ut recuſanti damnum afferret. *vid. n.* 263.

292. Opponitur III. Ex his principiis etiam excuſari poſſent duella veteris ævi, ad decidendas lites ſuſcepta, dum Judex alio remedio ſuccurrere vel non voluit, vel non potuit: atqui hoc diceret nimium; ſunt enim vetita illa duella, utpote ſummè noxia, & ſanæ rationi contraria. ℞. Meritò ea duella damnari; quia Judices alio remedio exitum liti debebant dare, quàm hoc inepto, iniquo, ſuperſtitioſo. Nihilominus ſi quis rudi illo ævo id, quod *certè* ſuum erat, aliter non valuiſſet conſequi: aut vitam contra accuſatoris calumniam defendere, niſi acceptando coram Judice, vel etiam offerendo duellum, credo, ſine labe conſcientiæ id facturum fuiſſe, (*vid. n.* 62.) niſi fortè ſingulare quid obſtet, quod in caſu hodierno non occurrit.

293. Opponitur IV. Si quis cum altero judicio contendit, & ex ſola injuſtitia Judicis, cauſa cadit, utique non poterit armis aggredi adverſarium? Item damnata eſt doctrina, aſſerens: *licitum eſſe Judicem occidere, à quo iniqua certò imminet ſententia, teſtes &c. ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare* (a). Ergo neque licebit adverſarium armis aggredi, ubi Judex ad cauſam delatam ſilet, connivet, & diſſimulanter agit. ℞. primò, ſequeretur ex hac argumentatione, quòd duellum neque tunc eſſet licitum, quando *ea intentione* Leander provocavit Hectorem, ut recuſanti damnum afferret: quod tamen licere, Judice cauſam rejiciente, concedit adverſarius noſter non ignobilis. (*vid. n.* 263.) ℞. ſecundò, quærendo, ſi, dum prædo domum meam expilare aggreditur, ego ad Magiſtratum curro auxilii cauſa: hic verò *apertè deneget* juſtitiam, & frigidis illis verbis: *Tu videris* &c. me rejiciat, an non licebit properare domum, & vim armatam prædoni objicere? Cur ergo idem non liceat Hectori contra Leandrum, qui, quomodo à prædone differat, & in quo cum eo con-



(a) Ab *Alexandro VII.* An. 1665. n. 18.

conveniat, dictum abundè est *à n.* 259. Propositionem illam damnatam quod attinet, disparem rationem inter eam, & nostram præsentem doctrinam intercedere ex ipso Viva (a) colligimus. Ait, eam propositionem ideo damnatam fuisse; " quia non debuit natura propter bonum „ alicujus privati in aliquo raro casu permittere defensionem tam immode- „ ratam, occisionem scilicet Judicis, testium &c., quæ certo certiùs in- „ numeris cædibus ansam daret; quilibet ex passione facilè sibi persuaderet, „ Judicem esse infensum. „ Certè nihil frequentiùs, quàm audire partes litigantes conqueri de iniquitate judicum, unde tam crebrò quosdam eorum *perhorrescunt*. Jam dicuntur partium studio occupati: jam corrupti muneribus: jam non satis docti. Nulla ferme fertur sententia, ubi pars, quæ causa cadit, non lamentetur de violata justitia, & facta sibi injuria. Econtra nil simile timendum, ubi licentia duello defendendi res suas ex honore dependentes, pro eo solùm casu conceditur, ubi *apertè denegatur* justitia; nam aperta denegatio res est longè manifestior, ac palpabilior, nec tot deceptionibus, ab amore proprio confingendis, subjecta; quàm injustitia in causam auditam, & ventilatam irrepens; præcipuè si frænum addatur, de quo *n. sequente*. Nempe verissimum est illud Lessii (b): *In jure defensionis semper considerandum esse, ne ejus usus in perniciem Reipublicæ vergat*: atqui usus defensionis, hìc à nobis approbatus, non cedit in perniciem Reipublicæ, saltem ex culpa utentis ea defensione, ùt primùm antè explicavimus n. 290.

Aliam responsionem addo, non admodum à priore abludentem: petitam ex solidissimis juris naturalis principiis, unde differentia inter casum *denegatæ apertè justitiæ* in materia de duello, & inter casum *judicis malè judicantis* satis apertè colligitur. Judicia in civitate successerunt bello privato. Cessare igitur debet bellum privatum, quando judex interponit suum officium. Si sententia fit injusta, perpendendum, etiam eventum belli esse dubium, nec victoriam ei certam esse, qui justam habet causam. Qui igitur in civitatem coëunt, censentur consentire, quòd velint se submittere sententiæ etiam injustæ, ne ex ipso belli privati remedio occasionem

sumant

(a) Trutin. in hanc proposit. (b) L. 2. cap. 9. dub. 12. n. 82.

ſumant ſuſcitandi bellum privatum, cujus ſublatio eſt maximè neceſſaria, & utiliſſima Reipublicæ. Cùm igitur pro conditione humanæ naturæ evitari non poſſint omnes ſententiæ injuſtæ, cedere debet privatum incommodum bono publico; præcipuè cùm plurima remedia ſtatuta ſint ad reformandas ſententias injuſtas, provocando, ſupplicando &c.

Ex iisdem principiis datur ratio propoſitionis damnatæ *de Judice, teſtibus* &c.; cùm enim ii, qui coëunt in civitatem, conſentiant in judicem ad evitandum bellum privatum, & quidem in judicem *hominem*, à quo non poſſumus ſperare ſententias ſemper juri conformes, vel ſaltem quæ à partibus conformes credantur. Hinc contra omnem æquitatem naturalem, & bonum civitatis foret, ſi quis vellet ſibi arrogare jus occidendi judicem, à quo iniquam ſententiam timet &c. Sic everterentur omnia fundamenta civitatis pacificæ. Alia ratio eſt in caſu *apertè denegatæ* juſtitiæ; nam cùm jus belli privati, naturaliter competens, homo quilibet ſibi ſervet, ſolúmque ejus exercitium relinquat judici in civitate, hoc exercitium cuilibet competet, quando judex jus non dicit, ſeu quando judicis copia haberi nequit. Legere hoc uberiùs datur *in ratione ſecunda*, qua ſententiam noſtram ſtabilivimus *n.* 288.

Inſtabis. Si civis cenſendus eſt ſe abdicâſſe exercitio juris pro caſu injuſtæ ſententiæ, cur non etiam cenſeatur ſe abdicâſſe pro caſu apertè denegatæ juſtitiæ? ℞. Pro caſu injuſtæ ſententiæ debuit ſe abdicâſſe; ſecùs ex ipſo remedio belli privati, id eſt, ex judiciis, quorum pleraque parti victæ videntur injuſta, orirentur nova bella privata. Talis neceſſitas ad abdicandum exercitium etiam pro caſu apertè denegatæ juſtitiæ afferri nequit. Dein quòd pro hoc caſu exercitium juris ſervaverit ſibi civis, ex eo patet; quòd occidere ei raptorem utique fas eſſet, domi ſuæ colligentem prædas, ſi ipſe accurrens ad judicem, auditus non fuerit, & apertè ei negata juſtitia. *Vide etiam n.* 288.

294. Opponitur V. Hac ſtante licentia non obtinetur finis *adæquatus* Tridentini, & Pontificum, qui eſt, non tantùm impedire cædes, ſed etiam *uſum* duellorum abolere. Atqui uſus duellorum ſic non aboleretur: ergo &c. ℞. Pontifices *feriendo pugiles* illa voluiſſe abolere duella, quæ in ſtatu civitatis bene ordinatæ committuntur: ea, quæ committuntur in ſtatu civitatis malè ordinatæ ad evitandum graviſſimum damnum,

voluerunt abolere, pœnas severas dictando negligentibus Magistratibus, de quibus agemus *Cap. IX.* Hi ergo fungantur suo officio, & obtinebitur finis *adæquatus*.

## ARTICULUS II.
### *Sententia nostra tuta est in praxi.*

DEfendimus hactenus, licentiam duelli, pro statu naturali assertam *Capite præcedente*, applicari etiam posse statui civitatis malè ordinatæ. Attulimus argumenta nostra, & ad contraria respondimus. Sed necdum satis. Non una est sententia, quæ ratiocinatione quidem propugnari queat: quin tamen agere secundùm eam liceat: sive quin *in praxi tuta* sit. Hoc ut etiam pro nostra sententia evincam, ostendere oportet. I. Quòd sit *satìs probabilis*. II. Quòd sit non tantùm *speculativè* probabilis: sed etiam *practicè*. III. Quòd possit etiam eligi, *relicta tutiore*. Quibus positis tuta utique in praxi erit. *Tribus* paragraphis rem absolvam. Tum *quartum* addam, quo non inutiliter examinabo, an Hector noster sententiam hanc etiam *obligetur* sequi amore conjugis, & liberorum. Cæterùm lingua Scholasticorum jam erit loquendum.

### §. I.
### An nostra sententia sit satìs probabilis?

295. *Præmissis notandis.*
296. *Ostenditur probabilitas intrinseca.*
297. *Et extrinseca.*

295. OPinio *probabilis* juxta doctrinam, communi Doctorum consensu firmatam, est conclusio incerta, nixa motivo, *absolutè*, & *respectivè* gravi. *Motivum* autem *grave*, id est, non levis ponderis dicitur, quod de se aptum sit, virum prudentem permovere ad assensum. Si motivum non tantùm in se spectatum sit tale: sed etiam comparatum cum motivis opinionis contrariæ, tunc dicitur grave tam *absolutè*, quàm *respectivè*. Probabilitas alia est ab *intrinseco*, cujus nempe motivum stat in ratione gravi, quæ ex ipsa re petitur. Alia ab *extrinseco*, cujus motivum est authoritas gravis eorum, qui ita sentiunt, ac docent. Hæc autem *authoritas* con-

consistit in peritia, probitate, sapientia, & veracitate &c. Hactenus LA CROIX ex mente plurimorum Authorum (a).

296. Jam verò nostram sententiam à ratione intrinseca esse verè probabilem, consideranti, ùt spero, facilè patebit. Pro statu naturali nihil admodum est, quod assensum retardet. Translata autem quæstio ad statum Civilem nil acquirit, quod novam difficultatem facessat: ùt iterum colligere datur ex gemino nostro argumento, & responsis datis ad difficultates objectas.

297. Neque ratione extrinseca destituitur nostra sententia; ex iis certè, qui quæstionem hanc, debitis adjunctis vestitam, examinârunt accuratè, & ex instituto, pauci nobis contradicunt: &, si SCHWARZIUM excipias, vix unus clarè satis. Quin verbis fortè solis se contradicere fatebuntur, si quatuor illas conditiones velint legere, positas *Cap. IV. Art. I. ad init.* quibus hypothesin nostram vestivimus. Econtra nostram sententiam tuentur reliqui omnes, quotquot ex instituto hunc casum ventilârunt, cum aliis non immeritò annumerandis. Scio equidem, non semper majore Authorum numero confici majorem probabilitatem extrinsecam, nisi sint omni exceptione majores: an verò tales sint, non attinet hìc examinare; cùm ex judicio meo eorum authoritati non multum possit accedere. Interea plus ego rationibus intrinsecis confido, &, donec erroris convincar, teneo, sententiam nostram non *tenuiter:* sed *verè*, & *certè* probabilem esse, & non tantùm *æquè probabilem*, ac sit adversa: sed etiam *probabiliorem*. *Certitudinem* tamen *moralem* ei tribuere nolim; nam, quamvis nihil sit, quod scrupulum mihi moveat: ignoro tamen, quid aliis videatur perspicacioribus me. Argui interim mea de duello doctrina non poterit, quasi ex laxioribus de Probabilismo principiis fluxerit ea, quam assero, licentia.

§. II.

(a) Lib. 1. n. 108.

## §. II.

### An nostra sententia non tantùm speculativè, sed etiam practicè sit satis probabilis?

298. *Hic quærendi modus visus quibusdam absurdus,*
299. *Rite explicatur ex* Cardena,
300. *Et nostra applicatur sententia.*

298. ABsurda hæc quibusdam quæstio videtur. Explodit inter alios BOECLERUS (a) hanc Scholasticorum distinctionem de licentia *speculativa*, & *practica*, velut minùs eruditam, incommodam, atque inutilem. Vehementiùs in eam detonat personatus PASCHALIS, seu Jansenisticus MONTALTUS in famosis *Litteris Provincialibus*, quem pro merito depexum dedit CLEANDER, & EUDOXUS (b). Idem, meliore tamen animo, sensit CARAMUEL (c), secutus JOANNEM SANCTIUM (d): non tam fortem se habere intellectum, ait, ut intelligere valeat, quomodo propositio speculativè possit esse probabilior, & in praxi minùs probabilis; cùm probabilitas, quæ est in praxi, ea ipsa numero probabilitas sit, quæ est in speculatione.

299. At CARDENAS egregiè ostendit (e), non raro dari opinionem speculativè probabilem, quæ sit practicè improbabilis; quia scilicet ea opinio speculativè probabilis non potest deduci ad praxin sine nova circumstantia, quæ vitiet actionem: quin tamen ea circumstantia consideretur in speculatione; eo quòd ad integritatem actionis non pertineat. Pro exemplo ponit actionem licitam, quando hæc tamen pro hîc & nunc sine scandalo exerceri non potest, quin tamen scandalum in speculatione considerandum se offerat: vel quæ exerceri ab hoc homine hîc & nunc nequit sine periculo labendi in peccatum mortale. Itaque, ait, licèt omni probabilitati practicæ debeat correspondere speculatio, quæ speculatur omnes circumstantias ejus praxis: non tamen omni probabilitati speculativæ debet correspondere similis probabilitas practica; quia potest dari speculatio,

(a) In notis ad *Grot.* de J. B. P. l. 2. c. 1. §. 10. (b) Dialog. de dist. probab. in specul. & pract. (c) In Apolog. de probabilit. (d) In select. disp. 44. n. 63. (e) Tract. 1. Crit. Theol. disp. 14.

tio, quæ præscindat circumstantiam repertam in praxi: & quæ circumstantia non ipsam rem afficiat, sed solum exercitium rei. Huic explicationi favere dicit communiter Doctores: &, qui videntur dissentire, aliud longè diversum à contradictorio hujus explicationis intendere. Hactenus de sensu hujus quæstionis.

300. Jam verò sunt nonnulli, quibus sententia nostra, hactenus propugnata, speculativè in dicto sensu videatur probabilis: non autem practicè. Hos inter eminet SCHWARZIUS (a). Ferme sicut LESSIUS (b), & alii speculativè, non tamen practicè licitum existimant armis persequi eum, qui post datam alapam aufugit, vel calumnia me denigrat. Ratio clarissimi viri est; quia talis licentia in praxi (id quod speculatio non perpendit) enervat finem legis humanæ, qui consistit in proscriptione duelli simpliciter sub quocunque prætextu, & circumstantiis alicujus casus per accidens, quas cùm legislatores non ignoraverint, utique permoveri debuissent ad faciendas exceptiones: cùm tamen has non fecerint, signum est, quòd simpliciter voluerint duellum proscribere. Idque ex hac potissimùm causa; quia ex tali licentia, nimiùm periculosa, utpote excessibus nimis obnoxia, societati humanæ immineret grave incommodum. Hoc incommodum publicum constituit etiam finem inadæquatum legis naturalis, quæ duellum prohibendo tam bono privatorum; ac simul bono communi publico prospectum voluit. Speculatio autem nostra tantùm considerat damnum, quod privatus ex declinatione duelli incurreret: non autem damnum, quod societati humanæ in praxi accederet. ℞. Negari à nobis tutò, quòd legislator vel *lex humana* unquam voluerit proscribere duellum, etiam pro casu, quando ipse legislator, & humana potestas publica læsum destituit (*vid. n.* 290). Non autem mirum est, quòd hunc casum legislatores non expressè excipiant; quia utique turpe esset, si, dum leges condunt, simul dubitarent, an non ipsimet fortè in casu quodam negaturi essent præsidium suum læso. Quod spectat illum finem inadæquatum *legis naturalis*, scilicet bonum commune societatis, abunde responsum est suprà *n.* 264.

Illa quoque circumstantia, in praxi occurrens, hoc loco afferri posset, rancor scilicet, vindictæ æstus, ac odium, quo pugnantes calere solent,



(a) Loc. cit. (b) De Just. & Jur. l. 2. c. 9. dub. 12.

quæcunque demum pugnandi causa fuerit. Sed etiam hanc in speculatione jam expensam invenies suprà *n.* 272.

Cùm itaque in praxi hoc duellum nil involvat novi, quod non in speculatione fuerit expensum à nobis diligenti studio, conficitur, sententiam nostram non tantùm *speculativè*: sed etiam *practicè* esse probabilem.

## §. III.

## An non contraria sententia debeat eligi; cùm sit magis tuta?

301. *Ad hanc quæstionem nos cogit* Cardenas.
302. *Declaratur, quomodo plerumque sequi liceat sententiam æquè probabilem, relicta tutiore.*
303. *Quæritur, an etiam in nostro casu.*
304. *Auditur* Cardenas.
305. *Eidem respondetur.*
306. *Satisfit denique dubio, orto ex doctrina de censuris.*

301. OCcasionem, imò & necessitatem discutiendi hoc dubium fecit mihi CARDENAS (a), qui, dum bellum movet iis, qui pro vindicanda *calumnia* duellum licitum esse statuunt, in prima acie ponit argumenta, quibus, si robur quoddam inest, neque pro vindicanda *sustentatione* necessaria, cum honore connexa, duellum licebit subire. Antè notanda quædam veniunt.

302. Primò passim hodie inter Authores convenit, contra CARAMUELEM, JOAN. SANCTIUM &c. inter sententias verè, theologicè probabiles esse aliquas magìs, alias minùs *tutas* (b). Illa opinio dicitur *tutior*, quam sequendo à transgressione legis, & periculo peccandi sum remotior, ac sequendo oppositam. *Minùs tuta* est, quam sequendo minùs sum remotus. Pro exemplo serviat sententia, docens, non obligari quemquam statim agere pœnitentiam de peccato fortè commisso, sententia hæc & à ratione, & ab authoritate probabilis verè est, & probabilior, quàm opposita, minùs tamen tuta, quia, qui statim agit pœnitentiam, remotior est à transgressione legis, imperantis peccatori pœnitentiam agere.

Secun-

(a) Crisi. Theol. dissert. 21. n. 10. (b) Vid. *Moya* de Opin. prob. q. 6. §. 7.

Secundò, satis hodie receptum est inter Authores Theologos (saltem de rigore nimio non suspectos) quòd liceat *plerumque* sequi sententiam probabiliorem: quin & æqualiter probabilem, quamvis sit minùs tuta. Quæ sententia ita stabilita est argumentis, & judicio innumerorum ex omni ordine, & ætate Doctorum, ut nesciam, an pio zelo agantur, qui contrà multa deblaterant, nil nisi antiquam crambem recoquentes. Quid? quòd & *minùs*, verè tamen, & *theologicè probabilem* eligi præ tutiore, ac probabiliore posse, passim hodie in Scholis doceatur. Cui autem doctrinæ ut subscribam, jam animus mihi non est, neque necessarium ad institutum meum. Ego quosdam contra hanc doctrinam pugnantes, etiam ex Societate nostra, Authores præclaros veneror: alios autem insulsos cavillatores, qui non raró ignorant, quid rei *Probabilismus* sit, plenis tamen buccis contra eum vociferantur, hos ego non moror; eò præsertim ex capite, quòd duellum, hactenus à nobis intra suos limites defensum, *probabiliùs*, vel saltem *æquè probabiliter* licitum esse existimem, quàm prohibitum: (*vid. n.* 296. 297.) & illos quoque ita existimaturos confidam, qui æquo animo, quæ scripsi, non gravabuntur legere.

Tertiò, conveniunt Scholæ, quòd *plerumque* liceat sequi sententiam probabiliorem, quin & æqualiter probabilem, relicta tutiore: non verò *semper;* agnoscunt enim in quibusdam materiis obligationem sequendi absolutè partem tutiorem: in illis scilicet, in quibus, licet adsit *ignorantia invincibilis*, neque tamen pars probabilis, nec etiam probabilior juvat ad hoc, ut obtineatur finis quæsitus, ad quem procurandum datur obligatio. Sic etsi sint probabiles duæ oppositæ sententiæ circa aliquid concernens *valorem Sacramentorum*, sequenda est tutior; quia minùs tuta, licèt fortè probabilior sit, & quis bona fide secundùm illam operetur, facere non potest, ut Sacramentum sit tamen validum, si illud, quod probabiliter requiritur, omittatur. Similiter *Advocati*, & *Medici*, qui per contractum, saltem tacitum, se obligârunt ad procurandam ægro sanitatem, vel causæ victoriam, hoc ipso obligantur ad adhibenda remedia, quæ judicaverint magis apta tali fini, scilicet tutiora: licèt fortè occurrerent alia, æquè probabilia (a). Idem de Judice certum habetur, quòd non possit uni



(a) Vid. *la Croix* l. 1. n. 476.

ex duobus, æqualiter jus probabile habentibus, rem totam adjudicare præ altero: sed quòd debeat pro tali casu procurare vel transactionem, vel compositionem, vel divisionem rei; nam in hoc casu non est dubium, dari legem prohibentem ferre talem sententiam, ubi æqualis utrinque militat causæ probabilitas; hæc enim lex tam ex ratione solidissima, quàm ex unanimi Doctorum consensu manifestè patet: sed cadit dubium solummodo supra jus partium. Hinc judex dictamen ultimum, quod practicum dicimus, & *moraliter certum* (id est, nulli prudenti dubio obnoxium) sit oportet, secum facere non potest: *Lex verè dubia non obligat: sed lex, mihi nunc prohibens ferre sententiam, est dubia: ergo non obligat me: adeóque possum licitè pro causa probabili sententiam ferre contra æquè probabilem.* Hoc, inquam, dictamen sibi facere non potest; quia secunda propositio est falsa. Econtra alter, de pœnitentia cogitans statim ab admisso peccato, applicare sibi hoc principium potest, & dicere: non obligor sequi sententiam minùs probabilem, quamvis sit magìs tuta: atque de hoc sum moraliter certus; atqui sententia docens esse pœnitendum ex obligatione statim ab admisso peccato, est minùs probabilis, quamvis sit magìs tuta; ergo moraliter certus sum, me non teneri statim ad pœnitendum. Huc referri etiam potest *venator*, qui, dubitans, ferámne videat, vel hominem inter dumeta, & probabiliter, vel etiam probabiliùs judicat feram esse; non tamen propterea telum licitè evibrat, ob rationes nempe similes. Plura de his dicere relinquamus Theologis.

303. Id jam quæritur, cùm non semper liceat sequi æquè probabilem, aut etiam probabiliorem, relicta tutiore: sententia autem statuens, in nostro casu abstinendum esse duello, sit tutior: an debeat hæc eligi præ nostra, quamvis nostra sit probabilior, vel saltem æquè probabilis. Fors etiam hîc aliquid occurrit singulare, quod libertatem restringat, sicut in materia de Sacramentis, de judicio causæ, de cura ægroti, de telo venatoris restringi diximus. At non est par ratio cum materiis recensitis; nam *primò* in *sacramentis* probabilis mea opinio non supplet debitam materiam, & formam. Itaque charitas mihi, vel aliis debita, ad eligendum tutius me obligat. Econtra opinio probabilis, vel probabilior de licentia duelli, pro vindicanda sustentatione suscipiendi, obtinet finem suum, scilicet conservationem sustentationis cum immunitate à peccato, si quidem formetur

ita

ita dictamen: *Operando secundùm sententiam æquè probabilem, vel probabiliorem, quamvis minùs tutam, certè bene operor, nisi quid singulare obstet: atqui sententia asserens pro hoc casu duelli licentiam est æquè probabilis, vel probabilior adversa: neque aliquid singulare obstat: ergo certè bene operor.* Neque *secundò* huc *Medicus* facit, aut Advocatus; nam noster provocatus, aut ad provocandum ex perdurante alterius malitia adactus, nullo *pacto* obstrictus est ad patiendam potiùs jacturam bonorum, quàm ut ea armis tueatur. *Tertiò* cum *Judice* videtur comparatio meliore jure institui; qui enim, à suprema potestate destitutus, in statum naturalem reponitur, judex jam suus est: ergo eandem habet cum judice obligationem, cui pro æquè probabili non licet ferre sententiam. At memento, quòd hic destitutus sit simul pars litigans, cui jus belli pro eo rerum articulo competit; quia jus ad bona, per malitiam alienam aliàs amittenda, non solùm probabile, sed certum habet: & solùm dubitatur, an in collisione jurium, dum scilicet hinc necessaria sustentatio, illinc vita offendentis periclitatur, liceat iniquè offendentis vitam aggredi pro conservanda sustentatione. Ferme sicut (quam comparationem pro clypeo obtendemus etiam ad oppositiones sequentes) qui alapam sibi intentari advertit, vel bona à prædone eripi, gladium objicere, aut duello suum honorem, vel opes defendere licitè potest, dum collisio oritur inter jus ad vitam, & jus ad honorem, ac opes. *Quartò Venatori* licèt probabiliùs videatur, subesse feram: non minùs tamen ob hanc probabilitatem nocebit homini, si homo subsit, cui tamen ut noceat, jus nullum habet; neque enim innocens homo vitam vel bona venatoris est aggressus. Econtra in nostro casu bona mea tueor, alterius crimine in discrimen adducta. Nocebo sic quidem nocenti: non autem nocebo meæ conscientiæ; dictamine enim ultimo practico ita statuam: *sequendo sententiam probabiliorem*, vel &c. Venator autem dicere non potest: *atqui sententia probabilior, vel æquè probabilis est, quòd in eo dubio emittere telum liceat*; hoc enim minimè probabile est ex rationibus indicatis.

304. Oportet jam & CARDENÆ argumenta audire, quæ talia sunt, ut, si probent, non licere duellum pro abolenda calumnia, eodem pondere evincant, non licere pro defendendis bonis. De calumnia etiam nos negavimus licentiam (*vid. à n.* 236.): sed ex aliis rationibus; hinc rationes CARDENÆ jam vocandæ ad trutinam sunt, & minus ponderis inesse

ostendendum. *Primò* sic ait: non licet hominem occidere propter solam opinionem probabilem: sed probabile solùm est, quòd occidi possit, qui calumniam inferre pergit (dic.: qui causat alteri unà cum ablato honore jacturam bonorum) ergo ejusmodi hominem occidere non licet: &, quod consequitur, duello appetere. Primam propositionem ex terminorum intelligentia evidentem esse credit: quid enim? si non mihi licet spoliare hominem bonis fortunæ propter rationes probabiles de proprietate mihi competente, quamdiu homo habet legitimam possessionem talium bonorum, utique à fortiori non erit licitum privare hominem vita, quam à DEO datam possidet, propter solas rationes probabiles. *Secundò* eandem propositionem roborat exemplo malefactorum, quos Magistratui nefas esset ad mortem condemnare cum semiplena probatione juris, vel facti; semiplena autem probatio, ait, quid aliud est, quàm probabilitas? ergo multo minùs privata authoritate licebit occidere hominem propter solas rationes probabiles. *Tertiò* demum per se clarum est, quòd jus certum non amittatur propter jus probabile contrarium: certum autem est jus ejus, quem aggredior armis, ad vitam suam: meum autem jus aggrediendi est solùm probabile; ergo &c.

305. Hæc argumenta opposita ut diluamus, probè notari velim, quid in nostro casu dicatur probabile. Non damnum, in bonis injustè secuturum, est tantùm probabile: neque malitia alterius, nolentis per recantationem, similémve modum aptum, damnum impedire, solùm probabilis est; hoc utrumque certum esse statuit casus recensitus. *Vid. Cap. IV. Art. I. princ.* Id ergo solùm probabile est, quòd in hac certitudine duello petere liceat alterum, habentem aliàs jus certum ad vitam suam, probabilitate cadente suprà licentiam duelli, non supra alia. Hinc distinguo effatum, quod ex terminorum intelligentia est evidens CARDENÆ: non licet occidere hominem, si probabilitas cadat supra alia, quæ licentiæ fundamentum facere deberent: facere autem non possunt, utpote dubia, & incerta, hoc concedimus. Non licet occidere universè, dum probabilitas cadit in ipsam licentiam, fundatam in factis certis, hoc negatur. Sic CARDENAS admittit (a), paratam alapam gladio posse intercipi, quæ tamen sententia moralem

(a) Loc. cit. n. 69.

ralem certitudinem non habet: ſed intra fines probabilitatis conſiſtit. His iisdem argumentis ſi hanc ejus ſententiam impugnarem, non video, quid alius eſſet reſponſurus, quàm quod ego reſpondeo. In *primo* argumento fingitur, quòd quis velit eripere bona cum jure ſolùm probabili ad ea bona; econtra noſter Hector habet jus certum ad ſuſtentationem neceſſariam. In *ſecundo* probabilitas cadit ſupra probationes de crimine admiſſo: econtra in noſtro caſu malitia rapientis bona, cum honore connexa, eſt manifeſta. In *tertio* notandum, quòd non tantùm jus ejus, quem aggredior, ad vitam ſuam certum ſit; ſed etiam jus meum ad mea bona eſt certum. Datur ergo colliſio jurium certorum. Quæritur ergo, an non liceat pugnare contra eum, qui jus meum certum rapere pergit, dum meliore modo & mea mihi bona, & ſuam ſibi vitam ſervare poſſet, ac deberet, ſi ſcilicet provocatione abſtineret, vel mitiore interpretatione, aut etiam petita venia ignominiam abſtergere non renueret. Dicò: æquè probabile, vel etiam probabilius eſt, quòd liceat, quàm quòd non liceat: quo probato ſententiam noſtram amplecti poteſt tanquam *tutam in praxi.*

306. Pro coronide annecto argumentum, petitum ex doctrina de Cenſuris Eccleſiaſticis, quo everti videtur licentia ſequendi probabilitatem noſtræ ſententiæ. *vid.* LA CROIX (a) qui ſic habet: quamvis tibi etiam probabilius ſit, aliquid eſſe licitum: & ſuperior, etiam ſub opinione tantùm probabili, ſub cenſura tibi injungat oppoſitum: ſi contravenias, non excuſaris à peccato, & cenſura: atqui Pontifex ſub cenſura injunxit omittere duellum, ſcilicet ſub excommunicatione (*vid. Cap. VIII.*): ergo debes abſtinere, quamvis probabilis tantùm eſſet opinio de prohibitione duelli pro poſitis ſuprà circumſtantiis. ℞. Quòd hæc doctrina locum habeat tunc, quando *certò* conſtat de lata in quoddam factum cenſura: æquitas autem, cui innititur cenſura lata, tantùm eſt probabilis. Apud nos autem neutiquam *certò* conſtat de cenſura lata in tale duellum; quia gravis cenſura ferri non poteſt, niſi in grave peccatum: & quidquid excuſat à peccato gravi, etiam excuſat à cenſura: atqui probabiliùs excuſatur Hector noſter à culpa gravi: ergo *probabiliùs* etiam à cenſura: imò ergo *certè.* Dein Pontifex non damnavit, & cenſuris affecit, niſi illa duella, quæ antea

(a) L. 7. n. 94.

tea jam fuerant mala. (*vid. n.* 287.) atqui noſtrum tale non erat, ergo &c. Diſſimulare hoc loco non poſſum doctrinam recentioris cujusdam Theologi, cæteroquin non mollis, ſcilicet PII THOMÆ MILANTE Ord. Prædicat., qui in Exercitationibus Dogmatico-Moralibus in propoſitiones ab ALEXANDRO VII. proſcriptas, docet, Officialem bellicum, qui metu cadente in virum conſtantem perdendi honorem, famam, authoritatem in ſubditos, ipsúmque ſuum officium, duellum acceptat, non incurrere pœnas Eccleſiaſticas, eo quòd Eccleſia non velit obligare ſub conditionibus adeò duris (a). Sed de hoc ſatis. Cùm itaque ſententia noſtra in praxi tuta ſit, quæres,

## §. IV.

### An aliquando detur obligatio ſequendi noſtram ſententiam amore conjugis, & liberorum?

307. *Declaratur obligatio Patris ad alendam familiam.*
308. *Quæ videtur etiam obſtringere ad duellum in caſu noſtro.*
309. *Sed ſtatuitur contrarium.*

307. IN caſu, quem ex P. SEYBOLD *n.* 281. enarravimus, vidimus, Ducem eum militarem, recuſato duello, ita redactum fuiſſe ad incitas, tenuémque adeò fortunam, ut vix haberet, quod unà cum amantiſſima conjuge, & liberis roderet. Triſtis hercle ſors! quam pro ſe ſolo utique eligere potuit; *nemo enim ſibimet facit injuriam:* at dum eadem involvi etiam vidit eos, quos natura non amare ſolùm, ſed & honeſtè alere jubet, conſcientiæ ſors poterat ſibi ducere, ſi recuſaret duellum. " Juxta Theologos peccant parentes, ſi non adhibeant diligentiam, ut acquirant bona, quibus filii alantur, habeántque hæreditatem ſecundùm ſtatum ſuum. Vel ſi dilapidando impotentes ſe reddant ad liberos honeſtè ſecundùm ſtatum ſuum educandos, ac dotandos. " Sic BONAC. AZOR. FILLIUC. apud LA CROIX (b). Accedunt juris naturalis Interpretes. GROTIO teſte, diſputant Juris-Conſulti, an alimenta à parentibus liberis debeantur: & quidam ſentiunt, eſſe quidem naturali rationi conſentaneum, ut à parentibus alan-

(a) Vid. Memoires de Trevoux Fevr. 1741. art. 11. (b) L. 3. p. 1. n. 695.

alantur liberi: debitum tamen non esse. Nos distinguendum arbitramur, ait GROTIUS (a), in voce *debiti*, quod strictè interdum sumitur pro ea obligatione, quam inducit jus *expletorium* (justitiam *commutativam* dicunt Scholastici) interdum laxiùs, quod non nisi inhonestè omitti non potest, honestate ex alio fonte profecta. GRONOVIUS in notis censet, potiùs distinguendum esse inter tempus, quo liberi non possunt sibimet alimenta quærere: & tempus, quo id possunt. Priori tempore omnino, & ex jure stricto parentes liberos alere tenentur. Unde JUSTINIANUS statuit: *Filium, vel filiam alere patri necesse est propter ipsam naturam* (b). PUFENDORFIO quoque persuasum est (c), parentibus perfectam obligationem incumbere alendi liberos, quamdiu ipsi se alere nequeunt; generando enim videntur se obstrinxisse, quòd, quantum in se est, operam dare velint, ut vita, quam dederunt, conservetur. At ego non video, cui se potuerint obstringere. An suis liberis nondum existentibus? quidquid sit; obligatio parentum est rigorosa, nisi fors desint vires, & occasio. Ubi dein sufficiet adesse voluntatem perpetuam, atque constantem eos bonis augendi, teste WOLFIO (d). Hæc autem obligatio respicit statum, ac conditionem parentum, in qua nati, & aliquamdiu educati fuêre liberi.

308. Quòdsi ergo centurio, antehac honestæ fortunæ, ad stivam, & mucidum panem suam secum familiam reducere cogitet, quæritur, an non satiùs faceret, si suscipiendo duellum, sibi, suisque priorem fortunam stabiliret: imò, an non per conscientiam obstringatur id facere? videtur ita obstringi ex eo, quòd cives minantem urbi, aut patriæ hostem armis, & vitæ periculo teneantur repellere. Quid autem est urbs & patria, nisi chara cujusque familia, cum fortunis pro sua cuilibet conditione necessariis? hanc charitatem debent singuli communitati: ergo etiam quisque suæ familiæ (quia in communitate suam quoque familiam habet) eandem debet, non tantùm tempore belli publici: sed etiam dum ad necessitatem belli privati redactum se videt, & una salus in armis est. Item dum tyrannus urbi certum exitium minitatur, nisi civem innocentem ejus potestati

Ff tradat,

(a) De Jur. B. ac P. lib. 2. c. 7. n. 4. (b) L. ult. §. Ipsum. C. De bon. quæ lib. (c) L. 4. c. 11. §. 4. (d) J. N. p. 7. §. 729.

tradat, deſeri hic non tantùm poteſt à civitate: ſed, ſi Soto fides (a), tenetur hic civis, prævisâ licèt certa morte, ſe hoſti tradere, ſi quidem traditio neceſſaria ſit ad avertendam patriæ ruinam. Addit Grotius, talem teneri ex charitate, ſive ex officio & amore, quem patriæ debet; „ Sunt enim (ſonant ejus verba) quædam, non juſtitiæ propriè dictæ, „ ſed dilectionis officia, quæ non tantùm cum laude præſtantur, ſed etiam „ omitti ſine culpa nequeunt. „

309. Nec tamen hæ, ſimiléſve rationes ſufficiunt ad imponendam noſtro Centurioni tam gravem obligationem. Reſpublica ad capeſſenda arma, & repellendam vim hoſtilem utique obligare civem poteſt, utpote *ſubditum* ſibi, qui etiam, cùm ad civitatem accederet, ex hac percepturus ſua commoda, quorum non infimum defenſio, viciſſim ſe quoque aliis *obſtrinxit* ad præſtandam defenſionem. Non ita *ſubditus*, aut *obſtrictus* eſt paterfamilias conjugi, vel liberis. Conjux ſub poteſtate viri eſt, & hujus eſt dominari illi, ſive dein ex jure naturæ, ſive ex libero Dei præcepto hic dominatus originem trahat, de quo vid. Schmier (b). Major adhuc eſt ſubjectio liberorum, quam aliqui extra ſtatum civitatis usque ad vitam liberorum extendunt. An bene? non vacat examinare. Obligatio quidem, incumbens parentibus ad alendos liberos, certa eſt: ſed non tam gravis, ut etiam vitæ periculo ſe exponere jubeat patrem. Pro patria ſervanda, tyranno quòd tradi, vel potiùs relinqui poſſit civis, mirum non eſt; membrum enim à civitate ſeparatur, ne corpus totum intereat. At paterfamilias non qualecunque domi ſuæ membrum eſt: ſimul eſt caput, quod ſi in duello cadat, membra quoque eadem clade involvuntur; ubi enim patre orbati conjux, & liberi alimenta acquirent? Civis illius traditio *certam* fingitur ſalutem afferre patriæ: duellum patris familiæ non niſi *dubiam*. Præoptabunt itaque egeſtatem cum patre pati bene morata uxor, & chara pignora, quàm eum mortis periculo exponere; & certè, niſi hoc præoptent, minùs amant patrem, indigni eo ipſo, quibus pater ſuccurrat tanto ſuo impendio.

CA-

(a) De Juſt. & Jur. L. V. q. 1. art. 7. (b) Jur. Univ. l. 1. c. 2. n. 30.

# CAPUT VI.

## ENUCLEANTUR TRES CONDITIONES, SUB QUIBUS DUELLUM ALIQUANDO LICITUM DIXIMUS.

ÆGrè à memetipso impetrare potui, ut præsens Operis mei Caput publici juris facerem; doctrinas enim continet, utiles quidem eis scitu: at quas in caligine oportebat quærere per calles minimè tritos, duce ferme nemine, solo jure naturali lucernam præferente, spargentem tamen adeò tenue quandoque lumen, ut pronum esset, in hanc vel illam partem impingere. Satiùs tamen duxi, viam superare per quascunque difficultates, quàm ab incepto desistere, opúsque mancum luci dare. Sententias itaque hoc capite exponam complures, quas si minùs feliciter produxero: campum tamen amplum cogitandi præbebunt illis, qui post me de Duello scripturi sunt. Casus, seu facta passim adjungam, non quasi theoreticam doctrinam per casus traditurus: sed theoriæ facilitatem quamdam, & amœnitatem veluti per exempla allaturus.

Duellum dum licitum aliquando esse diximus *præcedente Capite*, non nisi sub tribus id conditionibus ausi sumus affirmare. Primò quidem, si Hectori nostro *iniquè* fuerit ablatus honor, & *iniquè* retineatur; cùm tamen restitui deberet: secùs *provocare* nefas ei fore dictum est. Ut autem ipse licitè ad duellum *compareat*, *iniqua* pariter debebit esse provocatio, ita ut ille innocenter, quin ullam offensam *iniquam* intulerit, in necessitate comparendi reponatur. Secundò, *damnum* oriturum in declinato duello debet esse admodum grave. Tertiò, à Magistratu, vel Principe *apertè denegari justitia*. Ex tribus his conditionibus multa scaturiunt dubia, tribus Articulis evolvenda, quorum primo ventilabitur *iniqua læsio*, altero *damnum grave*, tertiò *denegata justitia*. Equidem si negâssem priore Capite, fas esse sub his conditionibus duellum suscipere, labore enucleandi

has conditiones meritò supersederem: at quod ibi veritatis studio dixi, evolvere jam stat, ut saltem de conatu meo nihil desiderari patiar.

## ARTICULUS I.

### *Enucleatur prima conditio, id est,* Læsio iniqua.

VAria distinctis paragraphis quæremus. Et primò quidem, an sufficiat ad licitam *provocationem* læsio mihi illata sine malevolo animo, seu injuria, ùt dicunt, *materialis.* Secundò an sufficiat læsio mihi illata consilio non satis deliberato, seu cum *advertentia semiplena.* Tertiò an sufficiat læsio mihi illata per exprobrationem criminis veri. Quartò an sufficiat læsio mihi illata, quam ego per illatam antè alteri læsionem mihi accivi. Quintò quæritur, an prohibitum sit *comparere* ad duellum, dum quis provocatur ab eo, quem iniquè læsit, Sextò etiam ubi læsit animo tantùm semideliberato, vel exprobrando crimen verum. Septimò an aliquando provocatus comparere possit ex charitate erga provocantem. Denique octavò an duellum suscipi possit ab eo quoque, qui non læsus fuit: vel contra eum, qui non læsit, scilicet à vicario, vel contra vicarium.

### §. I.

### An ad licitam provocationem sufficiat læsio illata sine malevolo animo, seu injuria *materialis*?

310. *Proponitur casus.*
311. *Statuitur sententia negans.*
312. *Occurritur argumento contrario.*

310. PErcipere casum juvat, ut quæstioni accedat claritas. Tribunus legionis equestris nepotem quemdam suum, tyronem inexpertum, centuriæ præfecit, posthabitis veteranis & exercitatis; unde ad gravem indignationem, & invidiam concitati plerique, occasioni imminebant perdendi juvenem. Dúmque hic fortè incautior joco perstringit veteranum quemdam Centurionem, nescius adhuc, quanti talis sarcasmus inter milites valeret, ecce illico flammam fomes præparatus concipit, conclamant omnes, duello castigandam esse petulantiam juvenilem, frustrà excusationem obtendente

bono

bono juvene. Tribunus, utut nepotem expedire turbis optabat: perstrepentium tamen numero, ut suæ existimationi consuleret, cedendum judicavit, & miserum suis fatis relinquere. Læsus veteranus Centurio lubens veniam dedisset imprudenti dicto, nisi, prævalente militari licentia, eò se redactum vidisset, ut vel pugnare, vel legione excedere summo cum suo damno necesse haberet; quippe, nisi temerarium dictum vindicaret, gravioribus & seriis conviciis eum perstricturi erant malevoli, quibus notatus juxta receptam pseudo-legem ineptus reddebatur, qui ultrà militaret. Cogitabat quidem veteranus, vir probus, ad speciem tantùm manus conserere, vel levi perstrictum vulnere juvenem dimittere: at patrini negabant satisfieri, nisi seriò dimicaretur.

311. Negandum autem, veterano id licuisse salva conscientia; nam innocentis vitam petere absque concessa potestate ab iis, quorum est concedere, malum semper est. Noster autem tyro miles innocens erat; jecerat quippe dictum ignominiosum, quin ignominiam adverteret. Pòst etiam declaravit, qua mente id dixerit. Quòdsi ergo veteranus in sua legione tolerandus non sit sine duello, non id malitiæ juvenis, sed reliquorum Ducum malevolentiæ tribuendum erit. Hos ergo ad supremum tribunal deferat; ubi si non auditus prævalere videat commotam turbam: neque pugnare cum omnibus & singulis vacet, legione decedat necesse est, & jacturam dignitatis, atque bonorum iniquitati temporum adscribere.

312. Oppones fortassis. Æquum est, ut ille potiùs ferat damnum, qui injuria saltem *materiali* alterum affecit, quamvis mala mente id factum non fuerit: quàm ille, qui est omnino innocens. Etsi etiam ex toto foret innocens, quid tum? nunquid si, persequente hoste, non possis mortem effugere, nisi per angustam viam, in qua ægrotus vel infans jacens esset obterendus, fas est nihilominus fugere cum hujus periculo & interitu, præter tuam voluntatem secuturo, quamvis innocens periret (a): ergo etiam dum effugere non potest veteranus jacturam bonorum, necessariorum ad vitam sustentandam, nisi armis petat juvenem, licet eum petere, fortè occubiturum: at invito veterano. ℞. Cùm veterano vera causa da-

 mni

(a) Ita *Tilline. Less.* &c. apud *la Croix* l. 3. p. 1. n. 822.

mni ſint infeſti Duces, nolentes acquieſcere, faciat is, ſi poteſt, ut hi potiùs damnum ferant, quàm ipſe. Si hoc non poſſit, innocentem juvenem non aggrediatur, qui eluere læſionem etiam *materialem* pro viribus laboravit. Fugiens ille huc non quadrat; jacentem enim in via *præter ſuam intentionem* proteret; quia nec *pro fine* propoſitam ſibi habet necem, neque pro adminiculo ſeu *medio* ad ſervandam vitam. Adeoque in hoc rerum articulo ſine conſcientiæ noxa fugam proſequetur. At pugna illa periculoſa *medium* eſt veterano, & quidem unicum ad vitandam jacturam bonorum: ergo mors, vel grave vulnus innocentis non veniret *præter intentionem.*

## §. II.

### An ad licitam provocationem ſufficiat læſio illata non ſatis conſideratè, ſeu cum *advertentia* ſemiplena?

313. *Læſio triplex conſideranda venit.*
314. *I. de* conviciis *caſus ſtatuitur.*
315. *Deciditur, quòd ſemideliberatè lædens non poſſit licitè provocari.*
316. *Quòd neque teneatur ad reſarciendum damnum totum.*
317. *Dubitatur, an ad partem?*
318. *Et quid ſi hanc partem renueret ſolvere?*
319. *II. De* calumniis *caſus fingitur.*
320. *Ad recantationem nimis damnificam lædens adigi non poteſt:*
321. *Niſi in judicio.*
322. *Extra hoc neque cogi poteſt ad duellum, neque ad reſarciendum damnum totum:*
323. 324. 325. 326. *Quidquid opponatur in contrarium.*
327. *III. De* verberibus *idem dicendum, quod de calumniis.*

313. RESpondere ad hanc quæſtionem neceſſarium duco; eo quòd ignominiæ, duellorum cauſæ, ſæpius ex præcipiti motu animi, quàm plena cum conſideratione inferantur. Videtur autem non eſſe par ratio in quibuslibet ignominiis: unde primò de *Conviciis:* tum de *Calumniis:* demum de *Verberibus* oportebit ſententiam dicere.

314. I. De *conviciis* caſum non fictum, ſed factum accipe. Venatum exiverant viri militares, dignitate conſpicui, bella moturi feris; jámque Themiſtocles emiſſos ſuos per nemus canes lepori inſtare ex latratu notabat, & tam dextrè urgere, ut propediem prædam ſibi affuturam ad ictum crederet. Cùm ecce! alius canis, venandi parum gnarus, intervenit, qui dum ſine lege oberrans turbat reliquos, lepus feliciter

eva-

evadit paratam jamjam perniciem. Venator miles in iras actus, *cujus trifurciferi*, ait, *hic canis est?* prolapsum temere vocabulum exceptum fuit à duobus, non procul stantibus, qui domum à sylvis reduces illud imprimis agebant, ut Sophoclem de jacto in eum convicio monerent; pertinere quippe ad dominum, dictum de cane. Idem monent Themistoclem, vix recordantem ampliùs dicti, per iram effusi. Nec mora, totam legionem perstrepit rumor de immani hac offensa, quam non nisi sanguine expiari posse censebat militaris ferocia. Quid multis? Themistocles fassus quidem est præcipitis iræ qualemcunque culpam: satisfactionem tamen armatam dare Sophocli non abnuit: modò petat. Quòdsi hanc petere Sophocles horreat, exclusus à legione sua, & non recipiendus ab alia, ad maximam penuriam erit redigendus. Itaque dimicatur: & quidem animos accendentibus aliis, qui ex alterutra nece commodum sibi sperabant, satis cruentè.

315. *Quæres*, an dum Sophocles pro qualicunque illa injuria sibi satisfieri petiit, provocavitque Themistoclem, id per conscientiam ei licuerit? ad quam quæstionem notare te velim, ex hactenus dictis colligi, quòd Sophocles, si *gravi* injuria, & *considerate* fuisset læsus à Themistocle, & per hunc, nullo modo volentem satisfacere, redigendus esset ad incitas, quin ullus succurrere vellet Magistratus; quòd inquam, tunc Sophocli fas esset provocare ad pugnam, utpote ad viam unicam, qua naufragium evaderet. Colligitur etiam, quòd si *nulla* esset affectus injuria, vel *materiali* tantùm, quòd fas tunc non esset. At cùm convicium hoc de se quidem grave, propter inconsultum tamen æstum tenui tantùm cum attentione jactum, in foro Theologico culpam levem non excedat, fas non est Sophocli Themistoclem evocare; evocari enim ad vitam periculo exponendam grave malum est, majus longè, quàm levis culpa mereatur. Accedit, quòd Themistocles non injustè detineat ablatum honorem Sophoclis; quem enim abstulisse in foro militum creditur, restituit, quantum ipse quidem potuit, fatendo, id sibi dictum à præcipiti ira fuisse excussum: de cætero optimè se, & perquam honorificè sentire de Sophocle. Damnum ergo, cum convicio conjunctum, jam non ipse iniquè infert: sed malesanum aliorum judicium. Ut quid ergo ad damnum hoc evitandum Themistocles periculum vulneris, aut necis subeat?

316. Op-

316. Oppones: Æquum eſt, ut hoc in ſe periculum ſuſcipiat quomodocunque nocens, ne pars innocens læſa certam ſubeat jacturam ſuſtentationis congruæ: vel debebit Themiſtocles Sophocli damnum totum reſarcire, ſi quidem hic duello abſtinere debeat; nam ùt demonſtrat WOLFIUS (a), ſi damnum ejus, cujus culpa accidit, colliditur cum damno alterius, qui omni culpa vacat, damnum ferre debet is, cujus culpa eſt. ℞. Æquum quidem eſſe, ut ſaltem *partem* damni leviter nocens Themiſtocles innocenti reſarciat: non autem æquum eſſe, ut *vitam* exponat ad impediendum *totum* damnum: neque ut, poſtquam damnum fuerit ſecutum, *totum* reſarciat ex bonis ſuis. Quòdſi enim leges, quas natura poſuit, rite perpendamus, deprehendimus

*Primò.* Quòd ſpectato jure naturali non ſit obligatio reſtituendi pro damno, ſine ulla culpa Theologica illato. Ratio eſt; quia in foro conſcientiæ non poteſt obligatio compenſandi naſci ex injuria, niſi in foro conſcientiæ commiſſa ſit injuria: atqui ubi nulla adfuit culpa Theologica, nulla facta eſt in conſcientia injuria: ergo &c.

*Secundò*, ſi damnum grave cauſatum ſit per culpam Theologicam levem, *venialem* quam dicunt, ex defectu deliberationis, & attentionis plenæ ad jus alienum, non datur obligatio gravis ad illud reparandum totum ante ſententiam Judicis, & extra peculiarem *contractum*, ſeu pactum. Ratio eſt; quia ubi non eſt perfecta injuria, non debuit naſci perfecta, & gravis obligatio reſtituendi totum; cùm hæc obligatio non naſcatur ex re ipſa, ſeu damno gravi, ſed ex injuria, eáque levi. Item homines nunquam in talem gravem obligationem, ſibi ob culpam ſubreptitiam imponendam, conſenſiſſent, ſi ante omnem caſum interrogati fuiſſent: ergo de jure naturæ non datur hæc obligatio, juxta regulam ſatis receptam. *vid. n.* 176. Contradicunt equidem huic doctrinæ Authores reliqui, non ignobiles: at plures ſtant pro illa (b). Id

317. *Tertiò*, magis dubium eſt, an, cùm non detur obligatio ad compenſandum *totum*, ſaltem non detur ad *partem*. Item, quomodo definiri debeat pars illa. Item, an hæc obligatio ad partem ſit gravis, vel levis,

(a) J. N. p. 2. §. 629. (b) Vid. *la Croix* l. 3. p. 2. n. 185.

levis, id eſt, ſub peccato, quod *mortale* dicimus: vel ſub *veniali* tantùm præcepta. ℞. *Ad primum*, videri æquitati conformius, ut ſaltem ad partem damni Themiſtocles teneatur compenſandam Sophocli, abſtinenti, ùt debet, à duello. Ratio eſt; quia omnis injuria inducit inæqualitatem: ergo cùm juſtitia tendat ad æqualitatem, hoc eſt, ut unusquisque habeat, quæ ſua ſunt, & nemo ſine ſuis rebus maneat, ùt loquitur Lugo (a), exiſtit obligatio reparandi: non quidem tantum, quantum detractum fuit per culpam levem; ſed quantum imponi ſibi levis culpa meretur. Neque obſtat, quòd ex pacto, voto, vel juramento, factis cum imperfecta attentione, nulla prorſus obligatio oriatur quidquam præſtandi; nam per pacta, vota, & juramenta homo ſua ſe libertate abdicat, id quod ſanè perfectam attentionem requirit, ut inde oriri valeat obligatio: econtra ad peccandum, &, quod ſequitur, etiam ad inferendam injuriam ſufficit attentio imperfecta, trahens poſt ſe obligationem reparandi jus læſum (b).

*Ad ſecundum* docet Bonacina (c), poſſe aliquando tam levem eſſe culpam *venialem*, ut vix obliget ad centeſimam partem damni: econtra poſſe aliquando eſſe tam gravem, adhuc tamen *venialem*, ut obligèt ad partem decimam. In noſtro ergo caſu, cùm ex ira ſubita convicium Themiſtocli exciderit, de quo ipſus dolet, ipſúmque convicium non tam in Sophoclem, quàm ejus canem fuerit directum, *videtur*, quòd plus dare pro compenſando damno non teneatur, quàm circiter trigeſimam partem annui proventûs, e. g. triginta tres aureos, ſi Sophocles in proventibus annuis numeravit aureos mille. Cùm tamen triginta tres aurei ad ſuſtentationem, etiam tenuem, vix Sophocli ſint ſuffecturi, fortè (ſaltem ex charitate) plus aliquantum obligabitur dare Themiſtocles.

*Ad tertium*, án ad hanc ſummam in ſingulos annos pendendam, obligetur Themiſtocles ſub peccato gravi, vel levi tantùm? exiſtimat la Croix (d), ſub levi tantùm obligari, licèt triginta tres aurei ſint materia gravis, qua admodum indiget Sophocles, ſpoliatus officio. Ratio ejus eſt; quia hæc obligatio non oritur ex materia ipſa, ſeu magnitudine damni:

Gg ſed

(a) Diſp. 1. ſect. 3. n. 52. (b) Vid. *la Croix* l. 3. p. 2. n. 192. (c) De reſtit. d. 1. q. 1. p. 3. n. 9. (d) L. 3. p. 2. n. 191.

ſed ex injuria *formali*, ſeu prout eſt in conſcientia, quæ tantùm levis eſt. At malim dicere cum Bonacina (a), & Platelio, quòd obligátio pendendi tríginta tres aureos ſit gravis. Verum equidem eſt, quòd, dum quæritur, an *totum* damnum, vel *pars* tantùm compenſanda ſit, quòd, inquam, *tunc* non tam ad materiam, quàm ad culpam attendatur; ſecùs materia culpam excederet: at dum jam non niſi pars, *ad parvitatem culpæ jam redacta*, ſolvenda reſtat, obligationem ex alio metiri non poterimus, quàm ex ipſa materia; quæ, cùm gravis ſit, gravis etiam obligatio erit ad ſolvendam hanc partem. Et en!

318. Quæſtio ex quæſtione oritur. Quid ſi (ùt facilè contingere poſſet) hanc partem quotannis pendere recuſaret Themiſtocles, tenax auri, vel malens ferro ſatisfacere: quòd ſi neque judex eſſet, qui hanc cauſam, jam ſemel à ſe rejectam, vellet judicare, quid, rogo, tunc auxilii ſupereſſet miſero Sophocli? ℞. Si Sophocles jus *certum* haberet ad illam partem damni exigendam, *tacitæ compenſationi* locus eſſet; ſic enim omnes adeſſent conditiones, quas requirunt Theologi ad licentiam utendi ea compenſatione. Et ſi hæc via non pateret Sophocli, fors etiam armis adigere poſſet Themiſtoclem, ut triginta tres aureos penderet, omnino neceſſarios accifæ ſuæ fortunæ. At cùm jus ad eam partem tantùm ſit *probabile* (neque enim certitudinem auſim affingere huic doctrinæ, pro qua non militat ratio *convincens:* neque conſenſus Authorum tantus eſt, ut non præclari quidam diſſentiant) compenſatio occulta locum non habebit; cùm ad hanc neceſſe ſit, ut conſtet tibi *certitudine morali*, rem eſſe tuam, vel tibi deberi. Quòdſi autem compenſatio tacita locum non habet; multo minùs vi armata, & privato bello licebit extorquere contra poſſidentem, quod debetur tantùm probabiliter, vel etiam probabiliùs; æquè enim difficiles debemus eſſe in concedendo bello privato, quàm compenſatione occulta ob rationes ferme ſimiles.

319. II. De *Calumniis* ita habe: Finita expeditione bellica cùm Menander, ad altiorem gradum aſpirans, præhaberi ſibi Colinum cerneret, invidia, & indignatione commotus, non ſatìs conſideratè conqueri audi-

(a) Loc. cit.

auditus est, quòd homo sibi fuisset prælatus, *qui ignavè egisset in prælio ultimo.* Divulgato dicto silere non potuit Colinus, nisi turpi notatus probro ejici ex legione vellet; Judicem ergo adiit: at æmulorum invidia ita implicata, & dubia specie, causa confusa fuit, ut non nisi duello terminari jam posset. Quò ergo se vertat, suæ sibi virtutis conscius? Equidem Menander tandem facti pœnitens, Colino se excusaverat: renuebat tamen palinodiam canere publicè; eò quòd hoc honori suo, & fortunis summè noxium nôsset fore; ad calumniatorem quippe divertere solet malefausta sors, quæ antè passo calumniam erat exitium allatura. Et reservetur licèt honor recantanti quocunque jure communi, vel provinciali: militari certè more pessumdatur honor, quamprimum quis fatetur falsò se malum dixisse de commilitone, etsi addat non satis consideratè id factum. At sic Colinus, quamvis crederet inconsiderantiam, tamen in salvo non erat. Quid ergo hìc ferunt regulæ conscientiæ?

320. Videtur, Colinum non posse exigere à Menandro revocationem tam arduam, allaturam stragem famæ, & fortunarum. Docet enim Lugo (a), eum qui *venialem solùm negligentiam, & inadvertentiam* habuit in sua detractione, non teneri cum gravi detrimento, & incommodo reparare damnum illatum; quia ex injuria veniali, & levi, undecunque levitas illa proveniat, non potest oriri obligatio gravis, & difficilis restituendi; adducit etiam sententiam Molinæ. Quòdsi ergo Menander non obligatur recantare tanto cum suo damno, Colinus jus non habet eum adigendi ad recantationem: aut, hac non obtenta, ad duellum.

321. Qua in re satis certum mihi est, *si judicis copia esset Colino*, rectè hunc facturum, si peteret illius authoritate palinodiam præcipi Menandro. Verum equidem est, ex doctrina Lugonis, & Molinæ ritè deduci, Menandrum non teneri, ut ipse sponte sua recantet tanto cum suo damno: &, cùm obligatio, & jus sint reciproca, utique etiam læsus Colinus non habebit jus lædentem Menandrum obligandi, ut is sponte sua recantet: nihilominus manet læso jus recurrendi ad judicem, utpote ad quem recurrere licet etiam tunc, ubi ex culpa tantùm *juridica* damnum est datum (b),



(a) Disp. 15. n. 7. (b) ff. Si quadrup. pauper. fec. dic. item Ad Leg. Aquil.

vel illata injuria. Judici dein relinquitur, quam pœnam ſtatuendam judicet in calumniam, animo non ſatìs deliberato impactam. Si hic recantationem imperet, habebit læſus, quod meritò exſpectabat. Quòdſi poſtea ea recantatio ſtragem honoris, & bonorum poſt ſe trahat, nihil hæc appendix ad læſum pertinebit.

322. At, cùm in noſtro caſu *copia judicis non ſit*, diſputari poteſt, an in conſcientia obligetur Menander recantare ſponte ſua, ita exigente Colino: vel, ſi recantare renuat, an à Colino poſſit ad duellum adigi, ſi quidem hoc proficuum Colinus videat firmandæ ſuæ fortunæ, & honori: non aliter, ac ſi calumniam conſideratè cum peccato gravi effudiſſet.

Quod obligationem recantandi attinet, vis dubii in eo ſtat; quòd vel infamatus Colinus ſine obtenta recantatione debeat excidere honore, & fortunis, vel Menander, ſi recantet: culpa autem Menandri non fuerit ſatìs deliberata. Si quidem tamen inhærere placeat fundamento Theologico, jam poſito *Paragrapho præcedente*, & iterum *n.* 320., quòd ſcilicet culpæ levi tam gravis obligatio reſpondere nequeat, dici debebit, quòd, ubi judicis copia non eſt, recantare non obligetur Menander: &, quoniam ubi obligatio non datur *paſſiva* ad aliquid faciendum, jus *activum* ad hoc exigendum dari non poteſt, etiam Colinus eum huc adigere non poſſit vi armata. Quæres, an totum ergo damnum unà cum infamia ferendum infelici Colino ſit? ℞. Ut paulò antè *n.* 317. videri æquitati conformius, ut ſaltem ad partem damni Menander teneatur, compenſandam Colino, abſtinenti à duello, quam tamen partem majorem velim, quam illam Themiſtoclis §. *præcedente* definiveram; quia *calumnia* eſt injuria acrior, & evitatu facilior, quàm *convicium*, quale Themiſtocli exciderat. Contra

323. Oppones I. Menandrum *ad nihil* teneri; eo quòd, dum Colino ſe excuſavit de jacta præpropere calumnia, ex nocente factus ſit innocens, neque jam dici ampliùs poſſit *iniquus aggreſſor* honoris, ac fortunarum Colini. Ferme ſicut docet Lugo (a), Petrum à me licitè defendi armis contra Paulum, etſi Petrus prior Paulo vim intulerit: modò jam Petrus à vi

(a) Diſp. 10. n. 202.

à vi iniqua cesset, & pacem petat; quia, licèt à principio fuerit nocens: modò factus est innocens. ℞. In materia de detractione honoris non statim pro innocente habendum, qui soli læso fatetur culpam, vel de culpa dolet, paratus desistere ab ulteriore calumnia: sed necesse est honorem ablatum reddere apud eos, apud quos detraxit. Sicut qui habuit hucusque sine gravi culpa domi suæ alienum bovem, quamprimum agnoscit esse alienum, tenetur non detinere, sed facere, ut redeat ad dominum, saltem si sine gravissimo suo incommodo possit; secùs peccabit detinendo (a). Reddere ergo honorem cùm sine suo gravissimo incommodo non possit Menander, sub gravi culpa non obligabitur reddere: manebit tamen obligatus ad compensandam partem damni ex culpa præcedente levi.

324. Oppones II. Menandrum teneri ad *recantationem*, quantumvis damnificam: vel ad resarciendum *totum* damnum, ídque eo potissimùm ex argumento, quòd fas Colino esset recantationem illam petere à judice imponendam Menandro, si quidem judicis copia foret. Cùm ergo judicis copia non sit, vel apertè ab hoc denegetur justitia, judex sibi suus in causa propria Colinus erit (*vid. n.* 177.), ita ut, quidquid aliàs judici in reum licet, etiam Menandro liceat, id est, recantationem imperare: vel, si negetur, vi armata extorquere: vel petere denique totius damni compensationem. ℞. Inter judicem publicum, & privatum id præter alia discrimen intercedere, quòd sententia judicis publici novam sæpe in reo obligationem pariat, qua hic ante sententiam non stringebatur. Sic in hac ipsa materia de damno gravi, per peccatum leve illato, communiter docetur, post sententiam judicis obligationem gravem nasci præstandi totum id, quod judicatum fuerit. Debetur hæc reverentia sententiæ publici judicis ob bonum publicum, & necessarium Reipublicæ ordinem. At judex privatus aliam ei, à quo læsus est, obligationem nequit imponere, nisi quam ex ipsa læsionis natura contraxit. Cùm ergo hæc in Menandro talis non sit, ut ad recantationem usque adeò damnificam, vel resarciendum damnum totum adstringat, ùt hactenus dictum: etiam Colinus ei hanc imponere non poterit: neque armata vi extorquere.

 325. Op-

(a) Vid. *Lug.* disp. 15. n. 3.

325. Oppones III. Colinus non tenetur credere, Menandro calumniam inconsideratè excidisse: ergo idem erit, acsi gravi cum noxa offensam fuisset passus. ℞. Tenetur id credere tunc saltem, si fide nobili, aut jurejurando id affirmet: nisi fortè hæc assertio falsitatis convincatur argumentis claris. Id extra dubium est, faciliùs effutiri qualecunque convicium animo non satìs deliberato, quàm calumniam; præsertim si hæc plurium auribus, & diversis temporibus ingeratur.

326. Oppones IV. Quòd Menander non teneatur totum resarcire damnum, recusata recantatione, est sententia neutiquam moraliter certa; sed probabilior tantùm, vel æquè probabilis, ac adversa; docent enim ANG. PANORM. COVARR. VASQ. TURR. MEDIN. PALLAVIC. &c. totum damnum esse restituendum (a). Ergo Colinus uti poterit sententia probabili, pro se militante, atque Menandrum, recantare tergiversantem, adigere pugnando, ut se indemnem servet, sicut in casu nostro principali (b) diximus, Hectorem licitè suscipere duellum, eo quòd probabilis sit ea licentia (c). ℞. Probabile esse, quòd Menander teneatur resarcire damnum totum: probabile esse, quòd tantùm partem damni: item probabile esse, quòd neque partem, ùt patet ex dictis; hac enim in re cùm non satìs clarè luceat jus naturæ, in varias partes, cum fundamento ubique non levi, abivere authores. Quo stante, ut totum damnum sibi compensetur, exigere nequit Colinus: sed compositionem amicam cum Menandro debebit inire; cùm enim ipse, denegata sibi justitia, munus judicis occupet, judex autem stante utrinque vera probabilitate, & in æquilibrio fluctuante bilance, non possit causam totam adjudicare uni parti: sed vel rem dividere, vel ad amicam compositionem deducere partes litigantes debeat, ùt docet communis, idem faciendum erit Colino. Aliter se res habet in casu nostro principali, ubi non erat tantùm *probabile*, quòd Leander Hectori *iniqua* læsione noceat; sed hoc erat *certum:* certúmque, quòd ei obligetur *totum* damnum vel avertere, vel resarcire. Probabile solùm erat (sive non omnino moraliter certum) quòd, stante hac læsione certè iniqua, & adjectis reliquis duabus conditionibus, offerre, vel acceptare duellum possit (d).

327. III.

(a) Vid. *la Croix* l. 3. p. 2. n. 185. (b) Vid. Caput IV. art. 3. (c) A n. 295. (d) Vid. à n. 304.

327. III. De *verberibus* paucis ita habeto. Sicut, qui atra calumnia fuit denigratus, purgari non poteſt, niſi recantet calumniator: vel in ſtatu prorſus heteroclito Reipublicæ, niſi duello ſe vindicet: ſic qui percuſſus eſt fuſte, vel colapho, honorem recuperare nequit, niſi, qui feriit, ſupplex petat veniam, & porrecta arundine ad verbera ſe offerat pro verberati arbitrio, ſimilíve humili ratione: vel in communitate pariter heteroclita niſi ſanguine probrum eluat. Sicut autem recantans perniciem ſibi accerſit: ſic etiam ſubmittens ſe verberati arbitrio exceſſe caſtris, aut nobilium cœtu, cum magno ſæpe fortunarum damno, debebit. Sicut ergo reus de calumnia inconſideratè prolata, ad tam arduam ſatisfactionem obligari vix poteſt: ſic videtur etiam reus de verberibus datis ad eam obligari vix poſſe, & uterque ob culpam levem à ſatisfactione difficillima excuſari. Itaque quidquid membro præcedente *hujus* §. per omnes numeros dictum eſt de calumniis, applicandum etiam veniet quæſtioni de verberibus.

## §. III.

### An ad provocationem ſufficiat læſio, mihi illata per exprobrationem criminis veri?

328. *Caſus ſtatuitur.*
329. *In hoc poterat evitari duellum, ſi fuiſſet imploratus judex.*
330. *At cùm imploratus non fuerit, provocatio reprobatur.*
331. *Si autem Judex imploratus negaſſet juſtitiam,*
332. *Provocationis licentia dependeret ab illata injuria: & hæc à notorietate criminis noti, vel* notorietate facti, *vel* Juris.
333. *Quarum neutra cùm adfuerit, non iniquè videtur fuiſſe provocatus Cleantus, aliter nolens ſatisfacere.*
334. *Sed, quæres, quam potuiſſet ſatisfactionem aliam dare?*

328. CAſum accipe. Ab ipſa usque Suecia in ſuperiorem Germaniam advenerat vir militaris, & nobilis, ſuam addicturus operam Principum cuidam. Admiſſus legionis jam Tribunum agebat ultra annum; cùm ecce! alius non nemo (Cleantum dicimus) neſcio, cur infeſtus, de illo inter Duces evulgat; quòd ex Suecia ſe ſubducere habuerit neceſſe, utpote qui ibi clepaces manus militari ærario injeciſſet. Tribunus malè ſibi conſcius, volens inquiſitioni filum præſcindere ſua, vel adverſarii nece, ad duel-

duellum provocat, tanto etiam securiùs, quòd audiisset, duello licitè peti iniquum calumniatorem ad evitandam grandem infamiam, conjunctam cum gravi damno fortunarum, ubi nil præsidii in judice est. Provocato nil tergiversante pugnatum est. Cecidit provocatus, cujus ore obturato, nihil ultrà molestiæ motum Tribuno à quopiam est, saltem ad tempus.

329. Quæres: num bene hæc acta sint? ℞. inprimis duellum potuisse evitari, si ex æquo fuisset actum; nam provocatus, si se obtulisset ad demonstrandam criminis imputati veritatem, documentis ex Suecia petendis (quod tamen periculosum, & molestum nimis sibi ducebat) Tribunus arma debebat suspensa tenere juxta regulam etiam militarem. Tribunus autem, si bene sibi fuisset conscius, recusato duello, *jure retorsionis* uti poterat, & infamem calumniatoris notam impingere, nisi imputatum crimen iret demonstratum. Jam verò cùm hic non consultum duceret ad remedia juris provocare, acerbè tamen sentiret, injuriam quam sibi credebat à *propalante* illatam, & damnum imminens, sícque provocaret ad pugnam,

330. Quæstio oritur, num contra conscientiam egerit? ℞. Omnino; nam re penitiùs inspecta, quamvìs gemina conditio adesset, iniqua scilicet læsio, & grave inde fluens damnum: tertia abest, scilicet denegata apertè justitia. Non enim jam tribunal Suecicum, sed Princeps ille, cujus servitio uterque erat addictus, debebat jus dicere, qui causa ad se delata, onus probandi utique detulisset criminanti. Cùm verò Tribunus timuerit, ne plenior notitia ex ipsa usque Suecia peteretur, utique sibi obfutura potiùs, quàm profutura, haud dubiè ipsum hunc Judicem declinandum, & famam, ferro sibi asserendam, satiùs duxit, ne scilicet movendo mephitim suscitaret fœtorem, quem suppressum mallet. At num ideo tutus in conscientia fuit? neutiquam. Sibi tribuat, & malæ causæ suæ, quòd jam ipsus horrere debeat, & declinare judicium: neque propterea credat, sibi licitum esse privata authoritate lædentem aggredi; non enim reputare se potest repositum in statum naturalem, quamdiu Judex non apertè denegat justitiam (*vid. n.* 290.)

331. Quòdsi autem fingamus, Tribunum, malè quidem sibi conscium in animo, sui tamen securum fuisse de bono successu, si res ad judicium deferretur; eo quòd bene sciret, adversarium, cui onus probandi tunc incumberet, nihil argumentorum valiturum afferre ex Suecia, in qua

accu-

accusatore mortuo judex sibi favens acta, & indicia omnia studiosè suppressisset: & hac ipsa de causa, quòd securum se sciverit apud præpositos duces, vel judices alios nunc in Germania competentes, de calumnia Cleantum detulisse: sed quoniam tunc erat heteroclita justitiæ facies, & malevoli in advenam conspirarent, causam fuisse rejectam, quin discuteretur. Hæc, inquam, si fingamus, quæri potest, num Tribunus Cleantum, pro *injuria* nolentem alia ratione *satisfacere*, potuerit ad servandum honorem, in hac regione extera à nemine alio violatum, & ad servandum officium vitæ sustentandæ necessarium, ad duellum provocare? Videntur tres conditiones, ad duelli licentiam requisitæ, omnes adesse, negata scilicet justitia, grande damnum, & injuria nulla satisfactione expiata.

Huic quæstioni, ut satisfiat, inquirendum primò, qualis *injuria* illata Tribuno fuerit à Cleanto. Secundò, quam satisfactionem ei debuisset Cleantus.

332. Injuriam sibi Tribunus ideo fuisse illatam credit, eo quòd crimen suum Cleantus propalaverit in hac regione extera, ubi nemini erat notum. Circa hoc breviter referre placet Theologorum doctrinam. Potest crimen ignotum fieri notum vel *jure*, vel *facto*. *Jure*, si constet per confessionem rei in judicio publico, vel per sententiam judicis: *Facto*, si plurium hominum conspectui expositum sit, vel notitia constat ita evidenti, ut nulla tergiversatione celari possit (a). Si quidem notum sit *notorietate facti*, potest quidem absque peccato gravi, saltem detractionis, id referri ignorantibus in eodem loco, quin etiam in locis vicinis, aut per commercium ita conjunctis, ut notitia illuc satis certò perventura credatur; tunc enim fama bona jam quasi amissa his omnibus in locis censetur; ad amissam autem famam non habet jus reus: ergò neque reo à narrante fit injuria. At ejusmodi crimen in loco divulgare, quò notitia ob locorum disjunctionem, vel rarissimum incolarum commercium vix erat perventura, peccatum est detractionis, violans jus, quod alter habet ad famam suam. Itaque obligationem inducit reparandi famam, & quidquid damnorum in bonis fortunæ secuturum prævideri potuit. Ita plurimi

Hh Autho-

(a) Gloss. in c. vestra, de Cohab. Cler. & Mulier.

Authores apud FRANC. HENNO (a) contra tamen non paucos. Ratio est; amissa uno in loco fama non est amissa ubique terrarum: neque renunciat juri suo peccans pro omni loco, quamvis tacitè renunciet pro eo loco, in quo peccat publicè. Ex hoc nondum apparet, quomodo potuerit crimen Tribuni propalari sine facta ei injuria.

Jam etiam an fuerit *jure notum* audiamus. Meretur audiri MOLINA (b): " Quando locus, in quo quis degit, qui in alio publica sententia fuit punitus, adeò distat à loco, in quo ille laborat infamia, adeóque infrequens est commercium ab uno eorum locorum in alium, ut verisimile sit, eam infamiam ad eum locum non perventuram, probabile judicant NAVARRUS, & LEDESMIUS, culpam esse lethalem, cum restituendi onere, detegere ibi peccatum illius; tametsi contrarium non judicent etiam improbabile. Ac certè, quando fama delinquentis simul fuisset cum delicto condemnata, ùt condemnatur in crimine hæreseos, ac læsæ Majestatis, non auderem condemnare culpæ lethalis eum, qui crimen detegeret in tali loco remoto; quando verò non directè damnatur fama delinquentis, non caret probabilitate sententia NAVARRI, maximè, si ille alibi infamatus mores mutâsset, crevissétque in reputatione. Non tamen adeò firmus sum in ea sententia, ut auderem injungere in eo eventu onus restituendi famam, & alia damna, si quæ inde ulteriùs essent secuta; tum quia eo ipso, quòd quis est publicè damnatus, & punitus de aliquo crimine, videtur in pœnam ejus criminis concessum diffundere eam notitiam in alios absque exceptione aliqua: tum quoniam in dubio, an ex ea detectione quis teneatur ad restitutionem famæ, melior est conditio possidentis sua omnia bona, ut eam non restituere teneatur, id subeundo onus. "

333. Quod Tribunum nostrum attinet, causa ejus, in Suecia dum erat, ventilari jam cœperat: at vix ad umbilicum deducta, potenti patrocinio abrupta est, sive sopita; fors quia malus timebatur exitus: neque tamen ita fuit dealbata, ut non notaretur passim transparens nigredo; unde & ipse in exteras se terras subducere consultiùs duxit, quàm ut malè purgatus in statione persisteret. Id, cùm probè perspectum haberet Clean-

(a) Tract. in Decal. disp. 8. q. 3. art. 3. conclus. 1. (b) Tract. 4. disp. 33. n. 5.

Cleantus, ſalva quidem veritate revelare crimen potuit in ſuperiore Germania: non tamen ſalva de cætero conſcientia.

Molinam audiamus (a): " Quando crimen aliquod ſolùm eſt ita " notorium juris notorietate, quòd nondum eſt lata ſententia, qua delin- " quens de eo publicè damnetur, nefas eſt illud detegere in loco, in quo " delinquens non laborat infamia, ùt ſi quis faſſus jam eſt crimen ſuum " in judicio: vel in judicio eſt id jam crimen plenè probatum, ſed non- " dum lata eſt ſententia. Ratio eſt, quia delinquens adhuc in eo loco ha- " bet ſuam famam illæſam, necdúmque in pœnam delictum ejus factum " eſt publicum: ergo nefas eſt privatis ante ſententiam lacerare ejus fa- " mam quaſi pœnam criminis exequendo, & utendo ea facultate, quæ " virtute datur privatis per ſententiam publicam diffundendi notitiam in alios,"

Inhærendo huic doctrinæ dicendum videtur, Tribuno fuiſſe illatam gravem injuriam, & læſionem iniquam, niſi fortè ex alio bono fine crimen aperuiſſet adverſarius. Jus ergo ille ad famam, & bona ſua cùm peſſumdari cerneret, nec ſatisfacere vellet iniquus obtrectator, nec ſuccurrere judex vellet; videtur pro ſe habuiſſe omnes illas conditiones, ex quibus licitum duellum reddi hactenus diximus.

Nec dicas, *verè* tamen fuiſſe reum Tribunum, & *malitiosè* appellaſſe ad judicem, conſequenter non poſſe conqueri de *denegata juſtitia.* ℞. Ex hoc, quòd Tribunus *verè* fuerit reus, tantùm ſequitur, quòd Cleantus non fuerit mendax calumniator: non ſequitur, quòd injuriam non fecerit. Nec malitiosè appellavit ad judicem; veram enim injuriam examinandam obtulit, & rectè petiit, ut ſilentium imponeretur maledico ori, ſi in probatione deficeret.

334. De ſatisfactione adhuc quæres, qualem Cleantus dare, aut exſpectare Tribunus potuiſſet ante provocationem ad duellum? Nulla videtur ſuperfuiſſe. Mentitum ſe edicat Cleantus? at crimen, quod *novit eſſe verum*, propalavit. Dicat æquivocè, *ſe malè locutum*, *& loquendo injuriam feciſſe?* cultrum jugulo ſuo admovebit, ſi idem videatur ſenſus, ac *falſum ſe dixiſſe*; volat quippe irrevocabile verbum inter milites, & pro infamia reputatur propriis dictis fidem abrogare. Si alius ſenſus ingera-

 tur,

(a) Ibid. n. 6.

tur, Tribunus non sanabitur. Num alia laude compenset damnum, & Tribunum præstantem de cætero virum esse asserat? At inter milites non quadrat hoc emplastrum illi vulneri. Quòdsi ergo impossibile est alterius generis satisfactionem dare, & famam restituere, non censebitur Tribuno per *injustam læsionem* damnum afferri; hæc enim cessat, quamprimum lædens verè paratus est occasionem resarciendi damnum arripere, si suppetat. ℞. Si pro ratione *notorietatis* Tribuno facta est per propalationem vera injuria, reus debebit profiteri, *se male locutum*, *& loquendo fecisse injuriam*, in quocunque dein sensu alii sint accepturi. Si in sensu, qui Tribuno faveat, & Cleanto obsit, hic sibimet tribuet, & temeritati linguæ suæ, quod incurrit, malum. Quòdsi accipiatur in sensu alio, quo non purgetur Tribunus, fecisse censendus est Cleantus, quod potuit: aliud salva veritate dicere non poterat. Fatum itaque suum patienter Tribunus ferat quoad detrimentum famæ: quoad alia damna inde secutura, vid. Molina (a).

## §. IV.

### An ad provocationem licitam sufficiat læsio mihi illata, quam ego per illatam antè alteri læsionem mihi accivi?

335. *Proponitur casus*
336. *Duplici modo.*
337. *Respondetur ad primum.*
338. *Respondetur ad secundum.*

335. IN caupona ad prandium assidebant variæ conditionis, & nationis viri nobiles, ac militares. Dum variis sermonibus condiuntur epulæ, Themistocles, nobilis, & antehac militiam sectatus, nescio quid, auditus est inferre, & multis firmare suam sententiam. Contradixit ei Sophocles, disputatur, dúmque neuter palmam vult cedere, ait denique Sophocles, Themistoclem sic palàm facere, quàm *rudis* esset in re militari. Concitatus Themistocles regerit illico, *vilem homuncionem* esse, qui rudem se diceret. Flamma utrinque exardescente, in arena fuisset pugnatum: at hospites cæteri hoc sibi molestum fore ostendebant, precantes,

(a) Loc. cit. n. 1.

tes, ut abirent, & alibi ſibi forum pro hac lite quærerent. Parent ambo. Sophocles *vilis homuncionis* vituperium ut à ſe amoliretur, ad duellum provocat Themiſtoclem poſt longiorem moram interpoſitam. Conſultiùs utique egiſſet, ſi mox extra cauponæ limina ſtricto gladio ſatisfieri ſibi petiiſſet; ex prima ira poterat fors peti excuſatio: certè rixa audiiſſet talis pugna, nec duelli odioſum nomen fuiſſet ſortita, quidquid ſit de conſcientia. Jam autem

336. Statuamus primò, Sophoclem, convicio hoc dedecoratum, eò redactum fuiſſe, ut à nullo judice auditus, ac honori reſtitutus, graviſſimum fortunarum damnum debuiſſet incurrere. Sic quæramus, an, non obſtante læſione ſua præcedente, qua Themiſtoclem *rudem* in re militari dixerat, duello nihilominus *vilis homuncionis* notam, adeò damnificam, vindicare licitè potuerit.

Statuamus ſecundò, mutato caſu Sophoclem, irritatum *vilis homuncionis* appellatione, ſonantem è veſtigio alapam dediſſe Themiſtocli: unde hic, copioſo manante è naribus ſanguine, ſibimet ereptus, oblitus ſit gladio invadere è veſtigio percuſſorem. Cùm jam percuſſo via alia ad recuperandum honorem non ſuppeteret (*juxta n.* 192.), quàm arundinem versùs obvium ſibi proximè Sophoclem projicere, quæramus, an licitè id agere valuerit, quamvis certus eſſet de ſecutura mox pugna ſatìs acri.

337. Primum quod ſpectat, non miror, quòd Themiſtocles imperitiam ſibi in conſeſſu tam honorato exprobrari acerbè ſenſerit; qui enim ex nobiliſſima familia oriundus, aliquamdiu caſtra ſecutus eſt, ferre tale convicium vix volet. Equidem compoſito ad gravitatem vultu, vel capite abnuendo, modeſtiam imperare poterat Sophocli, & jubere, ut meminiſſet, cui, & quid loqueretur; fors hic in tempore adhuc leniore voce mitigâſſet jactum temere verbum: at præſentia teſtium, & exacerbatio mentis fecêre, ut acre dictum acriore rependeret, *vilémque homuncionem* vocaret. Quòdſi æqualis eſſet in utroque dicto contemptus, non haberet Sophocles, cur ſatisfieri ſibi exigeret; eo quòd nihil ei tum deberet Themiſtocles; nam paria delicta mutua compenſatione tolluntur (a). Unde Di-



(a) Ex cap. 7. de Adult. L. Si ambo. ff. L. ultim. C. de Compenſ.

CASTILLO (a) asserit: " licitam esse compensationem in debitis, sive in actio-
„ nibus quæ nascuntur ex delicto, ùt si Petrus & Paulus se mutuò convi-
„ ciis affecerunt, possent uti compensatione, ita ut Petrus non teneatur re-
„ stituere Paulo, nolente Paulo restituere Petro. Nempe sicut licita vi-
„ detur compensatio in facultatibus, ita etiam in delictis. Et quidem de
„ injuriis ejusdem generis certius est; qui enim similibus contumeliis se
„ affecerunt, illi omnium judicio pares censentur, & in praxi receptissi-
„ mum est. „ Tum citat magnum Authorum numerum: PETRO NAVAR-RA autem contrarium sentienti respondet. " Etsi damnum à te illatum,
„ non tollatur per infamiam, tibi vicissim illatam, tamen tollitur debitum
„ sive obligatio resarciendi illud damnum, si alter nolit resarcire, quod
„ à se illatum est. Quod etiam usuvenit in damnis fortunarum; si enim
„ incendisti domum Petri, & Petrus vicissim tuam, non tollitur per hoc
„ damnum, à te illatum Petro: sed tamen tollitur debitum satisfaciendi
„ Petro per compensationem. „

Ex qua doctrina patet, quod dixi: si æqualis esset in utroque dicto contemptus, non haberet Sophocles, cur satisfieri sibi exigeret. Jam si utrumque convicium in bilance appendatur profani judicii, dictum Themistoclis, appellantis Sophoclem *vilem homuncionem*, alteri, quo Sophocles Themistoclem *imperitum* pronunciaverat, præponderare æstimabitur. In quo tamen considerandum venit, quòd convicium præponderans, & acrius ex altero satis acri sponte velut sua, & ipso ex usu, fluxerit. Et quamvis, ubi de conscientia est quæstio, ad sacrum, & Theologicum tribunal spectet dicere sententiam: nihilominus quantum probrum, quantáque injuria ejusmodi dicto contineatur, ex ipso usu, & æstimatione profanorum metiendum est, sicut voces aliæ omnes valorem suum habent ex libera hominum, ac recepta institutione, ùt Dialectici dicunt. Cùm jam appellatio *vilis homuncionis* aliquantum quidem appellationi *imperiti* militis præponderet: simul tamen appellatio *imperiti* talis sit, quæ soleat sine singulari injustitia alteram post se trahere, non videtur excessus conviciandi in Themistocle esse tantus, ut propterea Sophocles in honore se admodum graviter læsum dice-

(a) De Justit. l. 2. tract. 2. disp. 9. à n. 120.

dicere, & duello ſatisfactionem quærere per conſcientiam poſſit. Compenſatur injuria per injuriam, &, ſi quid reſidui ex una parte maneat, id tantum non eſt, ut iniqua & gravis læſio, ſine qua licentia ad duellum nunquam datur, meritò æſtimanda ſit. Sophocles itaque ſuæ linguæ præcipiti damnum, quod patitur, tribuat: vel roget Themiſtoclem, quod alium quemdam rogaſſe in caſu, infra recenſendo *n.* 350. audiemus.

338. Ad ſecundum id imprimis perpendendum, quòd Themiſtocles nobiliſſimo fuerit ortus ſanguine. Læſionem quidem præmiſerat, vilis homuncionis nomine contemnens Sophoclem, quam tamen ferme adæquavit convicium præmiſſum. Si quid reſidui manſit, tantum non fuit, ut colaphum mereretur. Petere debebat Sophocles pro hoc reſiduo ſatisfieri ſibi alio quocunque modo. Certè colaphus abjectiſſimum ignominiæ genus eſt, ùt dictum alibi. Unde aulam adire Themiſtocles ſine rubore non ampliùs poterat, nec alibi comparere ſine metu, ne fortè recoqueretur dedecus cum magna ſua moleſtia. Princeps loci, utut vellet, quî læſo opitularetur, non inveniebat; eo quòd Sophocles ad legationem exteri Principis pertineret. Apud hunc ſi querelas deponeret Themiſtocles, ſperare aliud non poterat, quàm exprobrationem, ſcribendam tum Sophocli, tum & ſibi, cum mandato, ut Sophocles humanitatis quodam officio ſibi Themiſtoclem reconciliare ſatageret. Aſt hoc qualecunque humanitatis officium abſtergere notam tam turpem non valet in æſtimatione profanorum. Aliud foret, ſi juberetur Sophocles ſupplex accidere Themiſtocli, eíque arundinem porrigere, veluti paratus talionem recipere. At hoc ſperare non licebat. Rebus ſic ſtantibus, deciſio quæſtionis dependet àb eo, an ejusmodi projectio arundinis idem valeat, ac provocatio? Si non æquivalet: ſed in æſtimatione ævi hodierni idem ſit, ac purè reddere alapam, & à ſe acceptam amoliri, videtur Themiſtocles jus ſufficiens habuiſſe ad id faciendum. Quòdſi verò æquivaleat provocationi, (de quo *vid. n.* 231.) perpendendum erit, an tres conditiones, ad licitam provocationem requiſitæ adfuerint, ſcilicet *iniqua læſio*, quam non defuiſſe exiſtimo. *Damnum* æſtimari debebit ex eo, an gravis contemptus, & excluſio ex nobilium circulis æquivaleat graviſſimo damno, in rebus fortunæ ferendo, de quo à n. 368. Denique quod *judicem* ſpectat, certè exſpectandum erat, donec hic *apertè* denegaret juſtitiam juxta dicenda *Articulo III. hujus Capitis.*

§. V.

## §. V.

### An licitum sit *comparere* ad duellum, dum quis provocatur ab eo, quem antè iniquè, & consideratè læsit: vel quo alio modo satisfacere debeat?

339. *In positis casibus comparere non licet.*
340. *Si quis vel calumnia,*
341. *Vel alapa,*
342. *Vel alio convicio antè læsit provocantem.*
343. *Nec juvat aliqua probabilitas in contrarium.*
344. *Nec excusat grave damnum non comparentis. Ad quod tamen evitandum*
345. *Suggeritur ei consilium salubre,*
346. *Cujus æquitas probatur.*
347. *Nec obstat, quod sic detur bellum utrinque justum.*

339. HActenus examinare laboravimus, qualis, & quanta debeat esse in læsione iniquitas, ut, concurrentibus conditionibus reliquis, *provocare* ad duellum liceat. Jam expendendum, num provocato, qui iniqua læsione, eáque deliberato animo facta, provocationi causam dedit, liceat *comparere.* Casus ergo recolamus, alibi jam recensitos, ubi Centurionem, aliósve viros nobiles, & spectatæ dignitatis vidimus, qui, dum graviter in honore læsi, apertè justitiam negante Judice, veluti infames æqualium consortio se exclusos, & reductos propemodum ad stivam, ac mendicitatem vidêre, denique lædentem, nolentem alio modo satisfacere, provocârunt ad duellum. Jam quæstio oritur, num ejusmodi provocato *comparere* per conscientiam licuerit?

Et in hac quidem quæstione singulariter respondendum esse arbitror ad triplex genus injuriæ, quæ illata est. Vel *calumnia* appetitus est Themistocles à Sophocle? vel *fuste, aut alapa*? vel alio *ignominioso convicio*? & hoc quidem animo deliberato, & attentione plena?

340. Si *calumnia;* certum est, inconsultò & malè agi, dum remedium juris negligitur, quod etiam in statu civitatis, cæteroquin non optimè ordinatæ, plerumque locum habet; cùm enim calumnia apud judicem discuti possit, Sophocles provocanti se offerre debet vel ad probandam dicti sui veritatem, vel ad canendam, si in probando deficiat, palinodiam; nam asserti veritatem probare si valet, ùt quid suam ille, & alterius vitam anci-

cipi-

cipiti gladio exponat? si probare non valeat, recantationem ei, jam jure naturæ præceptam, etiam Judex imponet, reservato, vel non reservato honore, prout convenire judicaverit, aut mos provinciæ tulerit (*vid. n.* 99.). Parere autem juri naturæ, & sententiæ judicis debet Sophocles, ac vi ulteriore abstinere; ea etiam ex ratione; quòd duello honorem, quem debet, non possit restituere Themistocli; eo quòd duellum remedium ineptum sit ad hunc finem, ùt alibi à *n.* 113. demonstravimus. Unde conficitur, fas non esse ad duellum comparere.

341. Quòdsi *fuste*, aut *alapa* injuria sit facta, & deliberato quidem consilio, fas erit Themistocli, frustra imploranti judicem, & gravissimum damnum aliàs passuro, arundinem projicere adversùs Sophoclem. Nego autem, tunc fas esse Sophocli manus cum Themistocle conserere. Nam, si quidem ea projectio puram purgationem significet, & Themistoclem à turpi nota liberet, modò patienter eam ferat Sophocles, (de quo *vid. n.* 231.) tunc nil facit Themistocles, nisi quòd reddat dedecus, iniquè acceptum, sicque utatur jure suo. Quòdsi autem ex monomachiæ legibus ea projectio non sit mera purgatio, sed certaminis denunciatio, ùt ego quidem *loc. cit.* existimavi, tum quæri potest, an liceat Sophocli huic invitationi morem gerere? Existimo ego, quòd non liceat: sed potiùs supplex veniam debebit petere ea submissione, quæ sufficiat Themistocli indemni servando.

342. Idem judicium esto, si Sophocles *aliud convicii genus* animo satis deliberato intulerit, quo se per duellum purgare necesse habeat Themistocles. Ratio est; quia Themistocles provocando non petit rectà pugnam: sed satisfieri sibi primò petit per submissam petitionem veniæ, utpote opportunam pro avertendo fortunarum suarum excidio: hanc ergo si non præstet Sophocles, duellum ille, tanquam ultimum remedium non nisi invitus proponit. Sicut ergo peccaret Themistocles non acceptando eam petitionem veniæ: sic Sophocles peccat, eam negando, & sic cogendo Themistoclem, ut ad pugnam descendat. Confirmatur ex sequenti ratione: Themistocles, ad hanc usque extremitatem redactus, habet jus pugnandi contra Sophoclem, ùt alibi fusè ostendimus: ergo Sophocles non habet jus pugnandi contra Themistoclem; non enim datur jus contra jus, aut bellum, ùt ajunt Scholæ, utrinque *materialiter* justum. Certè

de bello publico inter Gentes id non procedit. Sic Grotius ait (a): Illud displicet, quod docent, justam esse defensionem etiam eorum, qui bellum promeriti sunt, hoc est, ùt subdit Gronovius, qui injuria facta alteri causam belli dederunt. Sed qui in alterum peccavit, debet primùm ei, quem læsit, offerre satisfactionem viri boni arbitratu, ac tum demum pia erunt ejus arma. Sic Ezechias (b), cùm fœdere non stetisset, quod cum Rege Assyrio Majores ejus pepigerant, bello petitus, fatetur culpam, & Regi permittit arbitrium mulctæ: idque cùm fecisset, & postea iterum bello lacesseretur, fretus bona conscientia, vim hostium sustinuit, & Deum habuit faventem. Alterum exemplum addit ex Historia Romana (c). Jam verò à bello publico ad privatum hoc ex capite bene argumentari videmur.

343. Oppones primò, sunt Authores non ignobiles (d), qui judicant, justè quemque posse defendere vitam suam contra alium justè aggredientem; quia defensio vitæ est de jure naturæ licita: ergo Sophocles pugnare potest contra Themistoclem moventem bellum. Accedit, quòd licentia; qua bellum movet Themistocles, tantùm sit probabilis, neutiquam moraliter certa: ergo etiam probabile est, quòd non gaudeat hac licentia: ergo licebit Sophocli pugnare contra Themistoclem. ℞. Opinioni illorum Authorum opponi opinionem contrariam aliorum complurium, quos inter Molina meritò dubitat de veritate ejus sententiæ; quia sic se defendens resistit juri alterius; secùs etiam contra carnificem reus suam poterit vitam defendere occidendo, si opus sit. Vel certè prædo licitè necabit eum, qui prædantem justis armis invadit, quod nemo facilè sentiet. Sit etiam licentia illa, qua bellum movet Themistocles Sophocli, tantùm probabilis, quid tum? *ergo*, dicis, *etiam probabile est, quòd non gaudeat hac licentia.* Etiam hoc concedo: sed quid demum infers? *ergo licebit Sophocli pugnare contra Themistoclem.* Hanc consecutionem nego. Id inferto: *ergo Sophocles non tenebitur comparere.* Sic bene. Aliud autem est; *an possit comparere, si velit.* De hoc ajo, quòd non, saltem si de tali duello sit sermo, in quo Sophocles, seriò agens contra Themistoclem, ad vulnera, & necem procedere tentaret. Prohibitum hoc est Sophocli;

quia

(a) L. 2. c. 1. §. 18. J. B. P. (b) 2. Reg. 18. (c) Apud *Liv.* dec. 1. l. 9. c. 1.
(d) *Sotus*, *Azor.* *Burgbab.* aliique apud *la Croix* lib. 3. p. 1. n. 170.

quiá recantando, vel petendo veniam obligatur satisfacere iniquè à se læso. Id tamen dabo, quòdsi Themistocles Sophoclem neque volentem recantare, aut petere veniam: neque volentem comparere in arena, armis invaderet, posset hic se stricto gladio defendere potiùs, quàm ut mactari se indefensum permittat; Themistocles enim honorem suum, fortunásque satis servat, ubi Sophocles, pertinaciter duellum recusans infamem timidi notam contrahit: non ergo est, cur pugnare nolentem etiam armis invadat: ergo justa etiam erit Sophoclis in hoc casu defensio.

344. Oppones secundò, quid aget ergo miser Sophocles? duello congredi non licet. Si recantet, vel supplice gestu verberibus se subjiciat, suum sibi honorem, & quidquid fortunarum cum honore connexum est, evertit. Sic in barathrum incidit, quod evadere conatur Themistocles. ℞. Rectè omnino: neque est, cur de injuria conqueratur; quòdsi enim (dicebamus suprà ex Wolfio) damnum ejus, cujus culpa accidit, colliditur cum damno alterius, qui omni culpa vacat, damnum ferre debet is, cujus culpa est. Addo: maximè ubi culpa fuit *consideratè* commissa. Dein Themistocles non quærit damnum Sophoclis, sed humilem petitionem veniæ, aut recantationem. Si ex hac sequatur damnum, eorum culpa sequitur, qui actui justitiæ, quem recantans, vel veniam petens Sophocles exercet, infamiam præpostero judicio affingunt. De his ergo corrupti judicii hominibus conqueratur. Equidem verum est aliqua ratione, quòd Themistocles Sophoclem his vexationibus *iniquis* exponat: at non exponit *iniquè*, id quod notari velim, ne contradicere videar dictis *n.* 215.

345. Quæres, an ergo infelici Sophocli via nulla sit super, qua perniciem suam evitet? ℞. Superesse consilium, quo in ancipiti hoc rerum suarum statu utcunque sibi possit prospectum ire, quod quanti valeat, cujuslibet judicio æstimandum relinquo. Scripto, vel per internuncium, prout videbitur, Themistocli amicè declaret, se, cùm petere veniam pro *convicio* modo nimis humili noxium nimis esset rebus suis: armis autem ejus vitam petere in duello prohibitum sit per leges conscientiæ, non tamen defuturum, quo minùs gladio turbas finiat. Ne gravetur itaque Themistocles, se, ubicunque obvium habuerit, aggredi: declinaturum se quidem ictus omni, qua polleret, dexteritate: nullum tamen se in ejus corpus libraturum. Equidem neutiquam se dubitare, quin tam

ſtrenuo adverſario animus etiam ſuffecturus eſſet ad excipiendam vim ſeriam; at per conſcientiam ſe prohiberi, quo minùs ei hoc argumentum demonſtrandæ virtutis præberet. Sperare ſe, ſi quidem Themiſtocli juxta artis regulas ferire placeret, innoxium ſibi certamen fore: de reliquo omnia ſe ejus generoſo animo relinquere.

Idem conſilium, nî fallor, quadrabit Sophocli, caſu quo Themiſtocles acceptam *alapam* abſterſurus baculum contra eum projiceret; declarare enim idem poterit verbis, quod antea ſcripto. Gravis noxa non erit, excipiendo, atque excutiendo intentatos ictus defendere ſe, & ſic ſervare dignitatem, opésque.

Quid? quòd certo modo etiam tum utile hoc conſilium eſſe poſſit Sophocli, quando per *calumniam* læſit Sophoclem. Si nempe hic palinodiam non exigat: ſi ipſus non ad judicem, ſed ad gladium provocet: eáque inſanorum paſſim invaluerit perſuaſio, ut per duellum credant Themiſtoclem verè purgatum: neque ſcandalum inde probi accipiant. Sed quia raró hæc conveniunt, non facilè uſui id remedium erit in caſu jactæ calumniæ.

346. At, quæret quis, quî probatur conſilii hujus æquitas, & aſſerta periclitanti Sophocli licentia? ℞. Ex eo, quia primò Themiſtocli nulla fit injuria, liberatur ab infami nota, ſibi per alapam, calumniam, aliúdve genus convicii aſperſa. Neque ullo periculo exponitur, modò fidem ſervet Sophocles, qua non niſi propriæ defenſioni in conflictu ſe intentum fore ſpopondit. Si fortè verba dederit Sophocles: aut incaleſcens in medio pugnæ ſeriò incipiat agere, & deſtinatis imminere ictibus, tunc novam Themiſtocles cauſam ſortietur impetendi, vel retundendi iniquum antagoniſtam, fractæ fidei reum. Vereberis fortè, ne patrini aſſiſtentes advertant, Sophoclem minùs ſeriò agere, dum contentus ſe defendere, ab offendendo abſtinet. Ajo; Sophoclem fortè uno, alteróve ſimulato ictu aërem poſſe ferire. Quòd ſi hoc vel ſecurum non ſit, adeóque prohibitum: vel inobſervatum abire non poſſit; Themiſtocles tamen jure dicet ſibi fuiſſe ſatisfactum; neque enim ſuum erat, antagoniſtam cogere, ut feriret. Neque Sophocles ad feriendum obligari poteſt, qui utique nimium quantum ſe generoſum demonſtrat, accipere dum mavult vulnus, quàm dare: quidquid contra obſtrepat inſanum illud ſyntagma: *pro eluenda alapa opus*

*eſt*

*est sanguine, eòque non parcè fuso;* cui, credo, in tali casu non multum fore authoritatis futurum. Secundò, neque Sophocles argui potest læsæ charitatis, quam sibimet debet. Equidem periculo sese exponit: sed ad servandum honorem, dignitatem, & opes necessarias, quorum omnium jacturam certam incerto vulnere si redimere velit, quis vitio vertat? certè non alia de causa Gentes cruenta bella suscipiunt. Dein licet juxta Theologos, antesignano D. THOMA (a), quandoque *indirectè.* se occidere, hoc est, aliquid facere, vel omittere, ex quo præter intentionem mors certò sequatur; quia præceptum conservandi vitam, utpote *affirmativum*, non semper obligat: sed potest omitti quandoque ad bonum finem, necessitatem, vel magnam utilitatem. In præsenti casu mors non sequetur certa: imò grave vulnus incertum est; præcipuè cùm Themistocles humanitati Sophoclis id haud dubiè daturus sit, ut acriùs non sæviat, quàm recuperando honori necessum sit. Tertiò, neque terrere debet *scandalum*, sive pravum exemplum, dimanaturum in alios, si à duello non abstineant viri, cæteroquin æstimati; cùm enim passim notum esse possit, quòd Themistoclem post acceptum convicium, aut alapam, & apertè negatam justitiam, feralis necessitas cogat offerendo duellum, aut projiciendo baculum servare bona famæ, & fortunæ, nemini offendiculum dabit provocatione sua, cæteroquin moderata, nec spirante vindictam. Certè dum ego præsens olim in urbe quadam spectaveram provocationem ejusmodi, neminem bonorum ea vidi offensum: sed contra illum Senatum passim fremebant, cui aures ad depositas querelas obsurduerant. Neque à Sophocle pravum exemplum manabit; modò constet id eum agere pro avertendo summo damno, & suo, si non compareret, & Themistoclis, si hic non provocaret; præcipuè si resciretur, eum statuisse ab inferendo vulnere sibi cavere, laudem prudentiæ potiùs, ac moderationis ferret.

347. Oppones. Sic bellum privatum dabitur utrinque justum, non tantùm *formaliter*, sive in conscientia: sed etiam *materialiter*, seu ratione causæ, ac rei, propter quam, vel pro qua pugnatur. Hoc, cùm in bello publico fieri nequeat, impossibile etiam erit in bello privato: ergo malè hoc remedium suggeritur Sophocli. ℞. Utique hìc dari bellum *of-*

 *fen-*

(a) 2. 2. q. 64.

*fensivum* ex parte una: defensivum ex altera, justum tam *materialiter*, quàm *formaliter*. Cur hoc in bello publico fieri nequeat, ratio est; quia si gens una *offensivè* agendo quærat obtinere, quod sibi debetur: gens altera agendo *defensivè*, illam à consequendo suo jure impediret, quod est iniquum. Econtra in casu nostri belli privati, quamvis contra Themistoclem, ex æquo pugnantem, se defendat Sophocles, non impedit illum per hoc à consequendo bono, quod justè quærit; nihilominus enim servabit dignitatem cum opibus ad vitam honestè sustentandam necessariis. Fors erit, qui hanc pugnam nollet dici bellum privatum, seu *duellum propriè dictum*, de quo non disputabo; ex eo enim dependet, an ad duellum requiratur *utrinque* mens inferendi vulnera, vel necem. Cæterùm, ùt dixi *n.* 345. quanti hoc consilium valeat, cujusque judicio æstimandum relinquo.

## §. VI.

### An licitum sit comparere ad duellum, dum quis provocatur ab eo, quem antè iniquè læsit tantùm semi-deliberatè, vel exprobrando crimen verum?

348. *Ponitur fundamentum.* 349. *Applicatur casibus occurrentibus.*

348. SIcut §. *II.* & *III.* examinavimus, an liceat *provocare* ob acceptam læsionem tantùm semi-deliberatam; vel ortam ex exprobratione criminis veri: sic modò quæritur, an quis licitè *compareat* provocatus ab eo, quem tantùm læsit semi-deliberatè, aut exprobratione criminis veri. Circa quod fixa hæc regula sit: Quoties læsus justè provocat, toties lædens injustè comparet ad duellum utrinque serium. Dico *utrinque* serium ob *n.* 345. Et vicissim, si læsus injustè provocat, lædens, in gravissima necessitate constitutus, justè comparet. Ratio petitur ex principio alibi posito; quia non datur jus contra jus, & bellum serium utrinque *materialiter* justum, ùt patet in bello publico, quod Gentes gerunt.

349. Unde colliges primò: Si subitò Themistocles Sophoclem aggrederetur, paratum cæteroquin in judicio rem finire, &, si opus sit, satisfacere; armata defensio Sophoclis non erit prohibita. Secundò: Pugna, seu defensio prohibita non erit Sophocli, si Themistocles, definita

per

per judicem satisfactione non contentus, pòst adhuc vim moliatur; in utroque enim casu est injusta provocatio; eo quòd ubi datur judicis copia, apud hunc, & juxta hunc finienda est lis. At ubi judicis copia non est, tunc videndum, quid læsus à lædente exigere possit spectata læsionis natura, seu ad quid lædens obligetur in conscientia ante omnem judicis sententiam, id quod *ex præcedentibus* §§. colligitur. Et si quidem lædens paratus sit præstare totum id pro viribus, non habebit læsus jus ad inferendam vim ulteriorem: si nihilominus inferre tentet, vel ad duellum provocando in eas angustias læsum conjiciat, ut vel comparere, vel gravissimum in bonis damnum pati deberet, licebit huic provocato vim retundere, quin etiam ad duellum comparere in statu Civitatis malè ordinatæ; de quo nunc loquimur; habent enim hîc locum principia *Cap. IV.* posita.

## §. VII.

### An aliquando provocatus comparere possit ex charitate erga provocantem?

350. *Narratur mirabilis casus.*
351. *Videtur comparens exhibuisse charitatem provocanti:*
352. *Neque provocans egisse malè.*

350. Quæstio sanè paradoxa! sed casum accipe factum, non fictum. Narraverat Epaminondas Themistocli, quòd nuper in duello Sophocli arma feliciter excusserit de manibus, & sic gloriosum fecerit pugnæ finem. Themistocles impositum tricis innoxium finem gratulatus est primò Epaminondæ: tum etiam Sophocli, sibi fortè obvio. At negabat hic, quòd ab Epaminonda fuerit exarmatus. Themistocles id se accepisse, ait, ex ore Epaminondæ, secum veniret, idem ex eodem intellecturus. Eunt, Epaminondam interrogant, an perseveraret affirmare, quòd Sophoclem exarmâsset in duello. Vanæ jactantiæ sibi conscius Epaminondas negat, id à se unquam fuisse affirmatum. Exhorrescit Themistocles, utpote in quem figmentum debebat recidere; quare absque mora commilitones testes adducit, in quorum præsentia antè Epaminondas id asseveraverat. Horum testimonio convictus Epaminondas fatetur tandem, id sibi excidisse non satìs perpensum. Themistocli equidem suffecit hæc declaratio: at bonus Epaminondas illico proclamatur mendax, utpote qui con-

finxe-

finxerit excussum à se gladium: simul calumniæ reus agitur; eo quòd falsitatis notam Themistocli tentâsset allinere. Abit nihilominus Epaminondas ad legionem suam pedestrem, alibi præsidia tenentem. Hic obstrepentes invenit Duces cum milite, recusantes cum infami militare. Recurrit ad Regiam Epaminondas, flagitaturus opem; non auditur. Coactum ergo se videt, deserta militia, in vili egestate vivere. Sed en! ultima necessitas consilium suggessit, & opportunam ostendit naufraganti tabulam. Noverat Epaminondas nobilem Themistoclis animum: hunc ergo rogat, ut in duellum descendat secum: nôsse se quidem, quòd is nullo nomine ad id obstringatur: at gratiam sibi fieri, si hanc ultimam malo suo medelam non neget. Subrisit Themistocles, &, habe sis, inquit, hoc animi in te mei argumentum, gladium stringam in tui gratiam, ut firmatus in tua statione, habeas, unde vivas decenter. Age rem gnaviter; duobus enim, qui ex tua legione advenerunt, patrinis certamen frigidum, & umbratile non satisfaciet. De me certus esto, me tibi nil mali velle, neque illaturum. Id attendas, opto, ut tui bene compos gladium vibres ad leges palæstræ. Prodivêre in pugnam. Themistocles, ut constituerat animo, defendere se contentus, satis habuit declinare ictus: id quod ea dexteritate præstitit, ut pugna innoxia transierit, gratulantibus ipsis patrinis.

351. Quæritur jam, an salva conscientia hoc *præstare* Themistocles, & *petere* Epaminondas potuerit? ℞. Certum esse, Themistoclem ad id præstandum nulla ratione fuisse obstrictum; non enim ipse in causa erat, quòd Epaminondæ immineret fortunarum suarum jactura: ergo neque extrahere hunc tenebatur ex imminente miseria. Quin, cùm ab hac pugna, sponte suscepta, non absit periculum omnis vulneris, prohibitam eam dicerem Themistocli, si familiam aleret, viventem ex incolumitate patris. Quòd verò eidem hæc actio licita fuerit, quamvis conjuncta cum periculo alicujus vulneris, aut etiam necis periculo, saltem remotiore, sic probo: Epaminondas, si proprio periculo res suas servare valeret, rectè se eidem exponeret, *e.g.* in casu incendii; nam licèt vita hominis secundùm se sit majus bonum omnibus fortunæ bonis, vita tamen ipsa sine honesto statu, & cum magna miseria conjuncta, magnum malum est, & gravius aliquibus amisso statu vivere, quàm eo integro mori (a): ergo

(a) *Luga ex Coninck.* de Just. disp. 16. sect. 7. n. 149.

ergo etiam Themiſtocles idem in ſe qualecunque periculum ex impulſu charitatis ſuſcipit, non minùs laudabiliter, ac illi, qui ad reſtinguendum incendium alienæ domus in pericula non levia ſe non rarò immittunt: aut ex vicini, fortè abſentis, ædibus furem expellunt vi armata, & proprio cum diſcrimine. Neque dicas, Themiſtoclem pugnantem pravo exemplo firmare pſeudo-legem, quæ duello docet finienda eſſe litigia; namque è contrario laudem tulit paſſim generoſa virtus, qua miſero ſuccurrit, nullo ad id nomine obſtrictus. Id tamen non negaverim, malum exemplum à ſupremo Magiſtratu promanâſſe, cujus erat Epaminondæ convicto vel miſſionem dare, vel punitum ſuæ legioni reſtituere; quin neceſſe fuerit per bellum privatum rei exitum quærere.

352. De Epaminonda ſi quæras, an petendo duellum (pugnam per me voca, ſi velis (a)) conſcientiam læſerit, ajo, quòd non; Epaminondæ enim licitum eſt petere, quod Themiſtocles non prohibetur reddere; ſic enim mali nil petit. At objicies: non ſemper licitè peti, quod licitè præſtatur: ſic in conjugio viro habenti votum caſtitatis uxor licitè reddit debitum, ſaltem ſi ſit ignara voti (b), quin vir poſſit petere. In ipſa materia duelli licet quandoque comparere provocato, quin provocanti id liceat exigere: ergo, quamvis Themiſtocles licitè condicat ad conflictum, non ſequitur, quòd licitè id roget Epaminondas. ℞. Illos aliunde prohiberi, ne petant: nòn autem apparet, unde vetita ſit petitio Epaminondæ. Sic etiam in naufragio licet ab altero petere, ut ſuam mihi tabulam cedat, qua ego enatem. Nec dando fortè ſcandalo prohibebatur Epaminondas; conſtat enim in publicum, quòd primò duellum ſubterfugerit, tum à Principe fuerit deſtitutus, demum à Themiſtocle, ad duellum neutiquam obligato etiam per leges profanas, pugnam pro gratia acceperit. Scandalum igitur promanâſſe cenſendum eſt à ſupremo Magiſtratu, ferme ùt *numero præcedente* dictum. Sic denique ſpectatis omnibus cenſeo, quod ipſus Themiſtocles tunc cenſuit, eum ſcilicet charitatem exhibuiſſe Epaminondæ. Mirabile equidem hoc videtur: ſed quid mirum, ſi ex mirabili monomachorum delirio, & pſeudo-lege, conjuncta ſocordiæ Magiſtratus, mirabile paradoxum enaſcatur?



(a) Vid. n. 347. (b) *la Croix* l. 6. p. 3. n. 353.

## §. VIII.

### An duellum suscipi possit etiam ab eo, qui non læsus fuit: vel contra eum, qui non læsit; scilicet à vicario, vel contra vicarium?

353. *Declaratur quæstio.*
354. *Deciditur, an licitè pugnet vicarius.*
355. *Item, an licitè pugnetur contra vicarium.*

353. Themistocles, ab Epaminonda gravi læsus injuria, ex qua proximè ad incitas erat redigendus, non suppetente aliunde auxilio, Epaminondam, renitentem satisfacere alia ratione, provocat, ídque jure ex hactenus disputatis. Epaminondas equidem non detrectabat pugnam: at Sophocles amicus, minùs fidens Epaminondæ dexteritati, vices ejus obire, & in arena comparere voluit. Themistocli comes, seu patrinus advenerat Agamemnon, qui æquè veritus amicum Themistoclem Sophocli fortiori antagonistæ objicere, ipse pro Themistocle stringit gladium contra Sophoclem. Stabant itaque

| | |
|---|---|
| *Hinc* Themistocles: | *Inde* Epaminondas: |
| *Vicarius* | *Vicarius* |
| Agamemnon. | Sophocles. |

Quid apud Veteres circa Procuratores (*Campiones* dicebantur) observatum fuerit, satìs dictum est *n.* 44. Nostro ævo si Monomachorum Alcoranum, seu duelli leges, consulo, per procuratorem certare nemo tenetur, si ipsius pugnæ non quadrat. Nemo etiam, cui tyrannica pugnandi necessitas incumbit, cum procuratore, alióve manus obligatur conserere, nisi quocum ipsi negotium est. Accidere tamen posset, ut cum Themistocle pugnare non detrectaret Sophocles, vices subiturus Epaminondæ: neque cum Agamemnone, procuratore Themistoclis, Epaminondas, vel Sophocles. Unde juvat discutere, an bene Agamemnon, & Sophocles potuerint se offerre ad subeundas in duello amicorum vices? Secundò, an Themistocles æquè contra vicarium Sophoclem, quàm contra ipsum Epaminondam confligere potuerit?

354. *Ad*

354. *Ad primum*, quod ſcilicet Agamemnonem ſpectat, pro bona is cauſa Themiſtoclis, meo judicio, potuit dimicare, ſi à Themiſtocle hac ratione poſſit damnum grave & iniquum amoliri: & æquè commilitonibus ſatisfiat per ſuccedaneum pugilem. Suadetur ex eo; quòd, (verba Molinæ recito (a),) in omnibus eventibus, in quibus aliquis, ſe aut ſua defenſurus, poteſt licitè interficere injuſtum aggreſſorem, in eisdem ſit licitum cæteris, eum proximum defendendo, interficere eundem aggreſſorem, quando ita neceſſarium eſt ad talem proximi, bonorúmque ejus defenſionem. Æquitati enim naturali conſentaneum eſt, ait Layman (b) ex S. Antonino, ut aliis quoque licitum ſit vim injuſtam paſſo aſſiſtere, & auxilium ferre: éſtque hæc ipſa ratio, cur Principem, aut Rempublicam, bellum juſtum gerentem contra aliam, juvare liceat, ùt in materia de Bellis docetur paſſim. Communem hanc eſſe Authorum doctrinam teſtatur Lugo (c); quin addit licitum eſſe, eum defendere, etſi defendi nolit; quia adhuc ejus damnum aliquo modo ad me pertinet; cùm ſit damnum ejus, qui charitatis nexu, & conjunctione naturæ mihi conjunctus eſt. Jam verò Epaminondas ſi non eſt *aggreſſor injuſtus*, tali certè æquivalet juxta dicta *n.* 275. Robur hæc ſententia ex eo accipit, quòd *cuilibet liceat ſuo vicino, vel proximo pro repellenda ipſius injuria ſuum impertiri auxilium* (d). Dixi tamen: *ſi à Themiſtocle amoliri poſſit grave damnum;* ſi enim non acceptetur apud commilitones ſuccedanea hoſtia, quid proderit Agamemnonem inutiliter ſubjicere diſcrimini?

Interim, quæ diximus licitè fieri, juxta eosdem Doctores ex obligatione fiunt, ubi quis *proximum*, vel ejus bona externa absque notabili ſuo damno commodè defendere valeat. Quòdſi autem is, quem occidere, vel contra quem pugnare oporteret, eſſet filius tuus, duriſſimum eſſet ad eum occidendum te obligare pro ſervanda vita innocentis. Si verò eſſet Pater tuus, Lessius negat, te poſſe facere licitè; quia id repugnaret pietati in parentes.

Quantum autem ad Sophoclem attinet, qui pro amico Epaminonda aleam ſubire tentat: deciſio dependet ab eo, an ipſe Epaminondas, pro-

Kk 2 voca-

(a) De Juſt. tract. 3. diſp. 18. (b) L. 3. p. 3. c. 3. (c) Diſp. 70. ſect. 11.
(d) Ex C. Dilecto. §. Et quidem. de ſentent. excomm. in 6.

vocatus à Themiſtocle, licitè comparere poſſit? id quod §. *V. hujus Articuli* examinavimus. Procuratori licitum eſſe nequit, quod prohibitum eſt actori principali.

355. Jam *ad quæſitum ſecundum*, an Themiſtocles æquè pugnare cum Sophocle potuiſſet, ac cum Epaminonda? ℞. omnino, ſi cum eo, quem quærit, fructu id facere cenſeatur. Rationem affero ex WOLFIO (a): " Quidquid alius quicunque in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni „ ſeſe opponens facit, id licitum non eſt, ſed injuſtum, & ſeſe opponendo „ tibi injuriam facit. „ Propoſitionem hanc apud eundem demonſtratam leges. Addit, principium hoc probè tenendum eſſe; uſui enim futurum in jure Gentium, ubi definiendum erit, quandonam aliis, bello implicitis, auxilium ferre liceat. Pergit: Quicunque alius in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponit, in eum eadem licent, quæ in aggreſſorem; quoniam enim, ſonat demonſtratio (b), qui in gratiam aggreſſoris licitæ tuæ defenſioni ſe opponit, cauſam hujus agit: hic verò te lædere conatur; ipſe quoque læſionem tuam intendit, ſi non ſemper directè, attamen indirectè: cum aggreſſore igitur eodem loco habendus. Quidquid adeò in aggreſſorem licet, idem quoque licet in alium quemcunque, licitæ tuæ defenſioni ſeſe opponentem. Jam verò Themiſtoclem pro fortunis ſuis ſervandis, ac defendendis in arenam deſcendere, & Epaminondam certo modo *aggreſſorem* haberi poſſe, alibi dictum *n.* 275. In hujus ergo gratiam cùm Sophocles ſe opponat; quin cùm totam ejus cauſam in ſe ſuſcipiat, & perſonam Epaminondæ agere ſuſtineat, idem jus Themiſtocli erit in Sophoclem, ac in Epaminondam ſit, ſi, ùt dictum, cum eo, quem quærit, fructu id facere cenſeatur.

## ARTICULUS II.

### *Enucleatur ſecunda Conditio, id eſt,* damnum grave.

DUm *Capite IV.* ad duellum, licitè ineundum, requiſivimus damnum grave, quod illo omiſſo eſſet ferendum, tale damnum ſtatuimus, quod ſuſtentationem, ſtatui conſervando neceſſariam, peſſumdaret. At cùm

(a) Jur. Nat. P. I. §. 986. (b) Ibid. §. 987.

cùm non ſemper de ejusmodi jactura agatur : ſed minus quoque in fortunis damnum , aut alterius etiam generis diſpendium duelli recuſatio afferre poſſit , de hujusmodi quoque inſtituendus ſermo eſt. Itaque quæremus I. an damnum, non auferens ſuſtentationem neceſſariam, ſufficere poſſit ad duelli licentiam ? II. An excludi cœtu Nobilium, non æquivaleat jacturæ ſuſtentationis neceſſariæ?

## §. I.

### An damnum, non auferens ſuſtentationem neceſſariam, ſufficiat ad duelli licentiam?

356. *Damnum quadruplex conſiderandum eſt.*
357. *I. In caſu, ubi tantùm agitur de dignitate amittenda,*
358. *Negatur licitum eſſe duellum.*
359. *II. Si dignitas ſit eminens, non eſt improbabilis licentia.*
360. *III. Ubi agitur de ſuſtentatione, tantùm accidenda:*
361. *Notatis variis,*
362. *Neganda videtur licentia.*
363. *IV. Ubi agitur de bono, primùm acquirendo, etſi ex eo dependeat ſuſtentatio,*
364. *Non eſt licitum duellum, poſtquam judex pronunciavit de cauſa duelli:*
365. *In denegata apertè juſtitia fors licitum : ſaltem licentiam aſſerens ſententia non videtur damnata.*
366. *Ubi ſuſtentatio neceſſaria in ſalvo manet tota, illicitum dicimus.*

356. Ejusmodi damnum quadruplex ſub conſiderationem venit. Primò poteſt eſſe damnum conſiſtens in jactura ſolius dignitatis qualiscunque, ſalvis opibus ad ſuſtentationem requiſitis. Secundò, poteſt conſiſtere in jactura dignitatis prorſus eminentis. Tertiò, poteſt eſſe damnum, quo non quidem tollatur, accidatur tamen ſuſtentatio neceſſaria. Quartò, poteſt damnum verſari circa bonum primùm acquirendum. Examinemus ſingula.

357. I. Caſum habe, ubi de amittenda ſola dignitate agebatur. Militaverat compluribus annis Centurio ſub ſignis Principis ſui, cùm tandem in expeditione quadam, exercitu ad prælium procedente, ipſe cum ſuorum manipulo ad cuſtodienda impedimenta relinquitur. Cæditur exercitus, &, dum in fuga ſparſis legionibus recedit, Centurio ad ſuos ait: Bona ſors, ô ſocii! hac ſtatione nos locavit; en ùt malè mulctati commili-

litones redeant! Verba hæc excepit Pro-Centurio fortè præteriens, & pridem infensus Centurioni. Quare ad fugientium injuriam illud temere dictum pertinere ratus, *fungi*, ajebat elatiore voce, *hoc dictum est*, *non militis strenui.* Qui ponè incedebant Duces, dissimulabant quidem pro iis rerum angustiis hoc convicium: at ubi, finito brevì pòst bello, urbis cujusdam præsidium tenuêre, gliscentem sub cineribus ignem suscitârunt ea vehementia, ut bonus Centurio, nec quidquam obtendens, verba illa innocenter sibi excidisse, ad subeundum duellum à legione universa condemnaretur, recusante militare cum vel sub nauci homine. Implorat Centurio supremum Consilium bellicum: sed nullo fructu, suis is fatis relinquitur. Itaque vel valedicendum erat legioni, vel duello purgandum probrum. Habebat alibi terrarum prædia, ac bona, quæ sufficerent viro nobili, privatam jam vitam acturo: nil opus erat, ut miles maneret. Quin ipse jam antè consilium animo volverat mittendi Mavorti nuntium, & reliquum vitæ agendi in quiete. Nolebat tamen discedere non confecto negotio, ne ullo tempore inustam sibi notam quisquam exprobrare posset. Deposito itaque odio, Sacramentis Ecclesiæ se munit: tum in angiportu operitur antagonistam, quo comparente datur pugnæ signum; dimicatur, & lethali vulnere configitur Centurio, post aliquot horas exutus vita inter Christianæ pietatis signa. Erant, qui licitè duellum suscepisse crederent: imò erat Theologus, qui ei ediceret, licitam fore pugnam ex conscientiæ legibus; quo persuasus antè Ecclesiæ Sacramentis se muniit. At quidquid sit de bona fide, quacum fors ex errore innocuo in arenam descendit Centurio, illum ego Theologum jam impugnabo.

358. Ajo, revera non fuisse licitum Centurioni hoc duellum; si enim alibi habuit prædia, & bona, unde nobiliter viveret vitam privatam, quid opus erat militare sibi munus ferro asserere? præsertim postquam consilium deserendi militiam jam antè animo volverat? Non ergo hìc militat illa ratio, cui *Capite IV.* doctrinam nostram superstruximus: Timor, ne unquam fortè sibi exprobraretur macula non extincta, tanti non valebat, ut vitam & suam, & alienam ei discrimini prudenter objiceret, id quod patet ex *Art. VI. Cap. III. à n.* 256. Accessit & id, quòd Sub-Centurio communi judicio dexteritate tractandi gladium Centurionem multùm superaret, unde malè quisque pro hoc jam ante pugnam ominabatur.

batur. Non licet autem duellum suscipere, etsi adsint conditiones reliquæ, si non sit etiam prudens spes prosperi exitus. *Vid. n.* 191.

359. II. Sit alius, qui, recusato duello, non dignitatem qualemcunque, sed præcellentem sibi, totíque stemmati suo maximè honorificam, utut lucri non admodum feracem, deberet perdere. Militiæ id contingere potest, ubi, etiam qui prima munia tenent, à pseudo-lege duelli exempti non habentur in materia, ad imperium militare non pertinente. Dimicandum itaque erit, si injuria poposcerit: vel parere volet nemo. Quæritur, an damnum hoc, non auferens cæteroquin sustentationem necessariam, sufficiat ad duelli licentiam? ℞. Si alia evadendi ratio non supersit, non improbabiliter talem dignitatem defendi duello posse. Non est enim qualiscunque dignitas (de qualibus fortè Authores loquuntur, duellum reprobantes, pro servanda dignitate, aut officio initum) sed præcellens esse statuitur, totíque familiæ honorem allatura etiam apud Posteros. Hæc ergo, justè acquisita, dum ad altiorem ordinem virum evexit, eum in alio veluti statu, & conditione reposuit: sicut ergo opes, statui & conditioni servandæ necessarias, licitè duello tuemur, juxta dicta *Cap. IV.* sic ipsum quoque statum, & conditionem eadem ratione servabimus. Certè graviorem crederemus esse lapsum, dum *e. g.* Gallicorum castrorum supremus Præfectus, vel alterius exercitus Imperator dignitate sua cum dèdecore deberet decedere, quàm si Centurio, suo deperdito officio, alere se velut homo de plebe deberet.

Oppones: Dignitas Centurionis Themistocli æquè pretiosa est, ac Epaminondæ dignitas primi ordinis: ergo etiam illi, vel neutri licebit labantem fortunam duello tueri. ℞. Si Themistocli aliunde sufficiant opes, deget in vita privata ferme æquè honorificè, ac in gradu Centurionis vixerat: discrimen certè non erit adeò notabile; nam pecuniæ obediunt omnia. Si opes aliunde non suppetant, pugnare ei licebit vi juris, quod habet ad sustentationem decentem. Econtra dejici dignitate præcellenti, prætterquam quòd probrum afferat, per complures provincias resonans, & resonaturum in lustra plurima, virum ex statu, & conditione sua deturbat, maximo suo, & suæ familiæ luctu. Nota autem, plus me non asseruisse, quàm *non esse improbabile* Gradum probabilitatis cuilibet metiendum ad sui judicii Decempedam relinquo.

360. III. Statuamus damnum, quo non quidem tollatur, accidatur tamen congrua ſuſtentatio. Dicamus, proventus annuos imminui trecentis aureis ad familiæ ſplendorem aliàs utiliter impendendis. Circa hanc quæſtionem non auſim ego certi quid de licentia ſtatuere. Trecentorum aureorum proventus annui ſummam utique faciunt, etiam viro diviti æſtimabilem. Et quamvis neceſſaria ſuſtentatio in illis non ſit repoſita: ad eam tamen ſummam recipiendam jure ſtricto gaudet poſſeſſor officii. Hoc jure cùm eum iniquè deturbet is, qui vel petulanter provocat, vel petulanti ignominia, pro qua ſatisfacere nolit, provocandi neceſſitatem imponit, cur non liceat id jus, negante Magiſtratu auxilium, duello vindicare? Qua in re

361. Certum eſt primò, ſi argumenta contra meam ſententiam allata *n.* 265. &c. vim haberent, ſatis claram deciſionem acciperet præſens quæſtio; ubi enim pro ipſa ſuſtentatione neceſſaria dimicare nefas eſſet, multo minùs fas eſſet pro evitando detrimento minore. At ſoluta illa argumenta fuiſſe ſatis ſolidè exiſtimo. Satis certum eſt ſecundò, etſi quis pro præſenti caſu duellum licitum diceret, nil ad eum pertineret lata in duas propoſitiones damnatio Pontificia, quarum una docet, *regulariter occidi poſſe furem pro conſervatione unius aurei* (a): & altera duellum approbat, *ad evitandam timiditatis notam* ſi ſuſcipiatur (b); neque enim pro uno aureo hìc mors inferretur: neque ad evitandam ſolam timiditatis notam. Tertiò, probabile, & probabilius eſt, quòd fas ſit occidere pro re magni momenti, ſi aliter ſervari, aut recuperari non valeat, eámque actu invadat fur, aut raptor. Docetur id communiſſimè ab Authoribus, quorum plures quàm centum adductis locis, & verbis enumerat VINDEX TABERNÆ (c). Legi præ reliquis meretur MOLINA (d), ubi appoſitè explicat mentem D. AUGUSTINI, qui videri cuiquam poſſit contrariæ mentis, utpote negare viſus *à peccato liberos eſſe, qui pro his rebus, quas contemnere oportet, id eſt, quas homines inviti amittere poſſunt, humana cæde polluuntur.*

(a) *Innocent. XI.* Prop. 31. (b) *Alex. VII.* Prop. 2. (c) In Collect. ad Prop. 8.
(d) Tom. 4. de Juſt. tract. 3. diſp. 16.

*tur* (a). At ſermo ei eſt de homicidio, perpetrato ex odio, aut ſine ſervato *moderamine inculpatæ tutelæ.*

Id econtra non ſatis liquet, quæ ſit res *magni momenti.* CARDENAS (b) rem magni momenti *abſolutè*, & *reſpectu omnium* putat eſſe quadringentos argenteos (vulgò (c) Quarenta Patacones): " etiamſi ablatio illorum non fit cum extremo detrimento damni: ſi verò ablatio fiat " infra quadringentos argenteos, menſura valoris in ordine ad defenſionem occiſivam deſumenda eſt à detrimento, quod patietur is, à quo " ea quantitas aufertur; ſi enim ex quantitate ablata detrimentum, quod " patitur dominus rei, ſit maximum, erit ſufficiens pro ejusmodi defen- " ſione. Si verò detrimentum non ſit maximum, præfata quantitas non " erit ſufficiens pro tali modo defenſionis. „ LA CROIX hos quarenta patacones ait valere quadraginta Imperiales. At obſcurum eſt illud: *Etiamſi ablatio non fit cum extremo detrimento damni.* Fortè dicere vult: etſi ex hoc furto dominus rei non patiatur damnum, ſeu detrimentum extremum, id eſt, etſi non conjiciatur propterea in extremam neceſſitatem: quin etſi non deperdat inde ſuſtentationem neceſſariam conſervando ſuo ſtatui; debet tamen detrimentum eſſe *maximum*, conſiderando cujusque fortunas, & conditionem. Alii Authores apud LUGONEM (d) eò mentem ſuam declarant, quòd occidere non liceat, ſi res valeat non niſi quinque *Ducatos.* Juxta VASQUIUM res tanta debet eſſe, ut amittens *notabile* damnum patiatur.

362. In hac Authorum fluctuantium varietate certum mihi videtur, quòd rigidum potiùs Doctorem eſſe oporteat in permittenda occiſione, quàm laxum; fur enim ſpoliabitur non ſolùm vita corporis, ſed ſalute etiam animæ. Equidem ex ſua ille culpa geminum hoc ſibi malum accerſit: nihilominus adhuc grande ſit oportet detrimentum opum mearum, cui avertendo furem in extremæ miſeriæ barathrum præcipitem do. Ajo itaque, certum non eſſe, an pro avertendo tali damno, quale in præſenti caſu definivimus, trecentorum ſcilicet aureorum, quot annis recipiendorum, ſalva tamen ſuſtentatione honeſta, *occidere furem* liceret. Et ſi hoc



(a) De lib. arbit. l. 1. c. 5. (b) Criſ. Theol. diſſert. 21. n. 88. ſeq.
(c) Ita habet editio Hiſpal. an. 1687. & Colonienſ. 1690.
(d) De Juſt. diſp. 10. n. 178.

certum esset, tamen certum non est, licere damnum id passo ad *duellum* progredi. Ratio est; quia duellum ejusmodi remedium est, quod sine gravissima necessitate adhibere non licet ob rationes solidissimas, alibi fusiùs declaratas, neque locum habentes in occisione furis. *vid. n.* 256. Non autem sat gravis mihi videtur jactura illa trecentorum aureorum, si homo adeò sit locuples, ut status illius nihilominus subsistere valeat, quamvis aliquantum accisus, ita ut de splendore potiùs, quàm de necessitate quidquam amittat. Accedit, quòd in nece furis de vita aliena, in duello etiam de mea propria agatur; ex lege autem ordinatæ charitatis pluris cuilibet facienda sit vita propria, quàm aliena, nisi aliæ præter ordinem graves causæ interveniant: ergo majus debet esse damnum id, quod per duellum, quàm quod per cædem furis, mihi non periculosam, avertere satago. Sic etiam (ut ex ipsa cæde furis doceamur) si interimere furem non possem sine *propria vitæ* periculo, majus meo judicio debebit illud damnum esse, quod timeo, & proximè ad jacturam necessariæ sustentationis accedere. Quid? quòd & illud attendi mereatur: quid scilicet profuturum sit servâsse partem suarum opum, si vita amittatur? Familiam fors alit homo, cui prospicere teneatur. Hæc, si patrem amat, optabit magìs salvum habere patrem, quàm ejus periculo servare partem proventuùm. Si sine familia vivat sui juris, adhuc faciliùs patietur opes sibi aliquantum accidi. Unde, spectatis omnibus, mihi probabilius videtur, jacturam trecentorum aureorum tantam non esse, quæ sufficiat stabiliendæ licentiæ ad duellum ineundum. Dixi *probabilius* mihi videri: unde non est animus damnare sentientem contrarium.

363. IV. Statuamus damnum versari circa bonum primùm acquirendum. Sit scilicet quidam, qui quidem officio, utpote cùm nullum habeat, non excideret: recusando tamen duellum aditum sibi præcluderet ad aliquod acquirendum, cujus spem non vanam jam conceperat. Sit *e.g.* Ordinis equestris candidatus, cui dum adscribi petit, ad duellum fortè provocatur, quod si subterfugiat, certò se rejiciendum sciat, ferme ùt refertur de Ordine S. Jacobi in Hispania, candidatum, antequam recipiatur, inter alia interrogâri, an nunquam duellum recusârit. Vel fingamus, quòd jam admissus ad Ordinem prenset acquirere beneficium Equestre, sive Commendam, non obtinendam recusato duello. Vel, si placet, audiamus

mus casum apertiùs. Nobilis Ordinis cujusdam Eques in aula exteri Principis cùm fortè alium virum nobilem in alearum lusu malè mulctâsset, ab hoc aliquot hebdomadis pòst, haustis hinc inde indiciis, ùt videbatur, non levibus, admissæ fraudis arguitur. Causa delata ad judicium, diúque ventilata, declaratur tandem, indicia probandæ fraudi non adesse sufficientia: neque tamen delator nobilis, qui denunciantis potiùs, quàm accusantis personam se egisse dicebat, condemnabatur ad canendam palinodiam: sed jussi sunt mutuò redire in gratiam, injuriosas epistolas restituere, vi ulteriore abstinere interposita fide nobili, & sic conquiescere; hac enim ratione utriusque honori videbatur consultum. At verebatur Eques, ne, si plenam non faceret purgationem suam, Commendam, cujus proximè obtinendæ spem habebat, non obtineret. Itaque insuper habita promissione facta judici de non inferenda ultrà vi, gladio aggreditur adversarium, fortè obeuntem plateas.

364. Quæres, num bene? ℞. Neutiquam, quod quidem conscientiæ forum attinet. Etsi sustentationem necessariam nobili suo statui aliunde non habuisset, quàm ex Commenda, quam sperabat: & licèt in conscientia sua innocentem se deprehendisset, nihilominus duello non fas erat aggredi adversarium; quia hic, postquam judicis sententiæ se submisit, omni eo, quod jussus erat, præstito; jam non ampliùs injuriam faciebat Equiti: ergo hic innocentem aggressus est, quod non licet.

Oppones: Sententia judicis ob non imperatam recantationem injusta fuit: vel saltem pro injusta eam habuit Eques, si suæ sibi innocentiæ conscius fuit: adeóque ea sententia Equitem non obligavit in conscientia ad destituendum suum honorem, nondum satìs dealbatum; eo quòd sententia injusta nullum habeat robur in conscientia, neque auferat parti læsæ jus suum, ùt docent D. THOMAS, SAYR. BONAC. TRULL. &c. ℞. Etsi Eques innocentem se scivisset, nihilominus debebat acquiescere; nam quod dicitur de sententia injusta, non habente robur in conscientia, locum ibi habet, ubi rem certè meam, vel certè mihi debitam retinet ille, qui per sententiam certè injustam victor evasit. Licebit tum victo, si fieri absque *scandalo* possit, recuperare tacitè bona sua: at nunquam licebit victoris vitam invadere, præsertim si hic bona fide possideat bona sibi adjudicata. Neque facere id Eques poterat absque *scandalo*; *scandalosum* enim est, seu

actio pravi exempli sententiæ latæ publicè refragari, &, nequidquam data fide nobili, bellum renovare.

365. Major difficultas foret, si quis Eques per malevoli cujusdam hominis calumniam ita fuisset læsus, ut hinc jacturam certam pateretur Commendæ, ad decenter sustentandam vitam necessariæ: illinc judicem, qui audire, vel purgare eum vellet, invenire non posset, & apertè denegaretur justitia. Hic, insistendo principiis hactenus adoptatis, videtur ferro sibi posse asserere Commendam, qua eum calumniator, recantare nolens, sciens & volens spoliat. At obstare videtur huic sententiæ, quòd spe solùm teneat Commendam, utpote à favore conferentis dependentem: vel ad summum habeat jus *ad rem*, ùt Scholæ loquuntur, tum scilicet, si fortè Commenda vi statuti conferenda est illi, qui annis præcedit, aut ex certa familia sit oriundus. Jam verò tam *spes*, quàm *jus ad rem* profligari videntur per geminas propositiones damnatas (a): *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus: sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Item: *Licitum est taliter se defendere jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.*

Non dubito, ex merito reprobatas has propositiones fuisse (b): illud tamen non ita perspicuum est, an ita sint universales, ut etiam casum nostrum comprehendant. Fors loquuntur solùm de casu, quo judex adiri potest functurus officio; fors de casu, quo evidens non est, damnum fore oriturum, & quidem ex culpa occidendi: vel non evidens, quòd alia ratione damnum impediri nequeat. Profectò si rationes Patris Viva considero (c), ita non malè me divinare deprehendo; in casu autem nostro fingimus omnino contraria. Neque novi quid est, propositionem aliquam damnari ob nimiam *universalitatem*, ùt docent Authores, unde pessimus abusus posset invalescere. Sic damnata est propositio illa (d): *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* " Nihilomi-

(a) Ab *Innoc. XI.* prop. 32. 33. (b) Vid. *Carden.* & *Viva* in prop. 17. Alex. VIII. (c) Loc. cit. n. 8. (d) Ab *Innoc. XI.* propos. 37.

hilominus (verba sunt Patris LA CROIX (a)) possunt etiam famulantes uti "
occulta compensatione, si adsint conditiones, aliàs ad occultam compen- "
sationem requisitæ. Unde per hanc damnationem non restringitur ullus "
usus licitæ compensationis; nam compensatio, hìc damnata, semper "
fuit illicita, quia defuerunt ei conditiones, ad licitum usum necessariæ; "
quia propositio damnata dicebat sufficere, quòd famulus judicet salarium "
esse minus, quàm operam: hoc autem falsum est, quia requiritur, ut hoc "
certum sit: tum etiam, quia licèt labor sit fortè major: tamen famulus ad "
eum non est conductus, & ex propria voluntate facit, vel saltem ex spe al- "
terius commodi, aut gratiæ. „ Quid si ergo etiam noster de duello casus à damnatione diceretur eximius? Id interea certum, eum Equitem faciliùs hanc notam evitaturum unà cum peccato, qui Commendam quærit ex jure ætatis, aut originis, quàm alterum, qui solo favore conferentis sperat se illa potiturum; quamvis enim etiam hic jus habeat, ne per cujusquam calumniam impediatur à consequendo bono, quod sperat, ita, ut calumniator postea compensationem facere teneatur, quantam spes concepta valebat: in illo tamen casu præter simile *jus reflexum* militat etiam illud *directum*, quod ætas, vel genus tribuit.

366. Quòdsi autem in periculum non adducatur necessaria sustentatio: sed ea, etiam non obtenta illa dignitate equestri, tota in salvo sit: vel si proventuum nihil omnino afferat ea dignitas, duellum locum non habere dicendum videtur; neque enim nuda dignitas Equitis, aut Commendatoris tanti valoris est, ut duello, cui non nisi gravissima de causa licentia debet indulgeri, (*vid. n.* 256.) vindicetur. Quod denique de Equitibus S. Jacobi narratur, ita accipiendum dicunt MOLINA, aliique, ut duellum nunquam ex *metu tantùm periculi* recusatum fuisse intelligatur.



(a) Lib. 3. Part. 1. n. 971.

## §. II.

### An excludi cœtu Nobilium non æquivaleat jacturæ sustentationis necessariæ?

367. *Explicatur status quæstionis.*
368. *Statuitur non æquivalere de se:*
369. *Sententiam tamen docentem in præsenti casu duellum licitum, non esse damnatam,*
370. *Nec carere omni probabilitate:*
371. *Non facilè tamen esse tradendam.*

367. SI quis honorem suum, labe notatum, purgare duello omittit, vel provocanti parere: tunc quandoque enormi se contemptui exponit. " Fuit Princeps, ait GOBAT (a), ad supremum duellorum judicem „ pridem evocatus, qui quemdam generoso equo donavit, quòd ab alio peti- „ tus convicio levi, mox ad duellum provocâsset conviciatorem: recusantem „ autem exponere ob ejusmodi nugas vitam utriusque periculo, percus- „ sisset, velut imbellem fæminam, baculo. „ Non ego huic Principi Philippicam hìc paro: sed miseri illius sortem doleo, qui infami hac ratione percussus, haud dubiè in publico comparere absque rubore jam non poterat: aditu aulæ, & Nobilium circulis excludebatur: & enormi cum contemptu, veluti carcinoma, horrori fuit. Nec unicus hic casus est, quo duellum recusans acerbam adeò sortem expertus est, ut æqualium societate excluderetur: ut, eo veniente ad commune hospitium, aut mensam, tacitè omnes reliqui, veluti à leproso, recederent: ut cum eo ambulare, considere, aut quamcunque operam jungere, vel commercium tractare abhorrerent. Contigit, ut, dum solenni convivio adhibebantur Ordinis Equites, unus publicè protestatus sit, se non accubiturum cum Florono Equite, utpote ferente infamem maculam. Surgere à mensa, & exesse debuit Floronus: unde rectà etiam ad pugnam descendere, sibi ille quidem fas esse arbitrabatur. Quàm dirè hæc animum honestiorem vexent, nemo est, qui non facilè capiat. An autem hæc vexatio tam gravis sit, ut æquivaleat jacturæ sustentationis necessariæ, &, quod consequitur, duellum (saltem

(a) Experim. Theol. tom. 1. p. 1. tract. 7. n. 573.

(saltem si adsint conditiones reliquæ) licitum reddat, difficilioris est indaginis. Meo judicio dispiciendum erit imprimis, an ille, quocum pseudolex congredi jubet, injuriam tibi palmarem, & manifestam fecerit? si hoc; postulabis, ut rogando veniam, vel recantando te restituat in priorem statum. Si renuat, nec quidquam flexus acerbis, quas perferre te scit, molestiis, ac vexationibus, idem erit, ac si omnes has molestias, ac vexationes ipsus tibi inferret; qui enim *facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum* (a). Censetur autem facere per alium, qui hunc non prohibet, dum tamen potest prohibere, ac debet. Si quæras, inferenti has molestias ac vexationes qua ratione occurrere liceat tum, ubi judicis copia non est: vel apertè ab hoc denegatur justitia?

368. Respondeo I. Sustentatione necessaria privari majus malum esse, quàm excludi societate æqualium. Primò, quia exclusus, modò publico abstineat, vitam privatam tranquillè nihilominus, ac commodè degere potest, vel ruri in prædiis, vel in regione alia, vel in ipsa civitate sua, modò frequentiores Nobilium circulos evitet. At spoliatus sustentatione necessaria, ex honorato loco descendere, ferre inopiam, ac per servilem operam, aut in ipsa stiva, ùt *n.* 281. narravimus, panem quærere sibi, & familiæ debebit. Difficillimum ei accidet ex emendicatis gratiis vivere, postquam antehac in alios conferre est solitus. Secundò, dum ita probrosè excluderis à compluribus, aliqui tamen erunt, qui à tua consuetudine non adeò abhorreant: qui probitati potiùs tuæ, quàm ignaviæ adscribant recusatum à te duellum. Mora fors cæteros mitigabit: vel alia occasio se offeret strenuè agendi, & eluendi contractam notam. Dein, etsi æquales respuant consortium tuum, habebis pro solatio homines gradus nonnihil inferioris, aut conditionis alterius. Quòdsi tertiò conspiratio æqualium contra te sit unanimis, & cum aliis agere non detur, uti militiæ contingere potest, conjuncta ùt plurimùm erit huic exclusioni jactura dignitatis, & sustentationis, sæpe ab ea dependentis. Quid autem pro tuenda sustentatione, aut dignitate liceat, dictum §. *præcedente* est. Ex quibus conficio, sustentatione necessaria privari majus malum esse, quàm

(a) R. J. 72. in 6.

quàm æqualium commercio excludi. Infero: ergo ex hoc, quòd pro ſervanda ſuſtentatione duellum aliquando inire liceat, inferri tutò non poteſt, quòd etiam liceat pro ſervando illo commercio; quamvìs non diffitear, nobili, vel militari animo probroſam excluſionem meritò accidere moleſtiſſimam.

369. Reſpondeo II. Si quis tamen doceret, etiam pro aſſerendo ſibi commercio, licitè ab excluſo duellum ſuſcipi, doctrinam hanc in propoſitione damnante duellum, quod vir equeſtris ſuſcipit, *ne timiditatis notam incurrat*, non contineri: neque in ulla alia. Certè non agitur hìc de inani honoris umbra, aut crabrone nidulante in cerebro: agitur de vita tranquilla, ac honeſta, de bono illo ſocialis commercii, de jure frequentandi honoratos conventus, & circulos, de honore liberorum, ac totius familiæ agitur. Æſtimabile hoc bonum non crediderim comprehendi in *nota timiditatis*, de qua propoſitio Papæ ALEXANDRI. Alia autem damnata propoſitio, huc quadrans, non occurrit: ergo hæc ſententia, ſi quis eam doceret, pro damnata habenda non foret.

370. Reſpondeo III. Neque ea doctrina careret omni prorſus probabilitate. Pro fundamento ſuo poneret jus illud, quod quilibet habet ad ſociale commercium pro ratione ſtatus ſui: quod ſicut eſt maximè æſtimabile, ita eo privari eſt ſummè acerbum. Excluſus hoc jus vindicat contra eum, qui excluſionis inchoatæ cauſa extitit injurioſè lædendo, aut iniquè provocando: & excluſionis continuatæ cauſa exiſtit adhuc, dum ſatisfacere pro læſione, vel deſiſtere à provocatione non vult, ùt tamen deberet. Ferme ſicut alius rapit jus ad ſuſtentationem neceſſariam, ùt explicatum eſt à *n.* 259.

Contrà opponi ex SCHWARZIO quædam poſſunt (a): " Negatur „ ſcilicet, quòd ille excluſus ſit *invaſus*, & quòd honori ſuo non meliùs „ poſſit proſpicere vel via juris, vel via conteſtationis, naturæ rationali con„ grua, dicendo: ſeſe paratum, haud ſanè fuga, ſed defenſione juſta ſe „ tueri adverſus injuſtum aggreſſorem: duellum tamen non acceptare; „ quia naturalibus, Divinis, & humanis legibus adverſum. Unde negatur

(a) J. N. P. I. tit. 4. inſtr. 3. q. 3.

tur rursus suppositum; recusationem talem esse ullatenus ignominiosam, " nisi fortè apud militum vappam, hac in re pessimè persuasam, apud " homunciones improbos; & diaboli spiritu animatos, quorum persua- " sioni si quid tribuendum foret; etiam provocatio ob qualemqualem in- " juriam foret licita; quod, teste P. VIVA, nemo hactenus tam fuit insa- " næ mentis, ut somniaret. Item quævis vindicta de inimico esset su- " menda, & pleraque scelera ex respectu humano licitè perpetranda. " ℞. Utut laudatissimo hæc zelo dicta sint, non video tamen, quî miserè exclusum juri suo restituant. Ea contestatione aërem verberabit, & surdis canet fabulam; certè sæpe contingere poterit, ut usui esse nequeat sugge- stum consilium (*vid. n.* 83. 84.). Neque etiam cum *militum vappa*, aut homuncionibus *improbis* ei res est; primores Duces, virísque cæterà secta- tores honesti, ac decori, passim æstimati, atque in authoritate constituti eum refugiunt. Et quid tum si improbi sint? hoc argumentum SCORTIÆ jam supra *n.* 215. PIGNATELLUS *scotiam* dixit. Via juris, excluso commen- data, repagulo clauditur, ubi apertè denegatur justitia. Neque sequitur, provocationem ob *qualemqualem* injuriam fore licitam; non enim alia tam *clara*, tam *ponderosa* erit atque isthæc exclusio: nec tam *certò*, & unicè per duellum averti poterit. De *calumnia* ostendimus alibi, quòd incertum sit, oriturum exin grave damnum: & adhuc incertius, quòd damnum illud qualecunque per duellum possit tolli, & quidem unicè. In nostro autem casu exclusus commerciò certus est de damno suo: certus quoque est, hac ratione se restitutum iri suo juri: nec alia ei ratio apta occurrit consequendi jus suum. Accedit, quòd tantum malum non sit timendum societati hu- manæ, si ab exclusione hac ignominiosa liberare se liceat armata dextera, quàm si in casu calumniæ hoc liceret; proni enim nimium quantum su- mus ad dicenda mala de aliis, & æquè proni ad ea in deteriorem partem accipienda, si de nobis dicantur. Dein quotidianæ sunt calumniæ: non autem quotidie post frustra adhibitas curas alias quis de societate excludi- tur. Eadem ferme ratio est, cur *convicia*, exprobrationes, illusiones &c. duello rectè vindicari negavimus: neque adeò durum est hos, quamvìs re- petitos, sarcasmos concoquere, quàm videre sodales, refugientes à nobis, velut à lue publica. Responsum hoc fortiori jure illi injuriæ applicabitur, quæ inulta *solam timiditatis* notam afferret. Neque sequitur, *vindictam*

(saltem puram) *aliáve scelera* in hac doctrina patrocinium invenire; si quidem sint intrinsecè mala, ùt ostensum est *n.* 267. Demum & illud non stringit, quòd exclusus non sit *invasus;* invaditur enim, ùt dictum est *numero præcedente*, ejus jus, quod habet ad commercium cum honoratis viris, etsi corpus, & vita non invadatur.

371. Respondeo quartò, antequam statuatur, num licitum sit pro præsenti difficultate duellum, bene perpendendum id, quod sæpius jam inculcatum est; duellum scilicet malum esse, cujus licentiam non nisi gravissima de causa asserere liceat. *vid. n.* 256.

Neque opponas, nobilem animum non ferre mitiùs probrosam hanc exclusionem, quàm jacturam nescio quantam opum, vel ipsius etiam sustentationis necessariæ. ℞. Licèt non minùs acriter à quopiam sentiatur: minus tamen in se malum est, ùt dictum *n.* 368. Dein recolenda sunt ea, quæ disputata sunt *n.* 269. in simili difficultate, ubi nempe vidimus, in ratione defensionis quandoque debere esse discrimen, quamvìs in pretio res, quæ defenduntur, non admodum differant, uti *e. g.* fama & vita, quæ æquali passu dicuntur ambulare, non tamen æquali ratione defenduntur licitè. Idem ergo de exclusione probrosa dici poterit, quamvìs nobilem animum non minùs cruciet, quàm jactura opum, nescio quanta. Quæ cùm ita sint, nihil in hac quæstione certi decidere ausim. Exspectabo, quid post me dicturi sint doctiores me; ante me enim nullum scio, qui expressè hanc quæstionem examinaverit.

## ARTICULUS III.

### *Enucleatur tertia Conditio, id est,* Justitia apertè denegata.

SUperest examinanda tertia Conditio ad duelli licentiam requisita. Quid sit apertè denegari justitiam, explicavimus *n.* 290., quòd non raro apertè denegetur, ostensum fuit *n.* 281., quòd eâ sic denegatâ licitè quis ad duellum progrediatur, colligere est ex *n.* 288. Quærendum hoc loco superest, primò, an debeat adiri etiam ille judex, qui præscitur denegaturus justitiam. Secundò, an non aliquando uti quis possit *licentia præsumpta* Principis sui ad duellum.

§. I.

## §. I.

### An debeat adiri Judex, qui præscitur denegaturus Justitiam?



372. AUditus est non unus vir militaris, læsus in honore, secum ipso ita disputare: Quid agam? Sopiri malum apud legionem meam jam non potest, postquam in flammam erupit. Ad tribunal judicis recurram? At novi, aliis hoc Palladium auxilio non fuisse. Interea, dum inutiles moras traho, nota timiditatis ferenda est, & nihilosecius demum pugnæ alea erit tentanda, nisi fortunis exui miser malim. Præstat ergo sine ambagibus malo exitum quærere. Quid juvat pulsare fores, quas non aperiendas fore scio. Qui, inito ita secum consilio, ad duellum descendit, num excusari æquè mereatur, ac alius, qui implorare judicem non neglexit, modò stat inquirere.

373. Videtur omnino; ut quid enim opem quærat ibi, ubi eam se non inventurum prævidet? accedit, quòd ipsimet ejusmodi Judices, ac Principes gratum habeant, si nemo ipsis aurem vellicet, ut scilicet tanto faciliùs connivere possint. Athleta ergo noster non ex inani fundamento credit se repositum in statu naturali (*vid. n.* 288.), idque ex tacita voluntate, aut licentia judicis.

374. Dicendum tamen videtur, nulla ratione licere, brevi hoc compendio ad duellum procedere. Sanè doctrina, hanc licentiam asserens, perniciosa esset ùt quàm maximè; sic enim lex, præcipiens læso implorare officium judicis, paulatim in desuetudinem veniret; ab illata recenter injuria fumantes viri militares, aliíque nobiles, moræ impatientes, persuaderent sibi facilè, nihil præsidii in superiore potestate sibi esse reliquum, nihil spei. Modò unum, alterúmve tale exemplum memoria tenerent, mox, eo firmati, causam suam eodem loco censerent repositam, unámque in armis esse salutem. Sic sæpe, etiam dum vellent judices opitulari, neglecti præterirentur, quo quid ad effrænem duellorum licentiam propagandam nocentius excogitari possit, non video. Insuper iniquitas

compendiariæ hujus conclusionis ex eo patet; primò, *quòd præsumptio stet pro judice*, isque existimandus sit suo non defuturus officio, nisi manifestis argumentis suam negligentiam demonstret. Secundò, si minùs strenuum se exhibuit in causa una, non sequitur, eum etiam in altera fore somnolentum; non semper dormit Princeps, aut judex: fortè aliàs partium studiis abreptus, vel sinistrè edoctus opem non tulit, laturus tamen modò. Tertiò Senatus militaris Senatores suos non rarò mutat, succedentibus aliis, quorum unus quandoque vir integer, atque magnanimus collegas suos animare, & exulem Themidem reducere valeat. Itaque spectatis his omnibus, exspectandum esse arbitror, donec clarè deprehendatur, supremam potestatem, nec quidquam imploratam, nolle succurrere, seu apertè denegare justitiam. Præcipuè cùm exinde nulla gravis molestia accedat imploranti, & exspectanti; quòdsi enim profiteatur, se, æquitate naturali, non timore ullo inductum causam ad judicem competentem detulisse, paratum cæteroquin defendere stylo ferreo se, suáque bona, si quidem ille patrocinium negaret, nihil interea, vel parum vexationis sustinebit.

375. Quòdsi autem naufragium fortunæ tuæ ita jam in propinquo esset, ut moram non admitteret, certò peritura damno nunquam reparando, si tempus ad justitiæ fores teratur, tunc crediderim licere sine ambagibus absolvere negocium: ferme sicut contra prædonem, aut furem armis licitum est sua tueri, si properato sit opus, nec vacet adire judicem. Sed simul existimo, rarum prorsus ejusmodi fore casum ex causa ignominiarum, ubi urgens necessitas viam juris quærere prohibeat.

Habeto tamen factum, ubi id prohibuit. Cajus in militari quadam dignitate constitutus, clam subduxit Titio nobili marsupium ducentis fœtum aureis, quo viatico lætus (exterus quippe erat) citis equis in patriam abiit. Titius, notato furto, insequitur Cajum, ex indiciis non inanibus, imò gravissimis, sibi suspectum. Cúmque in nocturna statione sui securum deprehendit, restitui sibi postulat ablatum. Negante Cajo, & contra injuriam obstrepente, profert indicia Titius: unde territus, ac in ruborem datus ille subducere se parat, ac viam prosequi, nullo relicto dubio de furto admisso. Judex in loco non aderat, qui delato ad se reo manus injiceret: neque equi, quibus Titius vestigia fugituri premeret; utpote qui

ab

ab hoc jam erant conducti. Itaque Titius, ne occasionem ultimam recuperandi aureos suos omitteret, stricto gladio jus suum exigit: dúmque alter, tam ad nummos, quàm ad famam servandam arma armis opponit, fit pugna. Nemo, credo, erit, qui Titium volet obligatum dicere, ut, omissa vi armata, judicem adiret, & interea elabendi spatium daret Cajo. Aliter se res habet in aliis casibus, prout *num. præcedente* recensiti sunt.

## §. II.

### An non aliquando uti quis possit licentia præsumpta sui Principis ad duellum?

376. 377. 378. *Tota quæstio illustratur triplici casu, negatúrque ubique licentia.*

376. UT clarior sit quæstio, triplicem proponam casum, auditu non indignum. I. Leander, vir militaris, ac nobilis inconsultè aliquando per contemptum acre scomma effutiverat in Principem exterum, quod ubi audierat præsens fortè Hector, Principi huic à servitiis, ad se pertinere ratus ejus honorem vindicare, acriore rejecto in Leandrum convicio, ad duellum provocavit. Post tempus, ubi se in sacro pœnitentiæ tribunali stitit, narravit equidem factum, nil tamen admodum se peccâsse credebat. Negante sacro Judice, hoc duellum fuisse licitum, opponit Hector, *præsumpsisse* se, ac persuasisse sibi, id probandum fore Principi suo, cui, cùm in exterum hominem, extra ditionem suam existentem, nil juris esset, neque puniendi occasio, utique fas fuisse demandare sibi provinciam vindicandi injuriam. Non omni specie veri carere videtur excusatio pœnitentis hujus. Competebat utique suo Principi jus belli publici contra nationem, vel Principem exterum, si quidem ab his læderetur graviter: ergo videtur eidem competere jus belli privati contra hominem privatum; & cùm ibi mittere exercitum fas sit, hìc mittere virum unum poterit, data facultate, quin etiam mandato, ut duello petat protervum hominem. Quòdsi autem Princeps hanc facultatem, aut mandatum *expressè* dare posset, ubi adesset præsens; poterit etiam dare *tacitè*, & hanc datam sibi *præsumere* fidelis subditus; tunc enim rectè *præsumimus* facultatem, quando prudenter arbitramur, eam futuram fore voluntatem præpositi, si quidem præsens esset, vel de re edoceri posset.

 Sed

Sed contra sic arguo: Princeps ab extero privato homine læsus in honore, non potest cuiquam suorum demandare provinciam reum evocandi ad duellum: ergo multo minùs Hector uti potuit hac facultate, tanquam *præsumpta*. Princeps juxta jus naturæ, & gentium tenetur, querela sua ad Principem lædentis delata, exigere, ut hic pro honore læso satisfieri sibi curet; sicut enim regio, sic & potestas regentis limites habet, quos transilire si daretur, quæ rerum confusio nasceretur! Quòdsi Princeps requisitus petulantiam sui subditi castigando, satisfacere curet læso, contentus hic sit oportet: &, restituto sic honore, nil alia violentia est opus. Si satisfactionem non obtineat læsus Princeps, per omnes provinciæ suæ fines promulgari curet, ut nebulo ille, quamprimum deprehendi à quopiam possit, illico detur custodiæ, trahendus ad pœnam debitam. Hoc modo satis vindicata existimatur summa authoritas, dum, quantum in se est, inultum non sinit abire jactum probrum. Et hæc vindicationis ratio plus affert ad existimationem tuendam, quàm monomachia inter duos privatos celebrata; nam si fortè vindex sui Principis etiam succumberet, an non risu exciperetur inanis conatus? cùm ergo Princeps læsus pugnandi officium Leandro suo demandare salva recta ratione non potuit, multo minùs hoc officium sibi demandatum *præsumere* Hector debebat. *Multo minùs*, inquam; nam dato etiam, quòd facultatem committere Princeps posset: non tamen illico commissa præsumi potest ad quodvis convicium; fortè Princeps mallet alia via honorem suum vindicare: fors de convicio monitus solo contemptu id judicaret dignum. Id certum, si privati cujusque judicio res decidenda relinqueretur, plurimos abusus fore secuturos. Ergo peccavit Hector, nisi conscientia, *invincibiliter erroneam* quam dicunt, eum excuset, qualem dari posse etiam in iis rebus, quæ naturæ jure prohibentur, si ex primis juris naturæ principiis *mediatè, & operosè* deduci debeant, docet communior cum D. THOMA (a).

377. II. Imperante LEOPOLDO Cæsare, ut notus ejus vitæ Scriptor Latinus narrat, Heisterus, celebre bello nomen, cum Legato cujusdam Regis exteri convivio adhibebatur in aula neutrarum Partium, quo tempore

(a) 1. 2. q. 100. a. 1.

pore bellum duos illos summos Principes colliserat. Super mensam primò Regis Legatus poculum libabat in sanitatem sui Regis, cui respondere non dubitavit Heisterus. At hic paulò pòst etiam Imperatoris incolumitati coronato cyatho bene precatus, convivas, Legatum præcipuè, invitabat, ut paria rependeret. Dum verò hic primò cunctaretur, tùm apertè abnuit, ecce! Heisterus vas, ùt plenum mero erat, ei audaci jactu in faciem effundit. Territi convivæ surgunt à mensa, omnémque vim ulteriorem inhibent. In ædes suas reversus Legatus, probri accepti impatiens, aliud sibi nil credebat superesse, quàm ut Heisterum ad duellum evocaret; id enim credebat exigere honorem Regis sui, læsi in Legato. Idem honori proprio necessarium ducebat; nam facilè divinabat, se in Regia contemptui futurum, quandocunque rediret inulto probro. Cùm ergo neque in aula Heisteri, neque in sua auxilii quidquam speraret, quærit fors nonnemo, an non potuerit sibi persuadere, seu *præsumere* à Rege suo tacitè sibi fieri facultatem movendi bellum privatum Heistero?

Ajo, non poterat; Regis enim honor facto Heisteri passus nil fuerat. Veneratus est Regem Heisterus: idem quoque rependere Imperatori debebat Legatus; hæc certè voluntas erat Regis, ut redhiberentur humanitatis officia, quamvìs hosti. Errorem ergo jam suum luat, quem quidem, ut fatear, Heisterus nonnihil justo acriùs ei exprobravit, correctione admodum dura, qua modum excessisse videri poterat: nec tamen ideo Legatus jus acquisivit eum aggrediendi duello; nam alibi jam statuimus (*vid. n.* 335.), nefas esse provocare ob læsionem acceptam, quam sibi quis per illatam antea læsionem accivit. Ergo defuit conditio prima, ad duellum licitum requisita. Neque secundò in judicem culpam rejicere potest apertè denegantem sibi justitiam; non enim, credo, ad Regem causam suam deferre auderet Legatus, vel etiam auditus juberetur sibimet imputare malum, quod ineptè accersiverat in caput suum. Vel si deferre ad suam, vel aulam Heisteri causam se posse speret cum fructu, deferat omisso duello. Tertiò, necdum constat de tanto fortunarum dispendio, ut etiam sustentatio necessaria esset peritura. Nulla ergo conditionum aderat, sine quibus duellum illicitum pronuntiavimus.

378. III. Narravi suprà *n.* 281. qua ratione Bohemus quidam Comes in Aula extera probrum, jactum in totam Nobilitatem patriæ suæ, duel-

duello vindicaverit, ſpectante Principe extero, renuente alio modo ſatisfactionem præſtare læſis. Sed num bene juxta leges conſcientiæ? de laude enim profana, quam copiosè utique collegerit, nihil ei hic detractum velim. ℞. Neutiquam; ſi enim ipſemet Rex Bohemiæ fuiſſet ſcommate impetitus, duellum Comiti fuiſſet illicitum, ùt ex *Caſu I. hujus* §. patet: ergo multo minùs, dum Nobilitas fuit læſa; hæc enim jus belli publici non habet: ergo neque committere potuit. Neque habebat jus belli privati pro hoc caſu; quia à Rege ſuo poterat, & debebat flagitare, ut, patrocinio cauſæ in ſe ſuſcepto apud Principem exterum, conviciatoris dominum, flagitaret pœnam reo: vel etiam hac negata, promulgaret per univerſum Regnum, ut nebulo, deprehendi ſi ullo unquam tempore poſſit, cuſtodiæ detur. Satìs jam videntur explicatæ tres illæ conditiones, ſub quibus licitum diximus duellum eſſe. Unde progredi modò juvat ulteriùs.

CAPUT

# CAPUT VII.

## QUOMODO IN STATU CIVITATIS BENE ORDINATÆ DUELLUM PROHIBEATUR LEGE DIVINA.

EMersimus tandem ex Babylonia, seu Statu Civitatis malè ordinatæ, in qua leges quidem aliquæ, contra duellum latæ, extant (quæ enim hodie gens est, quæ hoc certandi genus non prohibuerit?) at malè custoditæ cedere debent pseudo-legi tyrannicæ. Nunc ingredi juvat Civitatem bene ordinatam, sive illam, in qua duellorum licentia coërcetur, dum Magistratus legibus authoritatem, boníque cives obedientiam præstant. Cúmque variis legibus idem crimen prohiberi queat, Civili, Ecclesiastica, Divina &c., per hæc omnia legum genera duellum circumducemus, *à Lege Divina* facturi initium præsenti Capite, in quo geminis Articulis *primò* declarabitur Lex Divina duellum prohibens. *Secundò* respondens hujus legis transgressioni Pœna, & Obligatio.

## ARTICULUS I.

### *Declaratur Lex Divina duellum prohibens.*

LEx Divina alia potest dici *Naturalis:* aliá *Positiva.* Legem naturalem, alibi, *n.* 175., jam definitam, *Divinam* non immeritò appello; passim enim dicitur, quòd sit *ordinatio Divinæ Sapientiæ* &c. vel *voluntas DEI necessariò obligantis* &c. exolevítque illa definitio VASQUII docentis, legem Naturalem esse ipsam naturam rationalem (a). Unde etiam SENECA (b) legem naturalem expresse appellat *Divinam.* Hanc juxta Apostolum (c) *scripsit DEUS in cordibus* hominum. Econtra lex illa dicitur *Divina positiva,* quæ

Nn autho-

(a) Vid. *Suarez* de LL. l. 2. c. 3. n. 5. (b) De Benef. l. 4. c. 7. (c) Rom. 2.

authore DEO liberè condita ultra juris naturalis placita aliquid ponit. Ad hanc ſpectant veteris Teſtamenti leges judiciales, cæremoniales, quin etiam morales illæ, quas in Decalogi tabulis exaratas legimus; licèt enim hæ (fortè unica excepta) ſint juris naturalis: tamen placuit DEO ea repetere, & ſcripto tradere, ut tanto magis inculcarentur intellectui humano, per Originale peccatum obfuſcato, & de humanarum actionum bonitate, vel malitia ſiniſtrum ſæpe ferenti judicium, ùt docet D. THOMAS (a). Igitur videamus, quomodo duellum in Civitate bene ordinata prohibeatur, tam lege Divina naturali, quàm poſitiva: ſive tam illa, quam DEUS ſcripſit in cordibus noſtris, quàm altera, quam ſcripſit in tabulis Moyſis.

## §. I.

### Quomodò duellum in Statu Civitatis bene ordinatæ prohibeatur lege Divina naturali?

379. *Præmiſſis notandis,*
380. *Demonſtratur duellum ea lege prohiberi clarè, atque*
381. *Confirmatur ſententiâ Principum, & communi aliorum.*

379. EQuidem alibi (ſcilicet *Cap. IV.*) probavimus, quòd in Statu naturali duellum prohibitum non ſit pro uno, alteróve caſu: notandum autem, aliud eſſe, quòd *in Statu Naturali* non ſit prohibitum jure naturæ: aliud quòd non ſit *jure naturæ* prohibitum in ſtatu Civitatis bene ordinatæ; nam jus naturæ, quod viget in utroque hoc ſtatu, pro ſtatu uno concedere poteſt, quod prohibet pro altero. Sicut ergo pro Statu naturali non prohibet, ut quis vindicet privata authoritate ſua ſibi bona: quamvìs id pro Statu Civitatis bene ordinatæ interdicat, ubi judex læſo patrocinatur: ſic potuit jus naturæ pro Statu naturali in uno, alteróve caſu non vetare armatas honoris vindicias, eaſdem tamen damnare pro Statu Civitatis bene ordinatæ. Sic jus naturale (Conſtitutiones varias, præcipuè *Art. 17. §. 7. Inſtrumenti P. W.* huc non refero) concedit Statibus immediatis Imperii bellum

(a) Apud *Suarez* de LL. l. 9. c. 4. num. 19.

lum gerere contra exteros, nulli tribunali Imperiali ſubditos: vetat autem bellum Statûs contra Statum, eo quòd iſti judicem agnoſcant.

380. Ut jam demonſtrem, duellum honoris vindex pro *Statu Civitatis bene ordinatæ* jure naturæ damnari, recole, quod alibi dictum (*n.*176.) illud ſcilicet refragari juri naturali, quod ad felicem humanæ naturæ ſtatum expedit eſſe prohibitum. Cujus felicitatis deprehendendæ indicium ſuggeſſi, conſenſum ſcilicet hominum in eam interdictionem, ſi ante omnem caſum particularem fuiſſent conſulti. Jam verò expedire ad felicem naturæ humanæ ſtatum, ut duellum honoris vindex prohibitum ſit: atque in hanc interdictionem homines antecedenter ad omnem particularem caſum conſenſuros fuiſſe, non eſt dubium, modò quis conſideratò legere velit, quæ fusè toto *Cap. II.* peroravimus. Demonſtratum ibi fuit, duellum neutiquam eſſe veræ fortitudinis argumentum: eſſe ineptum ad finem ſuum: eſſe crudele: injurioſum Magiſtratibus: noxium Reipublicæ: ignotum olim moratis gentibus: Chriſtianæ legi ſummè contrarium. Et ne malè objiceretur illud (a): *quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum*, fuſiùs oſtendi ex ſapientiſſimorum Principum Statutis, cruentas has honoris vindicias neutiquam eſſe neceſſarias, modò ſupremi Magiſtratus ſaluberrimis ſuis Conſtitutionibus firmi inhæreant. Cúmque hoc agere ſoleant in Statu Civitatis bene ordinatæ, ſatìs clarè ſequitur, pro eo ſtatu duellorum veſaniam felicitati humanæ gentis repugnare, adeóque jure naturæ prohiberi.

381. Condemnârunt eandem expreſsè, tanquam juri naturæ contrariam plura ſapientiſſimorum Principum edicta, lata contra duellum: nominatim Concluſum Imperii (b), Edictum Brunſwicenſe Electorale (c), Saxo-Gothaicum (d), Guelpher-Bytanum (e).

Aphoriſmi Monomachorum *e.g. Vita, & fama pari paſſu ambulant*, tum alii ſimiles, jam alibi ventilati ſunt, & vel in ipſo Statu naturali rejecti inter paleas; non opus eſt pluribus. Profectò neminem facilè ita efferum vidi, qui non duellum proprio quoque ſuffragio ex ſolo rationis lumine damnaret, modò Magiſtratus, & Principes honorem læſum reparare, nutantem fir-

 mare,

(a) C. 4. ✠ de R. J. (b) An. [illegible]. (c) An. 17[illegible]. (d) An. 1646. (e) An. 1646.

mare, & oritura damna præpedire vellent seriò, & possent cum efficacia. Ita sæpius candidè testantes audivi. Et quis miretur? non exigua servitus est, quam nemine invidente Nobilitas inter suas prærogativas numerat, paratum quotidie sanguinem circumferre, effundendum ad convicium unius trifurciferi.

## §. II.
## Quomodo prohibeatur Lege Divina positiva?

382. *Prohibetur Præcepto V. Decalogi; primò quia DEUS habet dominium vitæ,*
383. *Cujus affertur genuina ratio.*
384. *Potest tamen potestatem occidendi aliis quandoque committere,*
385. *Quam Monomachis promiscuè concessam malè probat Anonymus quidam.*
386. *Affertur altera ratio prohibiti à DEO duelli.*

382. MAndatum illud: *Non occides*, lex Divina est, & *positiva*, quatenus inserta est Decalogo. Prohibet DEUS, ne quis ausit necem moliri cuiquam hominum, & hoc quidem æquissimè; indignè fero, si quis servum meum, vel bovem occidat, cur DEUS hominem aliena malitia perimi sinat? DEI, qui mortis, & vitæ potestatem habet (a), dominium invaditur, dum invaditur vita hominis: qui solus fecit hominem, sibi quoque potestatem vitæ, & necis reservavit. Quo præcepto non id duntaxat vetatur, ne quisquam in alienam vitam grassetur: sed etiam, ne in suammet, nisi ad id authoritatem à supremo Domino acceperit, prout Ducibus D. AUGUSTINO (b), & THOMA (c), communis & certa Doctorum censet, quamvis modum hanc veritatem probandi arripiant varium.

383. WOLFIUS homini non competere dominium in vitam suam demonstrat ex eo (d); quòd obligatus sit *ad vitam conservandam*, hoc est, ad facienda ea, quæ ad corporis conservationem conferre possunt: & ad non facienda, quæ idem destruunt. Ut tamen verum fatear, quomodo ex obligatione conservandi, negetur *dominium*, non satis perspicio; ipse Illu-

(a) Sap. 16. (b) L. 1. de Civ. c. 20. (c) 2. 2. q. 64. art. 5. (d) J. N. P. I. §. 351.

Illustris hic Author (a) docet, hominem obligari ad conservandum patrimonium, quo nomine intelligit omnia bona sua (b), & contra jus naturale agere, si dilapidet (c), maximè si alat familiam: & tamen docet (d), patrimonii sui quemlibet habere dominium. Ergo ex obligatione aliquod bonum conservandi non bene negatur dominium. Rationem aliam dant alii hanc (e); quia scilicet vita, & membra non sunt fructus industriæ nostræ, sed miserentis Dei prima, & summa gratia in ordine naturali: quæ proin tantùm precariò, non proprio jure possidemus. Verùm etiam hæc probatio fors difficultatem pateretur, si opponerentur feræ, & illæ fruges terræ, quæ nec ipsæ sunt fructus nostræ industriæ: dominio tamen nostro subjectæ sunt. Itaque tertiò alii sic probant: Ex una parte certum est, Deum, utpote Creatorem & Conservatorem obtinere vitæ dominium, non secus ac figulus est dominus vasis à se ficti: ex altera verò parte neque ex SS. Litteris, neque ex ratione quadam naturali constat, quòd Deus potestatem, seu dominium in vitam nobis concesserit. Ex SS. Litteris constat potiùs contrarium, juxta illud: *Non occides.* Meretur in hanc rem legi Augustinus refutans insaniam Circumcellionum, occisionem suimet habentium pro perfectissimo Martyrii genere. Item illa ejus verba: " Non " frustra in sanctis Canonicis Libris nusquam nobis divinitus præceptum, " permissúmque reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, " vel ullius carendi, cavendíque mali causa nobismet ipsis necem inferamus; nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait: *Non occides*, præsertim quia non addit: *proximum tuum.* „ Ex ratione quoque naturali colligitur contrarium; periculum námque foret, ne data tali licentia, plurimi, vitæ hujus pertæsi, horrore ærumnarum præsentium, aut desiderio vitæ futuræ se ipsos occiderent; si enim nunc, dum viget persuasio de gravi mandato prohibente, non desint, qui ad finiendas hujus vitæ molestias sibimet violentas manus inferant; vel vano honoris stimulo impulsi monomachiis, & rixis se exponant, licèt præsciant, se hac via mortem æternam incursuros: quantus eorum esset futurus numerus, si licitè id fieri posset sine conscientiæ repagulo, ac dispendio salutis æternæ?



(a) P. II. J. N. §. 458. (b) §. 452. (c) §. 460. (d) §. 456. (e) Cum *Schmier* Jurispr. Can. Civ. l. 3. tr. 2. c. 2. n. 357.

Neque habet homo membrorum ſuorum tale dominium, ut pro libitu poſſit ea abſcindere, aut mutilationi (quod in duello fit) temere objicere, prout pridem ULPIANUS edixit (a): *Dominus membrorum ſuorum nemo videtur.* Ratio eſt eadem; DEUS creando, & conſervando fit dominus membrorum: ergo nemo, absque injuria erga DEUM, ſuum, vel alterius corpus mutilare valet, niſi ad hoc DEUS ipſe fecerit poteſtatem. Atqui feciſſe cuivis hanc poteſtatem, nec ex SS. Litteris, nec ex ratione naturali conſtat, imò conſtat contrarium: ergo &c.

Ex his liquet, utrumque monomachum, tam provocatum, quàm provocantem contra jus Divinum facere, dum ex condicto in pugnam deſcendunt; quia neuter accepit poteſtatem à DEO, ut in alterum ſæviat. Neque alter alteri hanc poteſtatem facere poteſt; diſponeret quippe de re, & jure alieno.

384. Econtra DEUS, ſicut ipſe dominus vaſis pro libitu vas confringit: ſic hanc poteſtatem, ſi convenire videatur ſuæ ſapientiæ, communicare aliis poteſt. Et hanc conceſſiſſe Magiſtratibus cenſetur, id quod colligitur non tantùm ex SS. Paginis, ſed etiam ex ratione naturali; ut ſcilicet noxii ex Republica tollantur homines, & reliqui contineantur in officio. Utrùm autem hæc poteſtas Magiſtratûs ſit *dominium*, & Magiſtratus dicendus ſit *dominus vitæ*, & *necis*, ad modum loquendi pertinet. Dicas pace mea *dominium imperfectum;* quia tantùm nomine, & authoritate DEI hanc poteſtatem Magiſtratus exercet. Pari ratione hanc poteſtatem privato cuique homini pro certo rerum articulo conceſſam fuiſſe ex ratione naturali colligimus, ut ſcilicet contra vim injuſtam moderatè ſe defendere poſſit, nec bonus quisque pati debeat à violentia malorum ſe opprimi tunc, dum in Magiſtratu nullum eſt auxilium. Colligimus etiam, quòd non bona corporis tantùm, ſed & bona fortunæ magni pretii tueri privato liceat etiam nece prædonis, ſi opus ſit. Item quòd ſemet rectè exponat periculo ad certum, & grave ejusmodi damnum avertendum: quin & membrum abſcindere poſſit ſibimet ad conſervandam vitam corporis.

Oppo-

(a) L. 13. ff. ad L. Aquil.

Oppones. Si Deus hominibus non concessit potestatem in duello occidendi, & mutilandi, quo jure à nobis *Cap. IV.* defendi potuit, licitè factam, & acceptatam fuisse eam provocationem? ℞. Provocationem illam extitisse in Statu naturali, vel in Statu Civitatis malè ordinatæ, qui quoad hoc illi æquivalet; cùm in neutro præsidium in judice læsus, aut provocatus inveniant. Sicut ergo in casu, quo quis bona sua contra vim prædonis servare non potest ope judicis, potestas pugnandi contra prædonem, quin & occidendi, si opus sit, à Deo concessa tum ex SS. Paginis, tum ex ratione naturali colligitur: sic & nos bene arguimus, pro defendendo contra injustè lædentem honore, cujus jactura cum ingenti bonorum strage conjuncta est, à Deo concessam fuisse potestatem pugnandi, etiam cum vitæ periculo, si opus sit.

385. Ex his patet, Anonymum quemdam non ita pridem promiscuam pro duello licentiam in scripto quodam suo, quod per multorum manus circumvolitabat, minùs scitè asseruisse. Abrahamum afferebat, cui potestas facta à Deo est occidendi filium: Israëlitas item, quibus jus belli ab eodem collatum: ergo, concludebat, viris quoque militaribus, ac nobilibus data facultas est vitam exponendi in duello. Quàm misera hæc consecutio! cur non intulit: ergo etiam patri cuique fas est occidere proles suas? vel: ergo etiam Catholici jus obtinuêre à Deo cruento bello evertendi absque ullo jure ac titulo regiones Acatholicorum, atque infidelium, ferme sicut Israëlitæ occisis incolis occupavêre terram promissionis? Nempe aliud est, quòd Deus possit dare potestatem: aliud quòd dederit. Hoc probari debet: non autem ex concessa potestate pro uno casu bene infertur, etiam eandem pro altero casu fuisse concessam, nisi in utroque par sit ratio. In casu, quo ego duellum licitum dixi, par est ratio cum casu illo, quo contra prædonem mea bona tueor (*vid. n.* 259.): cùm ergo pro hoc casu Deus concessisse potestatem occidendi prædonem meritò credatur: etiam pro casu, quo duellum initur, debitis conditionibus vestitum, concessisse credendus est facultatem occidendi, si opus sit, iniquum antagonistam. At quàm dispar omnino ratio intercedit inter factum Abrahami, & inter promiscuam illam duellorum licentiam! Imò, quis Abrahami factum probaret, vel Israëlitarum bella, nisi datum eis mandatum ex Dei verbo clarè intelligeremus? ostendat ille Anonymus simile mandatum:

vel

vel ex ratione simillima suam facultatem confirmet; secùs cariosa est ejus argumentatio. At utinam fidem non invenisset malè claudicans Dialecticus apud sui similes!

386. Duellum lege Divina vetari hactenus ostendimus ex dominio Dei in vitam hominum. Et en! nova emergit ratio. Hujus vitæ usumfructum, vel administrationem, homini concessit Deus ille, *qui vitæ, & mortis habet potestatem* (a). Hoc ergo usufructu qui tentat privare hominem, injuriam huic infert, læditque charitatem eo graviùs, quo pretiosior homini is ususfructus est. Atqui hoc facit monomachus, qui iniquè vel provocat, vel alterum, negando satisfactionem, ad provocandum cogit; vulnera enim, ipsámque fortè necem infert, vel certè inferre non horret. Dum verò semetipsum neci, & vulneribus exponit, contra charitatem peccat, quam sibimet debet: item contra jus Dei, qui bonum, vitam scilicet, & integritatem membrorum, in usumfructum concessit ea lege, ut servaretur incolume, nec exitio frivolè exponeretur: ergo monomachus multiplici nomine legem Divinam tam naturalem, quàm positivam violat, utpote in Deum injurius, & hominem.

## ARTICULUS II.

### *Declaratur respondens transgressioni Legis Divinæ pœna, & obligatio.*

CAudata sunt delicta pleraque; trahunt etenim pœnas post se, dandas Divinæ Nemesi; &, si quidem damnum cuiquam hominum inferant, obligationem id resarciendi. Utrumque in duello illicito accidere potest; eo quòd monomachus, ùt primùm antè dixi, in Deum, hominémque injurius sit. Itaque primò *Pœnam*, quam Deo debet: tum secundo loco *Obligationem*, qua læso satisfacere obstringitur, ponderabimus.

§. I.

(a) Sap. 16.

## §. I.

## Quam pœnam debeat Monomachus violatæ Legi Divinæ?

387. *Pœnam æternam ei debere, ostenditur ex ratione,*
388. *Et ex testimoniis Principum.*
389. *Necquidquam obstrepentibus monomachis.*

387. DUellum, extra tres conditiones à nobis statutas susceptum, transgressio est Legis Divinæ in materia gravi: ergo grave peccatum est, seu *mortale*, ùt vocamus. Itaque ejusmodi pugil summi Numinis gratia excidit, qua orbatus jacturam patitur, quam sanguineis, si rite intelligeret, lacrymis esset deploraturus. Et si quidem ex hac vita decedat, gratia necdum per veram pœnitentiam recuperata; etiam beatitudinem æternam perdit, quæ sola privatio, si cætera in orco supplicia abessent, hominem reddit longè miserrimum. Arbitror autem, monomachos non nisi difficulter recuperare pretiosam illam gratiam; nam si in duello graviter saucii mox, vel paulò pòst obeant, turbati animo, sui parum compotes, de salute corporis tantùm solliciti, destituti salutari auxilio, quomodo grande salutis negotium tractabunt? Demus, uno ad DEUM suspirio veram absolvi pœnitentiam posse. At noveris, in suspirio illo contineri debere odium duelli, non ùt lethale est corpori, sed ùt displicet DEO, quem jam morituriens amet super omnia, paratus mille provocationes rejicere, aut convicia pati, quàm hæc tali ratione vindicare posthac, aut illas acceptare. Ut nil dicam de danda ex corde victori suo venia. Satis apparet, animum ita comparatum eo in rerum articulo, esse quid rarum, & admirabile. Monomachus alius, qui salvus ex arena rediit, quando is incipiet duellum suum, tanquam verè summum malum, utpote peccatum, detestari? quando erit animo obfirmatus, redeunte causa simili, abstinere à duello, quo nunc tam feliciter suum, ùt ipse credit, honorem vindicavit. Et tamen nulla datur peccati venia, nisi ita constitutus sit animo.

388. Unde non miror, summos Principes, Acatholicos æquè ac Catholicos, duello non levem ruinam animarum imputare. Audiamus, saltem aliquos, quàm graviter sentiant. FRIDERICUS WILHELMUS Elector

Brandeburgicus, dum in Edicto suo (a) duella, similésque dimicationes damnat, expressè ait, cædes in eis patrari *cum jactura æternæ beatitudinis.* FRIDERICUS III. itidem Elector Brandeburgicus (b) dolet, duello *pretiosas animas, Christi emptas sanguine, periculo evidenti exponi.* CAROLUS XI. Rex Succiæ profitetur (c) severas se in duello leges ferre, ut præcaveatur ruina duplex, *animæ scilicet, ac corporis.* AUGUSTUS Dux Guelpherbytanus hunc, ait (d), pessimum duelli fructum, ut non rarò cum *integritate corporis vitam quoque animæ deperdat infelix pugil, rectà descendens ad diabolum in inferni abyssum: vel vita utcunque servata, turbatam gravi piaculo conscientiam circumferat.* Marchio Hasso-Casselanus CAROLUS (e) audacter asserit, *occisum sine dolore, ac pænitentia emori, & æterna salute excidere.* In eandem sententiam abeunt Respublica HAMBURGENSIS, & LUBECENSIS (f). Huc etiam pertinet testimonium CONDÆI Principis, suíque Pastoris. *vid. n.* 128.

389. Facilè dispicio, monomachorum quosdam fidem abrogaturos his dictis, quamvis solidissima ratione firmatis; at nempe ex eorum numero sunt, de quibus Apostolus Timotheo scribit (g): *Bonam conscientiam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Non credunt, quia credere nolunt; quid enim est, quod intellectum ab assensu retineat? fors pœnarum æternitatem pro facto unico, brevíque haud rectè convenire autumant? at meminerint, quis eo facto offendatur: & quantum is ipse in honore sit passus amore nostri. Meminerint, majorem non esse pœnam decretam in violantes DEI mandata, quàm præmium promissum servantibus, & DEUM non iniquè agere deprehendent. Cæterùm, si humanâ decempedâ peccatum metiri velint, non æterna solùm, sed temporalis etiam pœna nimia videbitur. Sed obstrepant, quantum velint, propter hos Ardeliones nec unus in Decalogo apex mutabitur.

§. II.

(a) An. 1652. (b) An. 1688. (c) An. 1682. (d) An. 1646. (e) An. 1684. (f) *Hamburgense* publicatum 1699. renovatum 1720. *Lubecense* publicatum 1704. Renovatum 1720. (g) I. I. v. 19.

## §. II.

## Quæ sit obligatio reparandi damna per duellum illata?



390. DUplici ex fonte monomachus damnum afferre adversario suo potest. Primò, si eum iniquè provocat, & conscientiæ causâ comparere recusantem conjiciat in damnum fortunarum: vel si satisfacere renuat iniquè à se læso, nolenti provocare metu peccati, & sic patienti grave dispendium in dignitate, vel opibus. Quid ex hoc capite præstare debeat monomachiæ candidatus, ut læsum indemnem servet, colligere datur *ex Cap. VI. Art. I. §. II. III. IV. V. VI.* Fons alter compensationis est mutilatio, vel occisio, noxia vel ipsi infelici pugili, vel suis. Ad casum unicum redigimus, quidquid ferme in hac materia utiliter disputari potest.

391. Titius, dum Cajum verbo ignominioso offenderat, ab hoc provocatur ad duellum. Monet eum Titius cælebs, meminisset charæ prolis, quam in egestate relicturus esset orphanam unà cum uxore, si sinistrâ pugnâ caderet. Alieno insuper ære gravatus Cajus ex militari stipendio tertiam quotannis partem creditoribus per sententiam jussus erat relinquere. Pugnat nihilominus, vulnere affligitur, quo ineptus obeundo suo officio egere cæpit, tandem etiam mortuus ex vulnere, datâ tamen antè veniâ Titio. Ex hac narratione quinque oriuntur quæstiones. I. An, si provocans provocatum vicisset: non verò provocatus provocantem, uti in casu fingitur, damna compensare debuisset? II. An provocatus absque

data causa, dum provocanti damnum cum vulnere intulit, non teneatur ad damnum resarciendum? III. An non teneatur etiam tunc, ubi præcedente injuria provocationem causavit? IV. Quousque se extendat obligatio compensandi? V. An data venia non extinguat hanc obligationem?

Notandum primò, hìc nobis quæstionem esse de obligatione in conscientia, orta ex ipsa natura læsionis; quando enim judex compensationem damnorum imperare possit, vel debeat, alibi dicetur. Secundò, distinguendum est inter duellum justè, & injustè susceptum: defendebamus in prioribus; posse aliquando licitè offerri, aut acceptari duellum. In tali casu, habens justam pugnandi causam, non facit alteri injuriam: ergo non est, cur damna secuta ei compenset. Quærimus ergo de duellis illicitis, & quidem

392. Q. I. An, si provocans provocatum vicisset, damna compensare debuisset? ℞. Non videtur dubium; Titius enim invitum se pertrahi ad pugnam est passus à Cajo, necessitate tuendi honoris. Cùm itaque Cajus violaverit jus Titii, quod habet ad vitam, & membra, injuriam intulit: damnum autem cum injuria illatum, compensationem exigit. Neque contrà dicas, *scienti, & consentienti non fieri injuriam* (a); nego enim, quòd *efficaciter*, & *seriò* consenserit Titius. *Coacta voluntas est quidem nihilominus voluntas:* at non talis, quæ excuset injuriam. LA CROIX (b) ex SALON. & SANCH.

393. Quòdsi autem provocatus non invitus comparuit, ajo ex MOLINA (c), : " Si propria utriusque sponte certamen committatur, neu-
„ trum eorum teneri alteri restituere pro damno, quod fortè illatum est.
„ Ratio est; quoniam licèt peccent lethaliter contra charitatem, & simul
„ suo etiam modo contra justitiam adversùs DEUM, & Rempublicam: ni-
„ hilominus in se ipsos non peccant contra justitiam ob mutuum pactum,
„ tacitum saltem, quo Cajus vult se exponere periculis damnorum, quæ
„ ex tali certamine subsequentur, ut Titius eisdem similiter periculis se ex-
„ ponat. „ Contrarium tuetur PEREGRINUS (d), etsi pactum fuisset expressè additum: nisi tamen factum fuerit post duellum, & læsionem. At ego

(a) R. J. 27. in 6. (b) L. 3. p. 2. n. 305. (c) Tract. 3. disp. 82. de Jur. & Just.
(d) De duell. q. 39.

ego non video, cur remittere sibi possint post duellum obligationem compensandi, & non etiam ante duellum. Námque pactum hac in re duplex sancitur: primò committendi duellum; secundò, non compensandi damnum. Pactum de duello nullius momenti est, utpote de re prohibita (a). At pactum alterum de se cur malum sit, & nullum? Contendit PEREGRINUS id probare *ex L. Oratio. ff. de Sponsal.* ubi, cùm Senatoribus certæ nuptiæ fuerint interdictæ, declaratur, id etiam intelligendum esse de Sponsalibus, adeóque, ait, eadem est ratio finis, & eorum, quæ tendunt ad finem. At nego, quòd pactum de remittenda compensatione sit *medium* ad duellum. Neque inter hæc duo pacta, est eadem similitudo, & ordo, qualis est inter sponsalia, & matrimonium. Cætera, quæ affert PEREGRINUS, non sunt magni ponderis. Unde sentio cum MOLINA in casu, quo propria utriusque sponte certamen committitur.

394. Q. II. An absque data causa provocatus, & invitè comparens, teneatur resarcire damnum, provocanti illatum cum vulnere? " Circa hanc quæstionem, ait MOLINA, se non probare eorum sententiam, qui Titium ab obligatione compensandi damna vulnerato Cajo absolvunt; cùm enim quis non *invasus*, sed *invitatus* in certamen descendit, non interficit licitè invitantem. Quare, sicut non est *medium licitum* ad honorem defendendum acceptare duellum, & eum interficere, qui ad illud invitavit: ita neque est *medium* ad id *justum*. Neque in hoc eventu potest excusari invitatus à restituendi onere ob pactum tacitum ex parte invitantis, quo condonare censeatur damna, quæ in eo certamine acceperit; quoniam non censetur condonare, nisi ut vicissim ipse simili modo non teneatur restituere damna, si quæ in eo certamine dederit; quare cùm invitans restituere teneatur damna, si quæ in eo certamine dederit, consequens est, ut invitatus ex eo capite non excusetur à restitutione damnorum, quæ in eo certamine dederit. "

395. At non persuadet hæc ratio; nam quòd *injustum*, id est, *iniquum*, seu *malum* remedium servandi honorem sit acceptatio duelli, hoc non nego. An autem in eo sensu *injustum* sit, ut, veluti injuria stri-



(a) Cap. fin. de pact.

ctè talis, obligationem compenſandi poſt ſe trahat, hoc nego. Ex eo certè, quòd non ſit licitum, non ſequitur, quòd ſit in hoc ſenſu injuſtum. Dein ego provocatum non excuſo à reſtituendi onere ob pactionem illam tacitam: ſed mea ratio hæc eſt; quòd provocans, eo ipſo dum alterum ad duellum prolicit, poteſtatem alteri faciat vitæ ſibi eripiendæ, ſi poſſit: hac facta poteſtate, quæ poteſtas utique in ratione duelli continetur, non facit injuriam provocatus provocanti, ſi eum lædat, vel etiam occidat: ergo ex inflicto vulnere, vel nece oriri non poteſt obligatio compenſandi. Neque dicas, hominem non poſſe talem poteſtatem alteri contra ſe dare; cùm non ſit dominus vitæ, & membrorum. Ajo, dare ei poteſtatem in jus adminiſtrationis, vel uſumfructum, quem habet (*vid. N.* 386.) quamvis dominium non habeat. Provocatus ergo, tollens vitam provocantis, injuriam DEO, Domino vitæ, infert, qui tamen talem reſtitutionem non imponit: tollendo autem adminiſtrationem, vel uſumfructum non infert provocanti injuriam, utpote qui ſuo jure ceſſiſſe cenſendus eſt, dum ad duellum provocato aliquam neceſſitatem id acceptandi impoſuit, non ſine moleſtia evitandam. Concordant hæc cum iis, quæ MOLINA docet alibi (a). Neque urgeas, dicáſque, provocantem jure adminiſtrationis non ceſſiſſe, niſi iterum ea lege, & pacto tacito, ut etiam provocatus cedat: ſi ergo provocatus dicatur non ceſſiſſe, etiam provocans non ceſſiſſe, adeóque injuriam pati cenſendus eſt à provocato lædente; hoc, inquam, ne dicas; falſum enim videtur. Quæſo, ex quo fundamento provocans perſuadeat ſibi, provocatum, invitum ad pugnam pertractum, tacitè in id conſentire, qui interrogatus certè id eſſet negaturus? ſi ergo nihilominus urget pugnam provocans, *ultro*, & *ſimpliciter* renunciâſſe juri ſuo cenſendus eſt. Et profectò (verba LUGONIS (b) ſunt) videtur repugnare in terminis, quòd, dum provocas, & compellis ad pugnam, adhuc velis jus retinere ad recuperanda damna, ſi qua patiaris. Tandem etiam MOLINA (c) aliquam viam excogitavit excuſandi provocatum à compenſatione, quam ventilare pluribûs ſupervacaneum duco. Quare provocatum malim ab obliga-

(a) Tract. 3. diſp. 7. (b) De Juſt. diſp. 11. n. 69. (c) L. cit. diſp. 82.

ligatione restitutionis absolvere ex ratione mea, quam probat etiam Pignatellus (a), & Salon (b). Videre etiam proderit la Croix (c).

396. Q. III. An provocatus non teneatur ad damnum resarciendum, etiam tunc, ubi præcedente injuria provocationem causavit? ℞. Pariter non teneri; namque præcedens illa injuria, consistens in verbis contumeliosis, non potuit (& fors nulla alia) jus dare Cajo ad provocandum Titium. Sic docet Tamburinus (d). " Si Titius dat causam rixæ „ per sola contumeliosa verba, & pòst occidatur à Cajo, Cajum teneri „ ad restitutionem pro damnis; quia verbum contumeliosum non potuit jus „ dare ad occidendum „: Ergo, & ego ajo: verba contumeliosa, prolata in casu nostro à Titio, non potuere jus facere Cajo ad provocandum: ergo neque dederunt ei jus ad exigendam compensationem damni, quod ad eam provocationem sequitur: ergo etiam hic non potest Titius condemnari ad restitutionem ob præmissa contumeliosa verba saltem in foro conscientiæ. Aliud pro foro externo potest statuere, & injungere judex, ut scilicet per ejusmodi pœnam tanto magis absterreantur viri militares, & nobiles etiam ab acceptando duello.

397. Q. IV. Quousque se extendat obligatio compensandi damna? Hac in re discrimen facere oportet, & aliud statuere, ubi *provocans* damnum patitur: aliud ubi *provocatus*. In casu nostro absolvimus *provocatum* Titium, qui nihil debeat Cajo, fortè superviventi malè affecto corpore, quo ineptus ad obeundum posthac officium egere incipiat, vel etiam morienti cum magno damno suorum. Si quæras, an Titius non saltem aliquid debeat uxori, liberis, ac creditoribus, qui ex mutilatione, aut nece Caji damnum rerum suarum patiuntur? Respondeo, quòd nihil debeat, & sic argumentor cum Lugone. Si absque vi, & fraude patri Cajo consuleret Titius, ut semet occideret, vel non daret filiis alimenta, peccaret Titius; non contra justitiam, sed peccato scandali contra charitatem, & contra illam etiam virtutem, contra quam peccaret pater ea omnia faciendo; quia cooperaretur ad peccatum patris, ac inde, & non aliunde sumeret

(a) Tom. 9. Consultat. 88. n. 21. 22. (b) In 2. 2. D. Th. q. 62. art. 2. Contr. 11.
(c) L. 3. p. 2. n. 305. (d) De Just. disp. 11. n. 71.

ret malitiam ejus consilium, & cooperatio. Similiter autem se habet, qui occidit patrem volentem, vel saltem dantem facultatem occidendi; nam licèt respectu patris peccet peccato homicidii, quatenus privata authoritate occidit sine necessitate defensionis; in ordine tamen ad uxorem, & filios peccat solùm, quatenus cooperatur ipsi patri, qui non obstante debito ipsos alendi, vult occidi cum eorum damno, quod peccatum, cùm in patre non sit contra justitiam, sic nec in cooperante, & occidente est contra justitiam: sed contra illam virtutem, qua pater tenebatur ad procuranda alimenta. Ideo communiter provocatus, occidens provocantem, non est obligandus ad restitutionem pro damnis. Ita dictus Purpuratus.

398. At si provocans Cajus ita vicisset, & læsisset Titium, tunc, sicut ille huic obligatur compensare damna, *ùt ad primum diximus:* sic, an etiam ad alios damnum passos, & quousque hæc obligatio se extendat, discutiendum est. Decisio petenda est ex generali doctrina de restitutione facienda ab occidentibus, vel mutilantibus, quam passim Theologi tractant. In compendio ajo, quamvis pro vita & membris restitui propriè nil debeat; cùm sint bona superioris ordinis, ad quem pertingere pecunia nequit, ùt docet probabilior sententia, tamen in conscientia exoritur obligatio restituendi pro damnis, quæ bonis fortunæ occisio, vel vulnus intulit. Unde resarciri debent impensæ factæ in medicamenta: item cùm officio fungi mutilatus posthac nequeat, ex quo vixerat, ita ei succurrendum, ut vivat decenter, quin egeat.

Quod attinet hæredes, & agnatos, rectè dicunt Sanchez, & Tamburinus, expensas pro curando vulnerato, qui postea moritur: item alia ipsi ante mortem debita, restitui debere *hæredibus;* quia hi succedunt in jura defuncti: aut si nullus sit hæres, dandum esse pauperibus. Unde Edictum Coloniense novissimum adstruit actionem *tanquam ad hæredes ob interesse transitoriam.* *Uxori*, si post maritum occisum æquè commodè nupsit, vel possit nubere, nil opus est restituere; tum quia reipsa non fuit damnificata: tum etiam quia occisor ideo teneretur, eo quòd succedat in obligationem mariti, qui eam debuisset alere: maritus autem non tenetur alere, si aliunde ei esset provisum: ergo. De *filiis* quantum eis occisor debeat, & quot eorum, & quamdiu debeat alere, legi

potest

potest in Beja (a). Cæteris agnatis, ùt *fratribus*, *& sororibus*, dicunt Doctores communiùs, nihil esse restituendum, eo quòd censeantur velut extranei, & per accidens patiantur damnum, nisi fortè per sententiam judicis occisus eos tenebatur alere (b).

399. Peculiaris difficultas est de *creditoribus*, qui in præsenti casu ex stipendio menstruo Caji tertiam sibi partem vendicabant. Olim passim docebatur, tunc homicidam creditoribus obligari, si animo his nocendi occidit: secùs non. Communem hanc suo ævo sententiam dicit Molina (c). Sed contrà bene arguit Peregrinus (d), nihil referre, an animum nocendi creditoribus habuerit, vel non; quia danti operam rei illicitæ, & quidem illicitæ ex præcepto justitiæ, imputantur omnia, quæ inde sequuntur damna. Intentio inferendi damnum necessitatem restituendi non inducit; justum enim, & injustum non in bonitate, aut pravitate animorum consistit: sed in æqualitate, & inæqualitate, ob quas restitutione utimur. Etiam animus non erat homicidæ nocere uxori, & liberis: restituere his debet tamen; sufficit nempe, quòd prævidere potuerit, aliqua damna consequi posse actionem suam malam. Neque placet illa altera ratio, quam contra creditores afferunt: hos scilicet jus acquirere ea lege, ut maneat pendens à periculis vitæ, & bonorum debitoris: ergo creditores debere ferre damnum, veluti casu fortuito datum; nego enim, bene comparari delictum deliberatum homicidæ cum casu fortuito. Perpensis omnibus utramque sententiam probabilem censent Laymann, & Busenbaum (e).

Placet consilium Molinæ (f) dicentis, has, similésque restitutiones meliùs definiri, & ad effectum perduci facta transactione, & compositione cum iis, quorum interest, qui ùt plurimùm solent partem aliquam remittere, esséque hac in re utilem Confessarii operam, qui de consensu homicidæ confitentis, aut consilium petentis eos alloquitur, quibus restitutio facienda foret, à quibus vel obtinet partem, vel saltem securitatem conscientiæ in arbitrando, seu definiendo, quod justum est.



(a) P. 1. Cas. 43. (b) Vid. *la Croix* L. 3. P. 2. n. 309. 310. (c) Tract. 3. disp. 83. n. 8. (d) De duell. q. 40. (e) De restitut. faciend. ab homicid. (f) Loc. cit. n. 10.

400. Q. V. An data à moriente venia non extinguat obligationem compenſandi damna? Notandum, *veniam dare*, *reconciliari*, *injuriam remittere* &c., variam poſſe habere ſignificationem. Primò, quòd quis rancorem deponat ex animo, & charitate iterum Chriſtiana amplecti inimicum incipiat, id quod neceſſarium eſt volenti ſalutem conſequi. Secundò poſſumus remittere injuriam ita, ut nullam propterea actionem, neque civilem, neque criminalem intentare velimus lædenti. Et hæc remiſſio diverſa eſt à priore, neque jure continetur in illa; quoniam rancor, & appetitus vindictæ illicitus diverſum quid eſt à jure, quod læſus habet ad petendam à miniſtris publicis juſtam vindictam in commune, ac proprium ſuum bonum, éſtque actus virtutis, ſcilicet juſtitiæ vindicativæ, modò aliunde non inficiatur. Itaque remanere actio injuriarum poteſt poſt dignè ſuſceptum Sacramentum Pœnitentiæ, eáque, ubi per leges patrias licet, hæredibus committi. Quòdſi tamen dicat morituriens, ſe *ex animo dare veniam*, cenſetur non ſolùm depoſuiſſe rancorem: verùm etiam actioni injuriarum renuntiâſſe, ùt probat MOLINA (a). Atque ut ita faciat, ſuadendum eſt pœnitenti, ne quis aculeus rancoris taciti hæreat. Qua remiſſione non obſtante nihilominus poteſtas publica armare ſe debet ad id delictum puniendum, quantum commune bonum poſtulaverit. Facta utraque hac remiſſione ſupereſt tertiò remiſſio pro illato damno in bonis externis. Ratio eſt; quia actio ad compenſationem damnorum eſt merè civilis, & diſtincta ab actione ad pœnam.

401. Nunc ergo quæritur, an obligationem, quam occidens contraxit ad compenſanda damna, remittere moriens valeat. Et quidem ſi ſermo ſit de damnis, ipſi vulnerato cauſatis ob expenſas, factas in morbum, aut lucrum eo tempore amiſſum &c. ſatìs patet, remittendi poteſtatem penes eum eſſe, modò hæc remiſſio legitimam filiis illæſam relinquat. Rarò tamen damna, ante mortem adhuc incubitura bonis patrisfamilias, tanta erunt, ut liberis graviter accídant legitimam. Si tamen ex hac remiſſione aliquid de ſolutione creditoribus decederet, non videtur ſalva conſcientia concedi. Difficultas ergo potiſſima eſt circa damna, quæ uno-

(a) De Juſt. tract. 3. diſp. 42. n. 3.

uxori, liberis, creditoribus, & similibus personis erunt ferenda post mortem patrisfamilias, ad quorum compensationem quando, & quousque homicida teneatur, suprà explicatum est. Docent aliqui, facta hac remissione ex voluntate morientis ultrà ad nihil teneri homicidam. Ita SALON, SANCHEZ cum & apud MOLINAM (a). Sed præstat cum LUGONE (b) dicere, patrem non posse aut validè, aut licitè eam remissionem facere; nam si res attentè consideretur, datur in hoc negotio duplex injuria: una infertur patri, cui vita aufertur; altera uxori, ac liberis, quibus hac morte auferuntur alimenta &c. Ex hac secunda, non ex prima injuria oritur filiis, ac uxori jus ad compensationem, exigendam ab homicida: quod jus cùm nullo modo pertineat ad patrem, ejus etiam dispositioni non subjacet. Unde inutilis est disputatio de summa, quam remittere possit pater, & de ea, quam relinquere deberet filiis juxta leges patrias; attendendum hìc solummodo ad damnum, quod patiuntur filii; hi enim jus habent, ne status eorum reddatur deterior per mortem patris. Quanto ergo cum deteriorem reddit interfector, tanto plus contribuere debet ad reparandum damnum, quin huic juri liberorum renuntiare possit parens. Idem de uxore, ac creditoribus dicendum.

Nolim esse longior in discutiendis ejusmodi obligationibus, utpote quæ dependent ex principiis generalibus de restitutione ob homicidium facienda, quæ materia abunde ab aliis ventilata legitur passim.

(a) Disp. 85. tract. 3. (b) De Jur. disp. 11. n. 63.

# CAPUT VIII.

## QUOMODO DUELLUM PROHIBEATUR LEGE ECCLESIASTICA.

IN Statu Civitatis bene ordinatæ progredi volentibus, de Legibus quoque Ecclesiasticis agendum est. Quæ licèt etiam in Statu Civitatis malè ordinatæ, non desinant prohibere duellum: vim tamen obligandi *in actu secundo* non exserunt, quando ipsa lex Divina in quibusdam casibus duellum permittit. Mirum nemini videbitur, quòd idem crimen, lege Divina jam prohibitum, non rarò etiam interdicatur Ecclesiastica lege, sicut & Civili. At illud breviter notare expediet, qua authoritate lex Ecclesiastica contra duellum lata fuerit. Qua de re id extra dubium est, potestatem quamdam præcipiendi, & puniendi à Christo Ecclesiæ relictam fuisse, ùt veterum æquè, ac recentiorum testimoniis abunde comprobatur. Et quamvis in eo Catholici à Protestantibus dissideamus, quomodo ad Ecclesiæ Rectorem ea potestas devenerit; an scilicet per Ecclesiam, seu per *Collegium* profitentium eundem DEI cultum (ùt vocat (a) PFAFFIUS) transcribentem Rectori id, quod à Christo potestatis accepit: vel an à Christo rectà ad Apostolos, & eorum Successores, utpote quibus solis claves contulisse legitur: Item an ille Rector, penes quem Ecclesiastica potestas resideat, Princeps sit, idem Religionis, qui Regionis Caput: vel an Pontifex cum Episcopis, hi Ecclesiæ quisque suæ particularis, ille Pastor universæ: in his, inquam, quamvis Catholici à Protestantibus dissideamus, convenimus tamen in eo, quòd in Ecclesia resideat potestas ferendi leges, tum temporibus, tum populorum moribus congruas, quas violare nefas sit, & dignum castigari etiam *excommunicatione*, de qua plura *Art. II.* Ne verò existiment Monomachi, severiùs secum agere Ecclesiam, legant Edicta Principum etiam Protestantium, in quibus duellum atris coloribus non solùm

(a) De Orig. Jur. Eccl. Edit. Tubing. ann. 1719.

lùm depingunt, & impedire conantur (a); sed & severissimas in id pœnas decernere non dubitant (b): ægrè non ferent, Ecclesiam Catholicam pro salute suorum sollicitam, toto potestatis suæ pondere incumbere ad opprimendam duellorum licentiam. Nos in præsenti *Articulo I.* declarabimus leges Ecclesiasticas duellum prohibentes. *II.* Pœnas in duellum statutas. *III.* Impedimentum, quod duellum afferre possit usui Sacramentorum.

# ARTICULUS I.

## *Declarantur Leges Ecclesiasticæ Duellum prohibentes.*

LEges, Decreta, & Constitutiones primo loco afferemus: tum exponemus, quæ actiones in iis prohibeantur: ac dein, quæ personæ illis comprehendantur.

## §. I.

### Recensentur Leges, Decreta, Constitutiones &c.



402. DUellum prohibitum pridem fuit Jure Canonico antiquiore, ùt patet *ex can. Monomachiam. caus.* 2. *q.* 5. Item *ex cap.* 2. *de Cler. pugn. in Duel.* ubi cùm Presbyter pugilem sibi substituisset, qui deficientibus testibus, pugnando convinceret laicum, quem super furto civiliter convenerat Presbyter, CÆLESTINUS III. hunc prohibuit in sacris ultrà ministrare, eo quòd laicus suo mandato fuisset occisus. Item ex *cap.* 1. & 2. *de Torneam.* in quorum priore dixit Pontifex ALEXANDER III. in Concilio Lateranensi: *Felicis memoriæ, Innocentii, & Eugenii prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, detestabiles illas nundinas, vel ferias, quas vulgò Torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ temere congredi, unde mortes hominum, & ani-*



(a) Vid. Cap. II. (b) Vid. Cap. IX.

*marum pericula sæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quòdsi quis ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.* Secutæ sunt Constitutiones variorum Pontificum, expressè contra duellum conceptæ, qualis est illa Julii ii. an. 1508. Leonis x. an. 1519. Pii iv. an. 1560.

403. Accedit Decretum Concilii Tridentini, ita contra monomachiam statuens (a): " Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo in„ troductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucre„ tur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, „ Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini „ temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos „ concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio „ civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri per„ miserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feu„ dalia sint, directis Dominis statim acquirantur. „

" Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, „ excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac „ perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ùt homicidæ juxta sacros Ca„ nones puniri debeant: & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò ca„ reant Ecclesiastica sepultura. „

" Illi etiam, qui consilium in causâ duelli tam in jure, quàm facto „ dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint: nec „ non spectatores excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo „ teneantur: Non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetu„ dine etiam immemorabili. „

404. Hactenus non nisi duella judicialia probibita fuisse, videri poterat, atque publica, seu solemnia. Sed tandem, ne effugio locus esset, Gregorius xiii. an. 1582. edita Constitutione Tridentini Decretum extendit etiam ad Duellum privatum. Ita habet: Ad tollendum detestabilem duellorum usum Concilium Trid. excommunicationem, & alias pœnas gravissimas in concedentes locum ad monomachiam, ac pariter in pugnantes, nec non

(a) Seff. 25. Cap. 19. de Reform.

non patrinos, consulentes, suadentes, & spectatores salubriter quidem decrevit: sed crescente hominum malitia facinorosi non desunt, qui, quod publicè prohibitum est, privatim exequi non dubitent, dum se pœnas prædictas hoc modo eludere posse arbitrantur. Nos ad hæc coërcenda pleniùs, evidentiúsque providendum esse rati, considerantésque duellum privatum non minùs cruentum, & animæ, & corpori noxium esse, quàm quod publicè perpetratur, Authoritate Apostolica statuimus omnes illos, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco convento monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ literæ, aut denuntiationis chartulæ præcesserint, censuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri, perinde ac si publico, & consueto abusu singulare certamen inivissent.

Volentes etiam locorum Dominos, si certamen ex condicto hujusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint, omnésque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quovis modo sese præbentes eisdem censuris, & pœnis subjacere; etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserunt, si per ipsos non steterit, quo minùs illa committatur.

Non obstantibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, cæterísque contrariis quibuscunque: Constitutionibus tamen, & aliis Sanctionibus Apostolicis hac de re disponentibus in suo robore duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicæ 1582. Non. Decembr. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

405. Denique coronidem addidit Constitutio Clementis VIII. an. 1592. qua nulla explicatior, ac clarior. Cúmque hæc jus novissimum in hac materia constituat, judicavi, eam hoc loco integram esse reponendam. Ita habet:

*CLEMENS Episcopus Servus Servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam.*

I. Illius vices, licèt immeriti, gerentes, qui ut animas suorum fidelium à peccato, & diaboli laqueis liberaret, è cœlo descendens, humana

mana carne assumpta, ne proprio quidem suo pretiosissimo sanguini pepercit, sed se ipsum in Ara Crucis immaculatam hostiam æterno Patri offerre voluit; in hanc præcipuè curam summo studio incumbimus, ut easdem animas inæstimabili pretio redemptas, adversùs sathanæ fraudes, quantum in nobis est, illæsas præservemus; præsertim verò totis viribus nobis à Domino traditis exterminemus exitialia quædam, atque enormia peccata, quibus Divina Majestas graviùs offenditur, quæque eodem fabricante humani generis hoste inventa, atque introducta sunt, ut ex cruenta corporum morte, animarum etiam simul interitus ac pernicies sequatur.

II. Rectè siquidem, & salubriter fel. record. Pius Papa IV. Prædecessor noster post alios complures suos, nostrósque Prædecessores, qui detestandum Divina, naturalíque lege, ac sacris Canonibus damnatum duellorum abusum suis etiam Constitutionibus severè prohibuerunt, gravésque pœnas contra quoscunque temporali ditioni S. R. E. mediatè, vel immediatè subjectos, ejus criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solùm in terris prædictis, sed aliàs ubilibet, animarum periculis obviare, Principes, ac Domicellos permittentes in suis dominiis id patrari, ac etiam extra terras, & loca ditioni Ecclesiasticæ subjecta, hujusmodi duella, seu singularia certamina, aut diffidationes desuper facientes, ac ad id invitantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, illísque astantes, & interessentes, nec non chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos, Imperatore, ac Regibus inferiores, majoris excommunicationis, ac (si Ecclesiastici fuerint) ultra eam etiam privationis omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatísque ad illa, & alia imposterum obtinenda, pœnis subjacere, cásque incurrere voluit, à quibus non nisi à Romano Pontifice absolvi possit.

III. Sed & postmodum Generalis Tridentina Synodus ad exterminandum penitus ex Christiano Orbe hoc malum statuit, ut Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio civitatis, castri, aut loci, in quo, vel ad quem duellum fieri

per-

permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ùt homicidæ juxta sacros Canones puniri debeant: &, si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in jure, quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

IV. Quas pœnas novissimè piæ memor. Gregorius Papa xiii. pariter Prædecessor noster extendit adversùs illos etiam omnes, qui non publicè, sed privatim ex condicto, statuto tempore, & in loco convento monomachiam commisissent, etiam patrinis, sociísque non vocatis, & loci securitate non habita, & provocatoriis literis minimè præcedentibus, etiam contra locorum dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, cæterósque suprà dictos criminis socios, & ex composito spectatores, etiam si pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, & per eos non stetisset, quo minus pugnarent.

V. Verùm quia cum magna animi nostri molestia intelleximus, adhuc in quibusdam, præsertim transalpinis, ac remotis regionibus, & potissimùm ubi bella vigent, castrensi quadam, & militari licentia, seu veriùs audacia, perniciosum hoc scelus inter fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, ubi Christiani nominis, seu Catholicæ fidei hostes tyrannidem exercent, sive hæreses, & schismata impunè grassantur, sive inter signa, & castra militaria in caput suorum fratrum impios convertere mucrones, quos multo salubriùs contra Christi adversarios stringi par esset.

VI. Nos nefaria diaboli arma salutari Ecclesiæ gladiô ad continendos in officio fideles, nobis præcipuè ipsius Domini authoritate tradito retundere, atque à cervicibus gregis Domini nostræ curæ crediti, quantum (eodem Deo Adjutore) eniti possumus, propulsare cupientes, prædictas omnes Constitutiones, ac Decretum Concilii Trident. cum omnibus, & singulis in eis contentis censuris, & pœnis decretis, extensionibus, qua-

rum, & quorum omnium tenores præsentibus habere volumus pro expressis, & ad verbum insertis, authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, confirmamus, & innovamus.

VII. Ac insuper authoritate, & tenore præmissis decernimus, & declaramus, easdem Constitutiones, ac Decretum locum habere ubique gentium, & terrarum, inter quascunque personas, etiam armatas, & in castris, seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum, & S. R. E. aut Catholicæ fidei hostium furor impunè grassatur, vel in dominiis per eos occupatis, & detentis.

VIII. Idem quoque juris censendum esse, si publico, & forsan justo bello indicto miles aliquis contra alterum in adversariorum exercitu militantem, sive aliàs in hostium castris, præsidiis, aut terris degentem, privatas simultates, atque inimicitias publicæ causæ intermiscendo, etiam Ducum permissu ex condicto ad singulare certamen descendat, aut illum provocet.

IX. Nec non iisdem pœnis, Decreto, & Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint, de dirimendo certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit, vel si convenerint, ut non singuli cum singulis, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent.

X. Et non solùm locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, Locum-tenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitûs adversariorum monomachiam, in quocunque casu per præsentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohibito, permittentes: vel quantum in ipsis est, non prohibentes, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedentes.

XI. Præterea pari ratione prohibemus omnia, & singula ejus generis scripta, Manifesta, seu fides vulgò appellata, quæ etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi præparatoria quædam ad chartulas, seu libellos provocatorios, & ad duellum, illorúmque veluti radices, aut semina, ùt plurimùm lacessendi aliquem ad pugnam, & suscitandæ simultatis, atque inimicitiæ materiam, & occasionem præbent. Dum scilicet in illis per modum epistolæ, libelli, aut publicæ attestationis, &

& intimationis, sive per authentica documenta, sive per unius, pluriúmve chirographum, subscriptiones, aut relationes sub prætextu proprii, vel alieni honoris, & famæ more militari, atque ùt vulgò dicitur, cavallerefco, tuendi, aut lædendi, sive ad illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut injuriæ probationem, seu tollendam illius suspicionem rei alicujus gestæ ad id pertinentis, vel verborum, aut responsionum series, & ordo narratur.

XII. Vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeò firmiter asseritur, aut negatur, ut qui contradixerit, is, sive nominatim, sive in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur.

XIII. Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quæritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quippiam ejusmodi, quod ad superiùs expressa spectet, gestum, dictúmve sit.

XIV. Vel denique offert se quispiam contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quemcunque ad probandum armis, & verificandum etiam inito certamine aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse.

XV. Nec non quascunque etiam sine scripto factas talium rerum supradicta quoquo modo concernentium, & ob hujusmodi causas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire soleat, denuntiationes, narrationes, declarationes, & testificationes.

XVI. Volentes, eos omnes, & singulos, qui suo, vel alieno nomine ad effectum, de quo superiùs dictum est, prædicta, vel his similia, multóque magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, earúmve exempla dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, intimaverint, vel etiam verbo denuntiaverint, sive attestati fuerint.

XVII. Quíve aliis ad singulare certamen publicè, vel occultè ineundum, vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus generis scripta, quæ Manifesta, quæque chartulæ provocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam, vel favorem præstiterint, sive id suaserint, aut mandaverint, quíve in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint, etiam si neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, & aperta provocatio subsecuta fue-

fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ Manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, quo minùs publicatio, aut denuntiatio fieret, nihilominus censuris, & pœnis omnibus in præsenti, & aliis prædictis Constitutionibus, & Decreto contentis subjacere, tam si superiùs enumeratis, quàm si aliis etiam majoribus Ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & præeminentiis excellant.

XVIII. Quinimo de novo etiam per præsentes ex parte Omnipotentis DEI Patris, & Filii, & Spiritus Sancti excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoscunque publicè, vel privatim, palam, vel occultè, in quibuscunque locis, modis, & formis, ac casibus sub præsenti nostra, vel aliis prædictis Constitutionibus, ac Decreto comprehensis, singulare certamen (quod duellum vulgò dicitur) ex composito ineuntes, nec non id scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem præstantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut comitantes; vel circa chartulas, seu libellos, literas, nuntios, aut quæcunque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes, hujúsque delicti socios, de industria spectatores, patrinos, fautores, defensores, quacunque tam superiùs expressa, quàm alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, ita ut singulares etiam personæ cujuslibet Communitatis, Universitatis, Collegii, aut Reipublicæ, quæ hujus criminis participes quoquo modo fuerint, nequaquam excusentur, & supradictos omnes, eorúmque singulos ipso facto absque ulla monitione, judicis decreto, aut ministerio perpetui anathematis, excommunicationis majoris, & maledictionis æternæ mucrone perculsos, & damnatos harum serie declaramus, & si in ipso conflictu obierint, sepultura Ecclesiastica perpetuò privatos esse volumus.

XIX. Ipsas verò Civitates, terras, oppida, vel castra, & loca, in quorum territoriis id facinus scientibus, & tacitè, vel expressè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut populo admissum fuerit, Ecclesiastico supponimus interdicto; cujus interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio, quàm à Nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, pœnitentia, & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere,

etiam

etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibusvis personis tam Ecclesiasticis cujuscunque Ordinis, aut militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quàm laicis, etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. Quæ omnia quoad præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Pœnis aliis tam spiritualibus, quàm temporalibus contra eos inflictis nihilominus in suo robore permansuris.

XX. Universos autem, & singulos charissimos in Christo Filios Nostros, Imperatorem, Reges, ac dilectos Filios, nobiles Viros, Duces etiam armorum, & exercituum, Marchiones, cæterósque Principes Christianos, nec non Dominia, Potentatus, Communitates, & Universitates, civitatum, oppidorum, & castrorum, illorúmque Domicellos, & Dominos temporales, ac etiam militum, & copiarum tam equestrium, quàm pedestrium Ductores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos, in quibuscunque etiam Nobis, & S. R. E. temporali jurisdictioni non subjectis locis constitutos, cujuscunque gradus, præeminentiæ, & nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, & obtestamur per viscera D. N. Jesu Christi, ut ejus Divini Nominis intuitu pro sua erga eundem Deum, per quem regnant Reges, & à quo principatus acceperunt, pietate, atque erga Nos, & sanctam hanc Sedem reverentia, & devotione, non modò nihil tale in suis dominiis fieri permittant, nec ullo modo conniveant: sed hoc malum omni studio, diligentia, & authoritate exterminare totis viribus procurent, contra quoscunque delinquentes, & (ùt præfertur) quomodolibet complices, & participes etiam temporalibus pœnis gravissimis animadvertant, & per suos Officiales, & Curiæ Ministros procedi curent, scituri se obsequium Deo pergratum, pérque acceptum præstituros, si quo gladio ad tutelam bonorum, & ad propulsandos perditorum conatus sunt accincti, eundem ad vindictam hujus peccati, & ad sumendas de hujusmodi criminis reis debitas pœnas exercuerint: contrà verò memores, si in re tam gravi malè se gesserint, se in districto Dei judicio rationem in novissimo die reddituros. Volumus autem, ut præsentium transumptis etiam impressis Notarii publici manu subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ Sigillo obsignatis eadem prorsus fides ubique gentium, & locorum adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur exhibitis, vel ostensis: quódque

que eædem præsentes in Lateran. ac Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & Cancellariæ Apostolicæ valvis de more publicentur, affixis inibi earum exemplis per aliquem ex cursoribus nostris, & dimissis; quódque eadem publicatio, qui in urbe sunt, post triduum, qui verò extra eam, & citra montes, post duos menses: ultra montes verò post quatuor menses omnes, quos concernunt, perinde arctet, & afficiat, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent.

XXI. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, decretorum, declarationis, prohibitionis, excommunicationis, anathematizationis, maledictionis, execrationis, hortationis, rogationis, obtestationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se noverit incursurum. Datum Romæ in Monte Quirinali Anno Incarnationis Dominicæ 1592. 16. Kalendas Septembr. Pontificatus Nostri anno primo.

## §. II.

### Quæ actiones prohibeantur in allatis legibus?

406. *Prohibentur in Constitutione Clementina actiones jam aliàs prohibitæ: & alia nova.*
407. *Scilicet duellum, vario modo initum.*
408. *Provocationes.*
409. *Declarationes,*
410. *Et libelli,*
411. *Etiam pro duello privato tantùm.*

406. CUm Constitutio Clementis viii. jus novissimum, ùt dixi, hac in materia constituat, in eáque studiosè collectum fuerit, quidquid in præcedentibus Decretis, ac Constitutionibus continebatur, in hac exponenda potissimùm laboramus. Itaque respondeo: in hac Constitutione primò prohiberi omnes illas actiones, quæ jam in præcedentibus Pontificum, aut Concilii Tridentini statutis fuêre prohibitæ, juxta verba illa: *Prædictas omnes Constitutiones, ac Decretum Concilii Trident. cum omnibus suis, & singulis in eis contentis censuris, & pœnis decretis, extensionibus, quarum, & quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, & ad verbum insertis, authoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò approbamus, confirma-*

*firmamus, & innovamus. vid.* §. *VI. Constit.* Secundò prohibentur eæ actiones, ad quas insuper CLEMENS VIII. hanc suam Constitutionem extendere voluit.

407. Itaque primò prohibetur duellum publicum, ac solemne, quod fieri solet cum securitate loci, literis provocatoriis præmissis, cum patrinis &c. Et cum hoc etiam privatum, & non solemne. *vid.* §. *XVIII.* Item duellum in castris, aut propugnaculis inter personas militares, aut institutum in terris hæreticorum. *vid.* §. *VII.* Etiamsi pactum additum fuerit de dirimendo certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, sive sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus. *vid.* §. *IX.* Omnia hæc prohibita sunt, non solùm quando singuli cum singulis, sed etiam quando bini, aut terni, aut plures hinc inde pugnant. *vid.* §. *cit.*

408. Secundò, prohibentur etiam provocationes ad singulare certamen publicè, vel occultè ineundum. *vid.* §. *XVII.* De eo autem dubitârunt nonnulli, an hìc condemnentur provocationes non expressæ, sed tacitæ, quarum exempla dedimus *N.* 24. *præsentis nostri tractatus;* credebant nempe ad incurrendas pœnas requiri delictum externum, nec intentionem sufficere. (a). At meo judicio provocatio ejusmodi quamvis tacita, sub involucro verborum tecta, delictum externum est, æquè malum, ac sit provocatio expressa. Assentitur LUGO (b).

409. Tertiò, prohibentur narrationes, declarationes, testificationes, & similia in locis publicis, vel etiam privatis, ubi hominum multitudo convenire solet, sub prætextu tamen proprii, vel alieni honoris, & famæ more militari tuendæ, aut lædendæ, sive ad illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut injuriæ probationem, sive tollendam illius suspicionem. *vid.* §§. *XI. XV.* Huc pertinet, quando quis offert se contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quamcunque ad probandum armis, & verificandum etiam inito certamine, aliquid ita esse, vel fuisse, vel non fuisse. *vid.* §. *XIV.* Item quando tale aliquid adeò firmiter asseritur, aut negatur, ut, qui contradixerit, is sive nominatim, sive in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur. *vid.* §. *XII.* Item si ad hunc effectum, ex

(a) *La Croix* l. 3. p. 1. n. 850. (b) Resp. mor. L. 2. D. 1.

ex militari etiam consuetudine, quæritur, aut declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quidpiam ejusmodi gestum, dictúmve sit. *vid.* §. XIII.

410. Quartò, cavetur, ne quis scribat libellos publicos (vulgò *Manifesta*) sub prætextu indicato *Numero præcedente*, etiam sine expressa provocatione ad duellum; quia tamen sunt præparatoria quædam ad chartulas, sive libellos provocatorios, & quasi radices, ac semina ad pugnam. *vid.* §. XI.

Quæres, num ergo malum sit interrogare publicè, in quo sensu hoc, illúdve de me dictum voluerit adversarius: vel mendacii arguere eum, quiscunque sit, qui de me falsum sparsit? Resp. mala hæc, & damnata sunt, si ita fiant, ut ex usu, & consuetudine tacitam vim provocandi habeant: & ita notetur ille, qui ea proclamatione petitur, ut salvo honore suo silere jam non possit. Unde hæc proclamatio fit etiam *præparatoria*, & veluti *radix* ad duellum, sicut de libellis dicitur.

411. Quintò, intelligenda hæc veniunt non tantùm de duello, vel præparatoriis ad duellum illud, quod veritatis indagandæ studio committitur, seu de duello judiciali. Equidem, si de antiquioribus prohibitionibus sermo sit, hoc credere videntur NICOLAUS DE LYRA (a), & MASCARDUS (b), ea ratione ducti, quòd duellum propriè dictum à longo antea tempore non nisi pro duello judiciali significando adhibitum fuerit: Decreta autem has pœnas dictantia, sint strictæ interpretationis. Sed de Clementina Constitutione simile quid dici non potest, cùm CLEMENS VIII. conqueratur de ingentibus damnis, pernicie animarum, & corporum, quam duella inferrent, meritò novis constitutionibus coërcenda: atqui ea tempestate duellum judiciale, aut veritatis indagandæ studiô institutum, quod ad divinationem referre solebant antiquiores Theologi, vix ampliùs in usu erat; pace enim publica introducta (id quod contigit anno MCCCCLXXXXVI.) & Camera Imperiali instituta, desinebant sensim hæc cruenta judicia. Itaque CLEMENS VIII. integrâ pòst annorum centuriâ non censendus est voluisse nova fulmina cudere in duellum, cujus usus jam emori cæperat. *Jus autem*

(a) In 1. Reg. 17. (b) De probat. in procem. q. 4. n. 7.

*autem debet ad ea potiùs aptari, quæ & frequenter, & facilè, quàm quæ perraro contingunt* (a). Accedit, quòd Clementina speciatim condemnet militem, qui in bello publico contra alterum adversi exercitus *ob privatas inimicitias* ad singulare certamen descendit. Ergo non de solo duello judiciali, aut solemni sermo est. Et hæc de actionibus in Clementina præcipuè prohibitis.

Quodnam autem discrimen intercedat inter actiones jam prohibitas ante Clementinam, & inter eas, quæ primùm per hanc damnatæ sunt, N. 453. docebimus. Discrimen scilicet datur in licentia ab iisdem absolvendi, ita ut hodie, saltem intra Italiam, ab aliquibus possint absolvere Privilegiati, ab aliis non.

## §. III.

### Quæ personæ in iis Legibus comprehendantur?

412. *Qui pugnat.*
413. *Etiam pugna non secuta, provocans.*
414. *Ac provocatus.*
415. *Præpositi permittentes, vel non impedientes.*
416. *Operam vario modo conferentes cum peccato.*
417. *Consulentes.*
418. *Fautores.*
419. *Suadentes.*
420. *Mandantes.*
421. *Auxilium præstantes.*
422. *Spectatores.*
423. *Et quomodocunque se immiscentes.*

412. PRimum haud dubiè locum sibi vendicant *duo pugiles*, qui duello congredi non sunt veriti, sed in mutua coivêre vulnera. Quòdsi autem sola fuerit facta provocatio, quin pugna secuta sit, quæritur, num tam provocans, quàm provocatus hac lege damnentur, pœnámque incurrant?

413. De *provocante* res est satis aperta; equidem Tridentinum loquitur de iis tantùm, *qui pugnam commiserint*: Dein Gregorius XIII. in sua Constitutione ait: pœnis eos subiici, *etsi ob aliquod impedimentum non commisissent pugnam, si ad locum tamen accesserunt pugnaturi, & per eos non stetit, quo minùs pugnarent.* (*vid.* §. *IV. Clem.*) at Clemens VIII. non requirit,



(a) L. nam ad ea. ff. de Leg.

rit, ut secuta fuerit pugna, vel ut ad locum accesserint pugnaturi: sufficit ei, si provocaverint. Ita colligitur ex §. VIII. Constitutionis, ubi dicitur: *Siquis ad singulare certamen descendat, aut alterum provocet.* Præcipuè ex §. XVII. ubi operam conferentes damnantur, etsi *neque pugna aliqua, aut effectus, nec accessus, aut actus ad pugnam proximus subsecutus sit.* Ergo idem multo magìs de principalibus, provocante scilicet, & provocato, intelligendum venit. Et ita certè Doctores intellexêre hactenus.

414. De *provocato*, qui provocationem acceptavit, mitiùs fors quisquam sentire volet non secuto duello: nec omnino abs re; nam notandum, quòd in nulla Constitutione, aut Decreto de hoc acceptante fiat mentio: sed tantùm de provocante, aut pugnante. Fors etiam Pontifex clementiùs agere cum ejusmodi voluit, utpote qui ægrè, nec sine molestia recusare potuit provocationem. Id certum, *quòd odia sint restringenda.* (a) At tenendum est contrarium; quamvis enim nulla uspiam fiat mentio de acceptante provocationem, nec tamen pugnante: satis est, quòd inter duos antagonistas nunquam ulla constitutio faciat discrimen: sed eos, siquidem pugnent, pari modo condemnet. Sicut ergo, dum pugna committitur, juxta omnes æquale subeunt fatum: ita etiam dum pugna impedita non consequitur, æqualem sortem habeant, necesse est. Atqui provocans, etiam non secuta pugna, feritur: ergo etiam provocationem acceptans. Si Pontifex odia voluisset restringere erga eum, qui provocationem acceptat, id fecisset etiam tunc, ubi pugna sequitur; nam vel etiam in hoc casu dignus est aliqua clementia: vel in neutro.

415. Loco secundo veniunt locorum Domini, Duces, Marchiones, & regionum Principes, Regésque, ac Imperatores, qui duellis inter Christianos locum in suis terris concedunt. Nota illud: *Inter Christianos.* Judæi, aliíve infideles his Constitutionibus non comprehenduntur; nam ad Pontificem non pertinet *de iisdem judicare, qui foris sunt.* Et quomodo excommunicari poterunt, qui per baptismum non sunt ingressi Ecclesiam? Puniri ergo tales debent juxta leges Principum, sub quorum dominio sunt. Quòdsi sint in statu Ecclesiastico, iis pœnis ex hac Constitutione subjacent, qua-

(a) R. J. 15. in 6.

quarum capaces sunt. (a) Cùm ergo Ecclesiæ nihil cum his negotii sit: etiam Principes duellum iis concedentes non voluit ferire suis Constitutionibus. *Vid. Cap. seq.* N. 519. Huc pertinent etiam Magistratus, Præsides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, & Capitanei in castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus hostilis permittentes duellum in quocunque casu, per præsentem, vel alias ejusmodi Constitutiones, prohibito. Nota tamen, posse dari singulare certamen licitum inter milites nonnullos diversorum exercituum, (quod, licitum cùm sit, ùt N. 48. nostri tractatûs exposuimus, nec per præsentem, nec per alias ejusmodi Constitutiones est prohibitum. Eædem personæ feriuntur, si, quantum in ipsis est, non prohibeant, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedant, de quo plura dicemus *Cap. sequente.*

416. Tertiò: In Constitutione recensentur ii, qui ad duellum, vel ad provocationem, sive etiam ad hujus generis scripta, quæ Manifesta, vel provocatoriæ chartulæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda præstiterint *auxilium, consilium, operam,* vel *favorem:* sive *suaserint, mandaverint,* vel qui se quomodolibet *immiscuerint,* Plurima his paucis verbis comprehenduntur, amplam differendi materiam hoc loco præbitura, nisi ùt plurimùm ex illis principiis Theologicis declarari deberent, ex quibus eruitur, quando liceat alterius peccato cooperari materialiter. Interim hic nota pauca ex LA CROIX (b). Qui facit aliquid indifferens, ignorans, an alter sit abusurus, nec ne, non dicitur cooperari, si hoc faciat ex rationabili causa absque intentione, ut alter abutatur; quia in dubio præsumi debet alter non abusurus. Item non pecco, si faciam opus indifferens, & remotè concurrens ad peccatum, quo posito alter peccat, adhuc peccaturus, licèt ego opus non fecissem. Addit is Author (c), quòd si famulus dubitet, an literæ contineant *e.g.* provocationem ad duellum, deferre non posse juxta SANCHEZ: posse autem id facere juxta CASTROPALAO: juxta REBELLUM, & alios etiam debere; quia famulus tenetur obedire, ubi non est peccatum, & in dubio stat præsumptio pro domino.

Rr 2 417. Spe-

(a) Vid. *Peregrin.* de duell. q. 11. (b) L. 2. à n. 250. (c) N. 273.

417. Speciatim de *consulentibus* noto, eos peti Romano fulmine, sive mediatè, sive immediatè: directè sive indirectè consilium præstent, quod colligi videtur ex verbis *quomodolibet se immiscentes.* Praeterea cùm prohibeatur consilium, & auxilium simpliciter, omne consilium, & auxilium, quod malitiam continet, prohibitum esse censetur; nam ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. Voluit nempe sollicitudo summi Pastoris omnem duello viam præcludere. Huc puto referri posse etiam illos, qui narrant aliquid, ex quo videant, audientem ad duellum fore concitandum. Si eo fine narrant, ut concitent, pœnis hujus Constitutionis subjacent. Si verò non eo fine, utut prævideant, nihilominus eum effectum secuturum, eximit eos P. Sporer (a). In quo ego ægrè assentior; nam si sine necessitate, aut gravi ratione id narrent, peccant, dum flammam stupæ admovent. Cur ergo eximendi sint?

418. Circa *Fautores* discrimen facio inter personas publicas, & privatas. Publicæ, habentes gladii potestatem, ex sola omissione possunt dici Fautores, scilicet non prohibendo, non puniendo, ùt deberent vi muneris, quod gerunt: vel non capiendo, si sint justitiæ Ministri; quia qui crimina, quæ potest, non corrigit, ipse committit (b). Privatæ verò personæ ex sola omissione fautores non sunt; quia ad id non tenentur: favere tamen possunt dictis, vel factis. Dictis, si laudent cogitantem inire duellum. Dico: *cogitantem inire;* nam si post commissum laudent, peccant quidem: non autem subjacent Pontificiæ damnationi. Factis faverent, si *e. g.* excubarent in propinquo, ne pugnantes turbarentur, vel caperentur à ministris justitiæ.

419. Cum *suadentibus* etiam involvuntur *instigantes.* Suadere est aliquem placidè rationibus hortari. Instigare est, quadam cum objurgatione impellere. Ita maritum suum nobilis fæmina alicubi instigavit ad duellum, minitando, se ei fores domus occlusuram, si non vindicatus rediret.

420. *Mandantes* etiam illi sunt, qui quidem abstinent verbo imperante *jubeo:* iis tamen utuntur verbis, quæ ex eorum authoritate vim man-

(a) Theol. Moral. Tract. V. in Præcept. V. (b) C. Negligere. II. q. 7.

mandati acquirunt. Sic quandoque Dux supremus, aut Curia militaris læsum in honore, vel provocatum, ad eos confugientem ea responsione dimittit, qua duellum imperari videatur. Ubi dein non sonus verborum, sed sensus attenditur, ùt docet Bartolus (a).

421. *Operam, seu opem præstantes* sunt illi, qui juvant, ut duellum committatur: non autem, qui præstant auxilium post duellum *e. g.* ad fugam, & ex officio non tenentur hanc impedire. Ad hanc classem spectant præcipuè *Patrini* nominati §. *XVIII. Constitutionis*, & à nobis de peccato convicti *Cap. I. n.* 35. Item *arma præbentes*, si ideo præbeant, ut securiùs pugnent, & ex hac securitate animus eis addatur, ad pugnam non declinandam. Aliud est, si commodem amico post conceptum jam firmum pugnandi propositum arma meliora pro sua securitate. Equidem Peregrinus etiam hoc condemnat (b): at malim sentire cum Florono (c).

422. *Spectatores* quoque nominat Constitutio: non tamen omnes, & quicunque huc pertinent; nam quamvis Pius iv. loquatur simpliciter de adstantibus, & Tridentinum de Spectatoribus, tamen Gregorius xiii. velut declaraturus illa verba, non dixit sine addito *Spectatores*, sed *ex composito*: & Clemens viii. *de industria.* Sic nempe Leges generaliter loquentes declarantur, & restringuntur per subsequentes (d). Itaque qui fortuitò supervenit monomachiæ, & attentus aliquamdiu sistit gradum, spectátque cum horrore, non pertinet ad damnatos hìc Spectatores. Sicut neque illi, qui latent occulti, videntes pugnam post fenestram, vel per rimam januæ, nec ipsi visi à monomachis; sic enim non cohonestant pugnam, neque excitant pugiles ad acriorem dimicationem, quæ utraque ratio suberat, cur Pontifex in spectatores animadvertit. Unde etiam illos excusat Diana, & Tamburinus (e), qui sola curiositate ducti spectatum adsunt, cæterùm ad pugnam nil conferunt. At meo judicio deberent hi esse personæ valde viles, ex quarum præsentia neque cohonestari pugna, nec animari pugiles certum esset. Aliqui Authores excusant spectatum acce-

 den-

(a) In L. Non solum. §. Mandato. ff. de injur. (b) De duell. q. 25. (c) In Tract. de prohib. duell. c. 11. §. 3. (d) L. Non est novum. ff. de leg. (e) Apud *la Croix* l. 3. p. 1. n. 1158.

dentes tunc, quando pugna fortuitò fuerit impedita, ita P. Seybold (a). At mihi contrarium videtur probabilius, quia Clemens viii. de industria spectantes numerat cum provocantibus, consilium, opem, vel favorem præstantibus, delicti sociis, & patrinis &c. §. *XVIII.* atqui omnes isti petuntur sacro fulmine, etiam *non secuta pugna, nec actu ad pugnam proximo* §. *XVII.* ergo etiam spectantes de industria. Quin clarè hoc videtur decisum §. *IV.* ubi expressè damnantur *pugnantes, & ex composito spectatores, etiamsi pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si tamen ad locum accessissent pugnaturi.* At, dices, quales hi spectatores, si pugna non exhibetur? ℞. Quales illi patrini, si infans, seu duellum in lucem non editur? scilicet secundùm malam suam voluntatem tales sunt.

423. Denique per *quomodocunque se immiscentes*, non video, quinam facilè ultra recensitos, & expressè in Constitutione nominatos intelligi possint. Apparet ex generali hac expressione, omni studio laborâsse Pontificem proscribere omnia duelli adjumenta, quocunque nomine veniant.

## ARTICULUS II.

### *Declarantur pœnæ, in duellum statutæ.*

QUi legem violat, delictum admittit. Delicto autem debetur pœna, infligenda ab ea potestate, quæ legem tulit. Unde pœnam rectè ex Cujacio definit Zoesius (b), quòd sit delictorum sive criminum coërcitio sive vindicta, inducta ad disciplinæ publicæ emendationem. Ut igitur pœnam, latam in delictum duelli, ritè declaremus, loquemur primò de pœna excommunicationis, ejúsque usu laudabili in Ecclesia. Secundò de pœna aliter afficiente actiones principales, aliter secundarias. Tertiò de privatione sepulturæ sacræ. Quartò de pœnis Clericorum. Quintò de pœnis in Germania non receptis. Sextò de ignorantia excusante à pœnis. Septimò de absolutione à pœnis. Demum de pœnis in Principes, & Magistratus locorum latis, dicemus *Cap. sequente*, ubi ex instituto horum obligationem sumus declaraturi.

§. I.

(a) Erotem. P. 2. sect. 6. §. 5. n. 6. (b) ff. de pœn. n. 1.

## §. I.

### De pœna Excommunicationis, ejúsque usu laudabili in Ecclesia.

424. *Quomodo sit lata in duellum.*
425. *Ejus explicatio datur:*
426. *Et æquitas defenditur contra imperitos.*

424. POena præcipua in duellum lata, est *Excommunicatio*, & quidem *major*, ac *lata sententiæ*, ùt patet ex Decretis, & Constitutionibus Ecclesiasticis *Articuli præcedentis* §. *I.* recensitis, præcipuè ex Constitutione Clementis viii. §. *XVIII.* Et ita quidem in duellum est lata excommunicationis pœna, ut ea se extendat ad actiones, & personas omnes §. *II.* & *III. præcedentis articuli* enarratas.

425. Ut explicem paucis, quid sit excommunicatio, ajo, eam esse ex censuris Ecclesiasticis præcipuam. Est autem *censura* pœna spiritualis, seu Ecclesiastica, qua potestas Ecclesiastica exterior fideles suos delinquentes, & contumaces bonorum quorundam spiritualium usu privat ad eorum correctionem. Ita plerique Doctores cum Suario (a). Ejusmodi censura est excommunicatio, separans excommunicatum à communione fidelium. Ita iterum quoad sensum Suarius cum aliis (b). Excommunicatio duello adhærens non est *ferendæ sententiæ*: sed *latæ*, id est, talis, quæ incurritur admisso crimine, quin opus sit, ut per sententiam imponatur à Judice Ecclesiastico. Et quidem est excommunicatio *major*, non *minor*, id est, non tantùm privat usu passivo Sacramentorum, id est, eorum receptione, sicut *minor*: sed præterea privat simpliciter omnium bonorum, inter fideles communium, participatione. Unde hac excommunicatione ligatus, privatus est communibus Ecclesiæ suffragiis, quæ ex publicis Ministrorum Sacrificiis, & Officiis solent provenire fidelibus: (quid post mortem pœnitentis, Sacramentaliter absoluti liceat, dabit *n.* 433.) excluditur à sacrificio Missæ, ita ut huic adesse nequeat: arcetur ab ingressu templi tempore, quo Divina celebrantur. Caret sepultura sacra. Nec licet ei recipere, vel administrare Sacramenta. Non potest obire officium publicum, etiam

(a) D. 1. de Censur. sect. 1. n. 5. (b) Ibid. D. 8. sect. 1. n. 1.

etiam civile, utpote à communione fidelium separatus. Denique caret favoribus omnibus, veteri illo versiculo contentis:

*Os, orare, vale, communio, mensa negatur.*

Explicare totam hanc damnorum appendicem, Juri Canonico, & Theologiæ Morali incumbit.

426. Meum hoc loco calamum provocant imperiti quidam, & discoli inter ipsos Catholicos, qui tum enimvero se supra vulgus sapere, & judicii sui robur ostentare putant, dum de Excommunicatione jocari potiùs, quàm erudiri malunt. Nôrint hi, etiam in cœtu Protestantium, quorum libros sæpe avidiùs legunt, quàm Catholicos, excommunicationem locum habere. *Ad leges* (Ecclesiæ scilicet, sive Collegii) *servandas sua sponte se obligant*, ait Pfaffius (a) *Collegii membra, pœnisque etiam, quas tantisper sensu depurato ita nuncupamus, sese ita subjiciunt, ut, si eas haud luere velint, Collegiò dein exigantur:* Hanc expulsionem *Excommunicationem* appellant, teste Ludov. Kahle, recenti Authore multùm à suis laudato (b). " Excommunicationem, ait, vocamus declarationem, Ecclesiæ nomine institutam, qua quis pro membro ejus non habetur, donec versus fuerit ad pœnitentiam. Itaque major Excommunicatio decernitur à tota Ecclesia, & rarò ab Evangelicis imperari solet; quia infamiæ maculas incurrit. Quod verò ad minorem excommunicationem, sive exclusionem à sacra Cœna pertinet, hanc recepisse nostrates, nemo est, qui nesciat. " Judicat postea, tam majorem, quàm minorem excommunicationem à Consistorio debere potiùs imponi, quàm à particularibus Ecclesiæ Ministris, idque ob delicta longè gravissima, atque publica.

Nôrint præterea, excommunicationis usum esse antiquissimum, ut nil dicam de Synagoga (c), nil de Gentilibus (d), ad tempora Apostolorum respiciamus. Nónne Paulus hominem incestuosum, qui uxorem patris sui habuerat, jubet extra Ecclesiam ejici: *Tollatur*, inquit, *è medio vestri, qui hoc opus fecerit: auferte malum ex vobismet ipsis* (e). Idem Hy-

(a) De Orig. Jur. Eccles. 1719. (b) Element. Jur. Eccles. c. 4. §. 98.
(c) Vid. *Drusium* de Sect. lib. 3. c. 11. (d) *Danet.* Antiq. Grequ. & Rom.
(e) 1. Corinth. 5.

Hymenæum, & Alexandrum circa fidem naufragantes, Sathanæ tradidit (a). Petrus adversùs Simonem Magum ea verba pronuntiavit : *Non est tibi pars, vel sors in sermone* (b). Percurrenti historiam Ecclesiasticam, & scripta PP. innumera omnis ætatis exempla occurrent. Occurrent etiam sollicita Pastorum monita, data gregi subdito fidelium, ne commercium habeant cum excommunicatis, ne manducent cum eis : sed eorum familiaritatem, ac consuetudinem, quantum possent, evitent.

Id fateor, succedente tempore, quoad formam, & delictorum ita puniendorum numerum multa esse immutata : aliquas etiam divisiones (quoad vocem saltem) esse enatas, in excommunicationem *majorem & minorem : lata & ferenda* sententiæ &c. At sicut in Jure Civili tempus & rerum usus multa perpolivit, ita etiam in Jure Ecclesiastico factum fuisse quis miretur? quis miretur etiam multa à Protestantibus sugillari in usu excommunicationis, prout is viget hodie apud nos Catholicos? Hæc Polemicis discutienda relinquo. Ne tamen suspectam Ecclesiam nostram habeant de immoderatiore potestatis suæ usu, addo, quod cavit prudentissimè Concilium Tridentinum (c) : *Quamvis excommunicationis gladius sit nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris : sobriè tamen, magnáque circumspectione exercendus est; cùm experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quàm salutem.* Quòd si nihilominus quis injustè excommunicatione feriatur, talis erit animo in Ecclesia, sive desiderio, quod ei sufficit ad salutem, quamvis non sit corpore, sive externa communicatione, ùt testatur Bellarminus (d). Unde D. Augustinus ait : *Sæpe etiam sinit Divina providentia expelli de Congregatione Christiana etiam bonos viros, quam contumeliam vel injuriam suam cùm patientissimè ferunt pro Ecclesiæ pace, neque ullas novitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu, & quanta sinceritate charitatis DEO serviendum sit.* (e). Hæc de pœna Excommunicationis dicta sufficiant. Quòd autem non iniquè in duellum fuerit lata, pa-



(a) 1. Tim. 1. (b) Act. 8. (c) Sess. 25. c. 3. de reform. (d) Tom. 2. lib. 3. c. 6.
(e) Lib. de vera Relig. c. 6.

ter ex rationibus, quibus Tridentinum, & Pontifices ad hanc severitatem permotos se fuisse dicunt. Item ex severissimis Edictis Principum, quibus duellum ipsi satagunt profligare. Cùm ergo hoc delictum sit fori mixti, quis vitio vertat potestati Ecclesiæ, si potestati Laicali in persequendo tam noxio delicto palmam nolit cedere?

## §. II.

### De pœna aliter afficiente actiones principales, aliter secundarias; retractatas, & non retractatas.

427. *Exponitur diversitas inter actiones principales, & secundarias.* 428. *Inter retractatas, & non retractatas.*

427. Afficit equidem pœna excommunicationis omnes eas actiones & personas, quas §. *II. & III. præcedentis Articuli* recensuimus: certo tamen cum discrimine. Aliquæ earum actionum prohibentur absque ulla exceptione: aliæ hac lege adjecta, si *per eos* (scilicet actionem talem admittentes) *non steterit, quo minùs duellum sequeretur. Vid. Clementinam* §. *XVII.* Itaque locum habet excommunicatio, si talem actionem duellum sequatur: imò & tunc, si non sequatur, impeditum tamen aliunde, & ex quadam causa omissum, ad quam admittens eam actionem nihil contribuit, ita ut ei omissio duelli non sit adscribenda.

Actiones primi generis excommunicationem afferunt, quamprimum fuerint admissæ. Tales sunt, provocare, & provocationem acceptare, libellos provocatorios divulgare, dictare, componere, affigere, imprimere, vel etiam verbis denunciare. Item actiones his æquivalentes recensitæ *in Clementina à* §. *XI. usque ad finem* §. *XVI.* Ratio est juxta Peregrinum; quia ob actiones principaliter prohibitas, quales sunt istæ, illico pœna intentata solet sequi: non autem ob eas, quæ secundariò, & accessoriè prohibentur, quales sunt, ad prædictas principales consilium, operam, vel favorem præstare, suadere, mandare, vel quomodolibet se immiscere. In has quoque excommunicatio statuitur, etiamsi neque pugna, aut actus ad pugnam proximus, neque aperta provocatio secuta fuerit, neque scriptiones in publicum prodierint, aut cuiquam fuerint nunciatæ, modò per eos (scilicet qui committunt has actiones secundarias, & acces-

sorias)

ſorias) non ſteterit, quo minùs eæ principales fierent. Ita docet PEREGRINUS (a), & in ſimili MOLINA (b). Itaque notes, velim: Vel ſequitur ex tua actione acceſſoria illa principalis, vel non ſequitur? ſi non ſequitur, an tu operam tuam impendiſti ad eam impediendam, ſive an per te ſtetit, quo minùs ſequeretur? ſi ita; eris à pœnis exemptus. Si nihil contuliſti ex tuo: ſed ea actio principalis ex alia cauſa fuit impedita, nihilominus incidis in pœnas, & quidem tunc, quando illa actio, *e.g.* provocatio à te ſuaſa, ſequi de ſe debuiſſet, niſi aliunde impedimentum interveniſſet. Demum ſi ſequitur, quæro, an non ſubtraxeris, & revocaveris operam tuam, antequam ea actio committeretur? ſi non; pœnis ſubjaces. Si aliter, percipe caſum ſequentem.

428. Titius, & Cajus Sempronio conſuluêre, ut adverſarium ad duellum evocaret. Brevì tamen facti ſui pœnitens Titius, incipit provocationem diſſuadere pro viribus. Id dum facere negligit Cajus, Sempronius provocat. Tum demum Cajus quoque cœpit laborare, ut Sempronium ſaltem à duello adhuc abſtraheret. Quæritur, an Titius pœnas Eccleſiaſticas incurrerit? item an Cajus, & quando?

℞. Ad primum. Dehortatio facta à Titio vel fuit talis, quæ mutaverit voluntatem Sempronii, ita, ut hic poſtea aliunde concitatus nihilominus provocaverit: vel, non obſtante dehortatione motus adhuc ex priore adhortatione provocavit Sempronius? Si primum, tunc Titius nullam incurrit pœnam; quia adhortatio ſua in provocationem non influit. Si ſecundum, tunc utique dubio locus eſt. Prima fronte videtur pœnas incurriſſe; quia verè fuit cauſa delicti principalis, ſeu provocationis; cùm adhortatio ſua tam profundè in animum Sempronii deſcenderit, ut nec quidquam adhibita dehortatione, provocaverit. Dein, ſi quis alteri author fuerit ad furandum, & hoc conſilio motus fur committat furtum, tenetur ſuadens reſarcire damnum, quamvis ſuaſionem ante commiſſum furtum adhuc revocâſſet: ergo etiam pœnas ſubire tenebitur Titius.

Oppoſitum tamen videtur verius, nempe Titium ad pœnas ſubeundas non teneri. Ratio eſt; quia excommunicatio non incurritur niſi

 ab

(a) De duell. q. 5. (b) Diſp. 92. n. 11.

ab eo, qui conscientiam gravatam habet peccato gravi (a). Atqui Titius, saltem tunc, dum deberet incurrere excommunicationem, non habet grave peccatum; nam excommunicatio tunc primùm contrahitur in delictis secundariis, quando sequitur, vel sequi debuisset effectus dati consilii ad provocationem; cùm enim Pontifex det spatium resiliendi, & laborandi pro impediendo effectu actionis malæ secundariæ, patet, excommunicationem manere velut in suspenso, donec effectus sequatur, vel sequi de se deberet, nisi aliunde impediretur: ergo Titius tunc, dum deberet incurrere excommunicationem, scilicet tempore provocationis factæ, non fuit gravatus culpa mortali: ergo neque excommunicationem incurrit.

In contrarium adducta non obstant. Verum equidem est, Titii consilium causam dare provocationi; at invito jam Titio, & innocente, qui dehortando Sempronium facit, quantum potuit: ergo ad nihil ultrà tenetur. Fateor tamen, quòd, si Titius alia via impedire provocationem sciret, quàm dissuadendo, eam inire viam fore obligatum. Dispar ratio est de eo, qui consilium dedit furandi. Obligatio restituendi contrahitur ex culpa præcedente, etiam emendata; quia damnum compensandum nihilominus manet: non item excommunicatio ex delicto jam deleto tunc, quando esset contrahenda. Aliud foret, teste PEREGRINO (b), si Titius subdito suo Sempronio mandatum dedisset provocandi; etsi tunc pœnitudo subiret Titium: si tamen non potest revocare mandatum, & sequatur provocatio, nihilominus juxta eum authorem excommunicationem contrahit Titius. Assentior, si subeunte pœnitudine impedimentum, quo minùs revocare mandatum possit, jam adfuit, dum *e. g.* famulus Sempronius jam iter ingressus revocari nequiit; quia tunc excommunicatio suspensa non mansit usque ad provocationem, sed usque ad punctum temporis, quo intervenit impedimentum, uti etiam colligo ex SUARIO (c). Si itaque in hoc puncto Titius, necdum pœnitens, in peccato erat constitutus, excommunicatio suam vim in eum exercere potuit: non item, si jam purum invenisset, & paratum quamcunque operam afferre impediendo malo. Hæc de Titio.

De

(a) Ex cap. Nemo Episcop. ex cap. Nullus. 11. q. 3. (b) De duell. q. 30.
(c) Tom. 5. de Irregul. disp. 44. Sect. 3. n. 13.

De Cajo autem dico sine hæsitatione, eum excommunicationem incurrisse; quia causa provocationis extitit hortando. Quòd postea duellum ipsum dissuaserit, id solum effecit, ut ex ipso *duello* eam pœnam non promereretur, sed ex *provocatione.*

## §. III.

## De privatione Sepulturæ sacræ.

429. *An hæc pœna primùm post sententiam judicis incurratur?*
430. *An ei subjaceat moriens in loco conflictûs: post data tamen pœnitentiæ signa.*
431. *An subjaceat moriens extra eum locum, nihilominus tamen ex vulnere accepto.*
432. *An dispensare possit Episcopus.*
433. *An publicas orationes pro mortuo offerre liceat.*

429. EX synopsi vides in quinque membra resolvi quæstionem. Itaque Q. I. An hæc pœna primùm post sententiam Judicis incurratur? videri posset, quòd ita; quia Tridentinum dicit, occisus in duello *perpetuò careat Ecclesiastica Sepultura.* Verbum *careat* significat alibi in jure pœnam ferendæ primùm sententiæ (a): ergo etiam id verbum hoc loco ita accipi debebit. At explicandum est hoc dubium verbum *careat* per Constitutionem Clement. dicentem: *Privatos esse volumus.* §. *XVIII.* Quòdsi ergo notum satìs sit delictum, nullo pacto occisus admittendus ad sepulturam sacram. Neque opus est exspectare sententiam judicis Ecclesiastici, id quod docet usus, & praxis passim recepta. Quòdsi tamen *notorium* non esset commissum duellum, dato etiam, quòd probari posset per testes sufficientes, Parochus deferat rem totam ad Superiorem Ecclesiasticum. Si etiam apud hunc maneat dubium post adhibitam diligentiam, an per duellum occubuerit, poterit permitti sepultura sacra, ne temere occisus privetur suo jure acquisito, quo per Baptismum censetur potiri Catholicorum quilibet. Ita judicant PEREGRINUS (b), & PIGNATELLUS (c).

430. Q. II. An huic pœnæ subjaceat moriens in loco conflictus post data tamen pœnitentiæ signa? ℞. Ex Tridentino debet peti decisio, dicen-



(a) Ex cap. Omnes utriusque sexus. de Pœnit. & remiss. (b) De duell. q. 7.
(c) Consult. tom. 9. Consult. 88. n. 161.

dicente: *Si in ipso conflictu decesserint:* quod idem sonat, ac *in ipso loco duelli.* Non eximit Concilium morientem post data signa pœnitentiæ: ergo neque nos debemus excipere. Clariùs loquitur Rituale Romanum, jussu PAULI V. editum (a): *Negatur sepultura Ecclesiastica morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa pœnitentiæ.* Contrà opponit PORTELLUS (b), qui pœnitentiæ signa edidit, censendus est, non decessisse in peccato mortali: ergo ei non est neganda sepultura, quæ ipsis adulteris deprehensis, & occisis in adulterio, non negatur, ùt docet DE GRAFF.; neque meretrici juxta NAVARRUM, quæ in domo Amasii reperta est vulneribus confossa, & mortua; quia nemo facilè suæ salutis etiam in extremis immemor esse creditur. At non prævalent istæ rationes contra verba Tridentini, & Ritualis Romani. Neque negatur ea sepultura ob statum malum animæ, in quo ejusmodi homo decedit: sed in odium admissi delicti, quod in foro externo punitur, etsi jam remissum sit à DEO. Ferme sicut in torneamento occumbens privatur sepultura sacra, *quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur,* ùt habet *Cap. I. de torneam.*

Mitior est LA CROIX (c) cum TAMBURINO judicans, si ante obitum non *qualiacunque signa pœnitentiæ* ediderit: sed confessus, & absolutus fuerit, eum dici posse *moraliter* decessisse post conflictum; cùm intercedat utique mora inter confessionem, & vulnus, & utique minùs sit, signa aliqua pœnitentiæ edere, quàm Sacramentum Confessionis suscipere. Si autem sufficerent quælibet signa, rarò privatio sepulturæ haberet locum: cùm rarissimè ita quis saucietur, ut neque dando ejusmodi signo sufficiat. At ego nolim esse nimis facilis in adoptanda hac sententia propterea; quòd hoc modo non fuisset opus exprimere hanc pœnam in Ecclesiasticis legibus; nam suffecisset, solam imposuisse excommunicationem, utpote quæ de se jam conjunctam habet privationem sepulturæ, quamdiu per absolutionem sublata non fuerit. Quòdsi ergo per Confessionem & Absolutionem ab Excommunicatione, quam Sacerdos in loco duelli huic vulnerato impertiri solet, recuperatur sepultura, pœna hæc, singulariter ad terrorem addita, effectum nullum habet, quem non haberet excommunicatio, jam aliàs connexa cum privatione sepulturæ, id quod non est satis credibile.

Dices

(a) Tit. de Exequiis. (b) In resp. mor. tom. I. part. 3. cas. 10. (c) L. 3. p. I. n. 864.

Dices tamen: eum adhuc singularem effectum futurum statutæ pœnæ, quòd eum sepultura excludat, qui post *qualiacunque* signa pœnitentiæ absolutus à peccatis, & excommunicatione fuerit. At nescio, an hoc sufficiat menti Legislatorum neutiquam lenium in hac materia: præcipuè si attendam ad rigorem illum, quo docent nonnulli, quòd sepultura sacra sit privandus etiam ille, qui extra locum conflictus moritur: modò moriatur ex accepto ibi vulnere. *Vid. n. seq.* neque illud satis perspicio, quomodo faciens confessionem censeatur *Moraliter* non decedere in loco conflictus. Quidquid sit: ego solùm dixi, me nolle esse nimis facilem in adoptanda hac sententia.

431. Q. III. An pœnæ huic subjaceat moriens extra locum quidem conflictûs: ex accepto tamen vulnere? Controversum hoc est multis in utramque partem stantibus viris doctis. Examinatis eorundem argumentis, meô quidem judiciô, non videtur is excludendus à sepultura sacra. Ratio est quia si post complures primùm horas, vel etiam post unum, alterúmve diem in ædibus suis exspirat, utique neque in *ipsô conflictu*, neque in *loco duelli* potest dici obiisse. Cur ergo ultra verba legum extendatur pœna adeò gravis, & infamis; cùm tamen universè odia sint restringenda (a)? Certè si voluissent hanc severitatem Concilium, aut subsequentes Pontifices, aliis usi essent verbis in hac præcipuè materia, in qua singulos apices multa cum consideratione videntur scripsisse. Rationes contrariæ Peregrini & Pignatelli non movent satis; nam primò dum Pignatellus dicit, sic opus non fuisse hanc pœnam exprimere; cùm privatio sepulturæ sit effectus consequens ad excommunicationem; ajo hanc pœnam peculiarem habere effectum; quia, dum quis *in loco duelli*, etiam absolutus à peccato, & excommunicatione decedit, nihilominus locum damus illi pœnæ. Secundò, dum Peregrinus (b) se fundat in torneamentis, nego ego, quòd in his ludis vulneratus sepultura privandus sit, si non in arena, sed aliquo tempore pòst decedat è vita. Certè textus ait: Si quis *ibi* mortuus fuerit, ubi scilicet *milites ex condicto convenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ congredi.*

432. Q.

(a) Reg. J. in 6. C. Odia. (b) De duell. q. 7. n. 4.

432. Q. IV. An dispensare possit Episcopus cum eo, qui privari sepultura sacra est promeritus? ℞. DUVALLIUS (a), Episcopum cum his, si contriti, & confessi obierint, justis de causis posse dispensare. Quin DIANA existimat (b), neque opus esse dispensatione Episcopi; eo quòd hujusmodi homo censendus sit non fuisse mortuus in peccato mortali. At negat PIGNATELLUS, judicans id pugnare cum praxi S. Pœnitentiariæ (c). Mihi videtur, si contritus, & confessus quis obierit, Episcopum posse rescribere *e.g.* Parocho consulenti, ut sequatur sententiam mitiorem, secundùm quam ejusmodi homo privationis pœnam non incurrit. Quòdsi autem extra dubium sit, incurrisse hanc pœnam, non video, qua potestate Episcopus sine speciali facultate possit dispensare contra Concilia, & Canones. *vide* AUGUST. BARBOSAM. (d)

433. Q. V. An publicas preces pro ejusmodi mortuo, & Ecclesiastica sepultura privato, si pœnitens tamen obiit, liceat persolvere, atque ipsum SS. Missæ Sacrificium offerre? ℞. licet; quia, quamvis excommunicationem incurrerit; non fuit tamen nominatim declaratus: talem autem excommunicatum non tenemur vitare, neque in profano, neque in sacro Commercio. Neque constat mortuum fuisse in peccato mortali: quin potiùs contrarium fas est credere NAVARRO (e) & PIGNAT. (f)

## §. IV.

### De pœnis Clericorum, reorum de duello.

434. *Potest contingere hodie adhuc, ut Clericus fiat reus hujus delicti.*
435. *Pœna in id lata.*
436. *Privatio beneficiorum.*
437. *Inhabilitas:*
438. *Irregularitas.*

434. HActenus promiscuè locuti de pœnis latis in monomachos, dicemus jam, quæ pœnæ, præter jam declaratas, speciatim in Clericos latæ sint, si quidem se hujus criminis reos faciant. Apud veteres duellō, vel propria, vel aliena manu, dimicâsse Clericos, narratum est *n.* 59.

(a) In 2. 2. D. Th. q. 17. art. 1. (b) P. 5. tr. 3. resolut. 140. (c) L. cit. n. 168.
(d) De potest. Episc. p. 2. compend. n. 75. (e) Tr. de Orat. c. 19. Concl. 6.
(f) Loc. cit. n. 170.

*n.* 59. Nec solùm pugnando noxam possunt contrahere, verùm etiam operam conferendo per actiones, quas ex Clementina recensuimus esse prohibitas sub pœnis gravissimis *Art. præced.* §. *II.* Quid quòd hodierna etiam ætate inter adynata referendum non sit duellum ab ipso Clerico susceptum; factum habe. Coriolanus, atque Horatius, viri duo clarissimi, potenti cuidam Principi erant à Consiliis, & duæ velut vastissimi dominatûs columnæ, quas tamen, ùt fieri in aulis solet, gravis æmulatio collisit. Coriolanus malens proprio nomine imperare minori cuidam Principatui, quàm ad ampliorem regendum operam conferre cum æmulo, felici electione Canonicorum Principatum quemdam cum Episcopali dignitate obtinuit. Quo minùs autem mox eò abiret, potentissimus ille Princeps impedivit, obtentâ à Romana Sede licentiâ servandi sibi aliquamdiu adhuc virum, expediendo gravi cuidam negotio oppidò necessarium. Dum sic trahuntur moræ, erumpit subitò æmulatio eousque, ut ad duellum evocaretur electus, & confirmatus, necdum tamen consecratus Episcopus; qui etiam gladium, quem necdum posuerat, stringere non dubitavit in loco condicto: mox iterum coactus eundem in vagina condere, ubi superveniens quis altioris ordinis pugnam diremit imperiô.

435. Quas jam hic Clericus pœnas juxta rigorem juris Ecclesiastici debuisset ferre, recensendum est. Pius IV. (a) ubi tam pugnantes, quàm provocantes, aut locum ad pugnandum dantes, ac in illis adstantes, comitantes, nec non consulentes, ac adhærentes, & fautores, nec non chartas certaminis subscribentes, vel affigentes, aut publicantes, cujuscunque dignitatis fuerint, modò inferiores sint Imperatore, ac Rege, excommunicatione feriit, addit: *Si Ecclesiastici fuerint, etiam omnibus & singulis Ecclesiis, Monasteriis, & Dignitatibus, & aliis beneficiis Ecclesiasticis, per eos obtentis, seu in quibus, & ad qua jus eis competit, eo ipso privati, & ad illa, ac alia imposterum obtinenda inhabiles existant, nec non illa, tanquam per privationem hujusmodi vacantia, ab aliis impetrari possint, extendimus, & ampliamus.* Hanc Constitutionem Pii IV. Clemens VIII. in sua confirmat, declarat, & extendit ad duellum privatum, actionésque huc



(a) In Constit. *Ea, quæ à Prædecessoribus* &c. an. 1560.

pertinentes. His ſtatutis ut lucis quidpiam afferamus, triplex dubium enodare juvat.

436. Q. I. An Clericus commiſſo duello excidat beneficio, dignitate, atque officio ante ullam ſententiam judicis declarantis vel crimen, vel pœnam? Communiùs docetur, quòd non: ſed ut excidat, requiri, ut declaretur, ſi non etiam pœna, ſaltem crimen. Unde licitè poteſt retinere, quod poſſidet, eóque frui, donec dejiciatur à judice: vel alius id ſibi impetraverit beneficium. Ratio eſt; quia durum nimis foret, ſi in ſe ipſo quis pœnam exequi deberet. Unde P. SCHMALZGRUEBER prudenter diſcrimen ſtatuit inter pœnas, privantes jure jam quæſito, & inter alias. Has, ait, ante ſententiam declaratoriam incurri: non illas (a). Verba ergo Pontificis: *eo ipſo*, vel *ipſo facto*, id operantur, ut neceſſe non ſit per ſententiam ſtatuere pœnam, modò declaretur crimen. Hinc ante hanc declarationem Clericus facit fructus ſuos; ea tamen lege, ut poſt declarationem reſtituere eos debeat, quos percepit à die criminis commiſſi, reſtituendos aliàs ſolùm à die latæ ſententiæ, niſi adjecta verba eſſent: *ipſo facto, eo ipſo.* Item actus, & contractus, quos à die commiſſi criminis geſſit, fuerunt tantùm revocabiliter validi: conſequenter, ſi irritari poſſint, irritandi. Tali ſpoliato SANCHEZ (b) adjudicat ex collectis fructibus à die commiſſi criminis aliquam ſaltem partem pro compenſandis laboribus, interea præſtitis. Neque huc trahenda eſt juxta PEREGRINUM (c) ſententia PAULI II. (d), qua alienans bona Eccleſiæ *ipſo facto absque declaratione* privatur beneficiô; nam in præſenti materia hæc expreſſio *absque declaratione* non eſt addita, unde colligere datur, mentem Pontificis hìc talem non fuiſſe. Quin exiſtimat P. PICHLER (e), eam quoque clauſulam poſſe de ſententia declaratoria *pœnæ* intelligi: non de declaratione *criminis*, citans COVARRUVIAM, alióſque.

De Coriolano dubitari hac occaſione poſſet, an non poſt commiſſum delictum illico ad novam electionem Canonici Eccleſiæ Cathedralis potuiſſent progredi propter verba Conſtitutionis dicentis, quòd beneficia, ab ejus-

(a) Tit. de Cler. pugn. n. 53. 57. (b) L. 3. de matrim. diſp. 51. n. 12.
(c) De duell. q. 7. n. 11. (d) Extrav. *Ambitioſæ*. int. commun. de Reb. Eccl. non alien.
(e) L. 5. tit. 37. n. 9.

ejusmodi reis antè possessa, *tanquam vacantia ipso facto impetrari possint?* Quidquid sit de jure, consultum est, & moris in ejusmodi casibus properare lentè.

437. Q. II. An *inhabilitas* ad acquirenda posthac beneficia incurratur ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis, ita, ut collatio facta inhabili sit ipso facto nulla, etiam in foro conscientiæ, & beneficium retineri non possit tutâ conscientiâ? Graves DD. id affirmant, negantibus aliis. Hos inter est SUAREZ (a), MOLINA (b), & LAYMAN (c), docentes solam pœnam excommunicationis, suspensionis, interdicti, atque irregularitatis locum habere ante judicis sententiam, nisi rigor sententiæ contrariæ sit alicubi jam receptus. MOLINA sic habet: " Pœna illa inhabilitatis ad beneficia, & officia obtinenda (pro exemplo adducit præsentem Constitutionem GREGORII XIII. de duello: id quod tamen clariùs ex Constitutione PII IV., & CLEMENTIS VIII. apparet) quoniam acerba est admodum, & permixtim apposita cum aliis, quæ vim non habent ante latam sententiam, excipienda est per epiichiam à regula COVARRUVIÆ dicentis: quando lege aliqua efficitur aliquis incapax rei alicujus, sive in pœnam, sive quavis alia de causa, vim illud habet etiam in foro conscientiæ, nulláque exspectata sententia. "

Cæterùm id certum videtur PIGNATELLO (d), quòd, si inhabilitatis pœna sit lata quoad illud numerô beneficium, ea obliget in conscientia ante omnem declarationem. Item si inhabilitas nascatur ex censura, vel irregularitate, quin scilicet apponatur ùt pœna singularis, prout hìc fit.

438. Q. III. Quomodo contrahatur *Irregularitas*, sive illud impedimentum Canonicum, quod impedit (non irritat) susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, & jam susceptorum usum? ℞. Si in duello alterum quis occidit, vel mutilaverit, dubium non est, quin incurratur ante omnem sententiam (e). Si verò mors, & mutilatio non est secuta, tunc monomachiæ reus, fit ipso facto infamis *per Bullam* PII IV.. Infamibus autem

 portæ

(a) Tom. 1. de Relig. tract. ult. de Sim. c. 61. (b) Tr. 2. disp. 96. n. 6.
(c) Lib. 4. Tract. de Sim. n. 74. (d) L. cit. n. 130. (e) C. 1. & 2. de Cler. pugn.

portæ dignitatum patere non debent (a). Est autem Ordo Ecclesiasticus, & multo magìs Episcopatus honor, & dignitas (b): sequitur ergo, quòd duelli reus ad Ordines Ecclesiasticos, aut Episcopatum promoveri non possit, vel promotus exercere id officii non possit. Ita PEREGRINUS (c). Hìc tamen notandum, quòd iis in Provinciis, ubi pœna infamiæ non est recepta, & in usu, utì in Germania *juxta* §. *sequentem*, quòd ibi neque ìrregularitas oriri ex infamia possit. Insuper nota, irregularitatem etiam contrahi à suadentibus, mandantibus &c. de quibus suprà. Quid autem in dubio juris, vel facti tenendum sit, docetur in principiis generalibus de Irregularitate. *vide Canonistas passim.* Unde patet, quibus pœnis semet obnoxium Coriolanus noster de jure fecerit. At tanti viri merita, & spes in futura tempora ingens meritò permovit Romanum Antistitem, ut rigori justitiæ clementiam præhaberet.

## §. V.
## De Pœnis in Germania non receptis.

439. *De proscriptione, infamia &c. est satis certum, non esse receptas.* 440. *De excommunicatione non nemo dubitat.*

439. PRæter excommunicationem pugnantes in duello, & eorum patrini incurrunt *proscriptionem omnium suorum bonorum*, perpetuam *infamiam*, pœnámque in *homicidas* à SS. Canonibus statutam. Ita Tridentinum *loc. cit.* PIUS IV. in Constitutione *Ea quæ* &c. statuit etiam pœnas crimini *læsæ Majestatis* proprias, adempta simul facultate, seu habilitate ad testandum. GREGORIUS XIII. *loc. cit.* extendit eas pœnas etiam ad duella privata; quin videntur omnes pœnæ, in pugnantes, & patrinos latæ, etiam extendi ad consulentes, mandantes, favorem præstantes, ac ex composito spectatores vi Constitutionis PII IV., GREGORII, & demum CLEMENTIS VIII. confirmantis omnes jam priùs statutas pœnas, & extendentis ad omnes culpas, prohibitas in Decretis prioribus. De his pœnis quæri inprimis posset, quo jure potestas Ecclesiastica eas, utpote haben-

tes

(a) R. J. 87. VI. (b) C. un. de oblig. ad ratioc. (c) Q. 7. n. 6. cum commun.

tes effectum merè civilem, statuere possit, quin egredi limites suos videatur? Resp. GIBERTUS, non habere nisi rationem consilii, à potestate sacra suggesti potestati sæculari (a). Quidquid sit de hoc: de his pœnis satis certum est, non esse usu receptas in Germania; non enim facilè quis viderit monomacho à potestate Ecclesiastica eas fuisse inflictas. Jam verò *leges firmantur, cùm moribus utentium approbantur* (b). Et ita præter alios docet P. SCHMALZGRUEBER (c). De pœnis, latis in Magistratus, & Præfectos *vid. Cap. IX.*

440. De excommunicatione quoque dubitare non veretur LAYMAN (d): " Pœna excommunicationis, ait, latæ sententiæ decreta est in Tridentino tum in locorum Dominos, qui duellum illicitum sua authoritate permittunt: tùm in ipsos duello concertantes, eorúmque patrinos, auxiliatores, spectatores. Insuper ut, si tali in conflictu decesserint, Ecclesiastica sepultura careant. Loquitur autem Concilium tantùm de duellis publicis, & cum solemnitate institui solitis. Postea verò GREGORIUS XIII., & denique CLEMENS VIII. Concilii pœnas etiam ad duella privata extendit, & Sedi Apostolicæ reservavit. Ex quo colligit DELRIUS, & SANCHEZ, ex vi harum Bullarum excommunicationis pœnam etiam ab iis incurri, qui certo loco, ac tempore designato ad certamen singulare, quamvis nulla alia solemnitate adhibita, ex condicto accedunt. Verùm Germani, aliíque Septentrionales, sive ob ignorantiam, sive quia Constitutiones illæ secundùm hunc sensum promulgatæ, & in usum deductæ non sunt, à censura excusari videntur. „

Sed contrà ait SCHMALZGRUEBER: quoad pœnas spirituales, puta excommunicationis, privationis sepulturæ, beneficiorum, item inhabilitatis ad illa, dictas Constitutiones receptas esse, nemo est, qui dubitet. Et bene; nam ab his pœnis Germanos, aliósque Septentrionales non excipit ignorantia, quæ, qualiscunque fuerit tempore LAYMANNI, hoc certè sæculo adeò universalis non est, etiam inter has gentes. Neque eximit promulgatio nunquam his in terris facta; nam probabiliùs sufficit promulgatio facta Romæ, ùt docent cum SUAREZ (e) Canonistæ plurimi *tit. de Constit.*



(a) Corp. Jur. Can. Prolegom. p. priore. tit. 8. (b) Can. 3. d. 4. (c) Tit. de Cler. pugn. n. 41. (d) L. 3. Tract. 3. p. 3. c. 5. n. 4. (e) L. 4. de Leg. c. 15.

*stit.* Accedit, quòd, modò lex observetur, ipse usus suppleat promulgationem; *cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quòd judiciô populi receptæ sint* (a). Sic Bulla Cœnæ, & Regulæ Cancellariæ obligant apud nos, licèt hîc non promulgentur speciatim. Itaque eæ Constitutiones de duello ea plenitudine, vel restrictione, qua in usum deductæ sunt in Germania, etiam obligant. Quoad excommunicationem autem receptas esse æquè certum est, ac quòd sepultura sacra excludantur occisi in duello. Aliud est, an ea excommunicatio etiam quoad *reservationem* sit recepta, sive an ex usu habeatur pro tali, à qua absolvere soli Sedi Pontificiæ reservatum sit, præcipuè ubi mors secuta non fuit. SCHMALZGRUEBER videtur dubitare: communiùs creditur reservata esse. Quòdsi ita, per illud rigor minuitur, quòd, etsi reservata sit, absolvere in Germania alii quoque possint præter Summum Pontificem, de quo mox plura.

## §. VI.

### De ignorantia excusante ab his pœnis.

441. *Præmissis notandis, statuuntur sequentia:*
442. *Ignorantia legis vetantis duellum, aut actionem eò pertinentem, excusat à censuris.*
443. *Item ignorantia pœnæ statutæ.*
444. *Aut ignorantia facti.*
445. *Etiam ignorantia comitans.*
446. *Non tamen affectata, & crassa.*
447. *Neque ignorantia reservationis à reservatione.*
448. *Ignorantia autem debet probari in foro externo.*
449. *Non item in interno.*

441. EQuidem quæstio hæc ad principia generalia de Censuris pertinet; cùm tamen ex monomachis non pauci sint, qui saltem aliquas harum pœnarum ignorent, utpote viri militares, licebit hoc loco in compendio referre, quid de excusante ignorantia doceatur in Scholis. Ut ordine procedamus, NOTO ex D. THOMA, & aliis Authoribus primò, ignorantiam aliam esse voluntariam, seu *vincibilem*, ac culpabilem; quando scilicet quis scire potest, ac debet, quid statutum sit. Aliam non voluntariam,

(a) L. 32. ff. de Leg.

tariam, seu ***invincibilem***, ac inculpabilem, quando quis vel non potest, vel non debet scire, quod statutum est, Aliqua etiam est ***affectata***, quæ directè est volita, & quæsita, ùt si fugias ostendere tibi volentem Constitutiones Ecclesiasticas, contra duellum editas. *Crassa* erit, si omittas ipsus inspicere ejusmodi Constitutiones, cùm tamen facilè posses. Alia est ignorantia ***juris***, ùt si ignores prohibentes leges, & statutas pœnas. Alia ***facti***, ùt si ignoras actionem tuam contineri ea prohibitione. Item alia est ***antecedens***, cùm quis, si sciret prohibitionem, non peccaret : nunc autem peccat, quia nescit. ***Comitans*** autem est, cùm quis ignoret se peccare : sed nihilominus peccâsset, tametsi notitiam habuisset. Talis non tam ***ex*** ignorantia peccat, quàm ***cum*** ignorantia, ùt inquit ARISTOTELES (a).

Noto secundò. Ubi lex est sufficienter promulgata, ita ut scientes liget, obligat etiam invincibiliter ignorantes : & quamvis hi excusentur à peccato, & pœna, si legem transgrediantur : alios tamen adhuc effectus habere lex potest. Sic lex Tridentini de matrimonio clandestino obligat ignorantes, ubi promulgata est; unde ignari hujus legis, clàm contrahentes, matrimonium revera non contrahunt, quamvis nec culpæ, nec pœnæ reos se faciant.

Noto tertiò. Constitutiones latæ contra duellum obligant, in quantum sunt usu receptæ in quavis Provincia post promulgationem Romanam, ùt paulò antè monuimus, præscindendo jam ab ea quæstione, an requiratur etiam promulgatio, facienda in Provinciis. His præmissis

442. Dico primò : Si quis Constitutiones, contra duellum latas, invincibiliter ignorat, quamvis actionem admittat, non tantùm in illis, sed etiam aliis legibus, vel etiam jure naturali, aut Divino prohibitam, non incurret in foro conscientiæ pœnam excommunicationis, neque interdicti, aut suspensionis, aut etiam irregularitatis, consurgentis ex delicto. Videtur hoc colligi ***ex Cap. 2. de Constit. in*** 6. ubi hæc habentur : ***Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit & supina.*** Ut ergo animarum periculis obvietur, idem dicendum erit de

(a) In 3. Ethic. c. 1.

de excommunicatione &c. Peculiaris adhuc ratio est circa excommunicationem; quia scilicet ad hanc promerendam requiritur inobedientia, & contumacia quædam contra Ecclesiæ legem: nescientes autem inobedientes, & contumaces dici non possunt. Puniendi ergo ejusmodi rei sunt pœnâ legis Divinæ, contra quam scientes peccavêre: non pœnâ legis Ecclesiasticæ. Unde sequitur: si noverint unam Constitutionem, non autem alias, pœnas ejus incurrent, quam noverint: non aliarum. Non tamen nego etiam sententiam contrariam esse probabilem. De interdicto, suspensione, & irregularitate consurgente ex delicto par est ratio; quia interdictum etiam imponitur ob contemptum clavium, & contumaciam, ut notat Francus (a). Et animarum periculis obviari ubique debet. Pœna etiam Jure Divino statuta sufficiens est ad plectendum eum, qui non scit nisi Jus Divinum. Dixi de industria *irregularitatis ex delicto consurgentis*; nam eam, quæ factum ipsum sequitur, & absque omni culpa ob solam significationem, vel ob defectum lenitatis in bello justo contrahitur, & multo magis in duello, si in necem, aut mutilationem desinat, constat quacunque data ignorantia sive juris, sive facti contrahi; nam ideo ignorantia eximit à pœna, quia liberat à culpa. Cùm ergo hæc irregularitas, quæ factum ipsum sequitur, non exigat culpam, ignorantia non excusabit ab illa. *vid.* Peregr. (b)

443. Dico secundò: Si quis haberet notitiam supradictarum Constitutionum, id est, actionum in iis prohibitarum: ignoraret tamen invincibiliter censuras in transgredientes esse statutas, is esset excusatus ab his pœnis in foro conscientiæ. Equidem aliqui censent contrarium; eo quòd talis nihilominus esset inobediens contra legem prohibentem Ecclesiæ, quam scit: ergo non est, inquiunt, cur talis pœnas non incurrat. Utique malefici, addunt, in foro criminali puniuntur pœnâ per legem statutâ, quamvis nescìverint pœnam illam esse tali delicto statutam: ergo idem fiet in foro Ecclesiastico. Præterea occidens incurrit irregularitatem, & casum reservatum, quamvis nesciverit irregularitatem, & reservationem homicidio esse annexam: ergo etiam incurrit censuram. Hæ rationes sententiam horum Authorum reddunt probabilem: nihilominus opposita videtur probabi-

(a) In cap. 2. de Const. in 6. (b) De duell. q. 8. n. 20.

babilior. Ratio validior stat in eo; quòd tales pœnæ ab Ecclesia imponantur tanquam admonitiones, & medicinæ præservantes: non autem habent rationem admonitionis, aut medicinæ *præservantis*, nisi prænoscantur ante culpam, atque ita timore suo deterrere valeant: ergo etiam non incurruntur, nisi præcognoscantur. Pœnas civiles quod attinet, sunt, qui putant, extraordinariæ si sint, non incurri ab illo, qui invincibiliter ignorat, eas esse transgressioni annexas, quod probabile etiam credit SUAREZ, SANCH. CASTROPAL. *vide* LA CROIX (a). Et certè, qui pœnam nescit annexam, minùs protervè peccat: ergo etiam mitiùs puniendus est. De irregularitate suprà diximus, quòd aliqua incurratur non ex delicto, sed alia de causa, *e. g. ex defectu* lenitatis in bello justo: ergo cum irregularitate *ex delicto*, aut alia censura comparari nequit. Sic etiam de reservatione dico, si aliqua esset purè pœnalis, qualem hodie dari negat LA CROIX (b), tunc etiam illa ab ignorante non incurreretur, sicut nostræ censuræ, pœnæ rationem habentes.

444. Dico tertiò: sicut ignorantia juris, id est, prohibitionis, & pœnæ, per Constitutiones latæ, in materia duelli excusat à censuris: sic etiam ignorantia facti excusat. Sic multi nôrunt equidem prohibitum esse duellum, & excommunicatione puniri ab Ecclesia: nesciunt tamen actiones, per quas opera variis modis ad duellum confertur, eadem damnatione involvi; hos, ajo, à censuris quoque eximi in foro conscientiæ. Idem est, si quis duellum suum haberet pro rixa extemporanea. Ratio est eadem ferme, qua probavimus, ignorantiam juris excusare.

445. Dico quartò: ignorantia *comitans* tam *juris*, quàm *facti* excusat ignorantem in foro interno à censuris. Sic *e. g.* ignorat quis, chartam, quam scribit, vel defert conductus ab alio, esse revera provocationem ad duellum: comparatus tamen ita est animo, ut esset scripturus, aut declaraturus, quamvis sciret esse talem: hæc ignorantia comitans factum, ajo, excusat à censuris; nam per actum externum, & internum imperantem hanc scriptionem, scribens non cupit lædere leges Ecclesiæ: ergo per hos actus non meretur censuram juxta dicta *Conclus. I.* Actum



(a) L. 7. n. 95. l. 1. n. 767. (b) L. 6. p. 2. n. 1602.

autem internum, quem fortè conjunctum habet, secum statuens: *Scriberem, vel deferrem etiam vetante Ecclesia*, hunc, inquam, *merè internum* Ecclesia non punit per censuras, ùt habet communis. Similiter si sciret quis provocationem ad duellum esse prohibitam jure Divino, & naturali, ignoraret tamen inflictam esse huic delicto censuram: nihilominus nimiùm audax diceret secum: *Provocarem, non obstante quacunque censura*, hæc ignorantia juris, ajo, iterum excusat à pœna illa. Ratio est eadem; quia per actum externum, & imperantem internum plus non agit, quàm ille, de quo *in Conclusione II.* egimus; per internum autem non conjunctum cum externo, sibi respondente, non incurritur censura juxta stylum Canonici juris. Quòdsi autem nullum actum internum conditionalem adjungas, sed fingas, eum provocantem, *habitualiter* spectatum, esse ita constitutum, ut facilè prævideri possit ita acturus, etsi legem Ecclesiasticam cognosceret, vel pœnam sciret annexam; tunc sentio, ejusmodi Constitutionem habitualem nil facere ad meritum, vel demeritum. Sic conjugatus, qui accedit ad conjugem propriam, quem tamen tu divinas, vel Deus scit accessurum fuisse etiam ad alienam, si modò invenisset in thoro, non contrahit culpam, aut pœnam adulterii. Fateor tamen, sententias contrarias etiam esse probabiles, & niti gravi authoritate DD. (a). Nihilominus meminisse juvat R. J. 49. VI. *In pœnis benignior interpretatio est facienda.*

446. Dico quintò: Ignorantia *affectata* sive *juris* sive *facti* non excusat; quia est expresśè voluntaria, & æquiparatur dolo. Sic DD. cum Suario communiter (b). Idem ferme dicendum de ignorantia *crassa*, & supina; cùm enim hæc non excuset à culpa, neque excusabit à pœna (c). Excusat tamen ignorantia crassa à pœna legis, quando lex punit eos, qui *scienter* fecerint. Quin si lex dicat: qui *præsumpserit*, *vel ausu temerario* aliquid fecerit, sit subjectus huic pœnæ, adhucdum excusabit ignorantia crassa (d).

447. Dico sextò: Si quis habens notitiam Constitutionum, & pœnarum, nesciret tamen reservationem, id est, quòd absolutio reservata

sit,

(a) Vid. *Pereg.* q. 8. à n. 27. (b) In 3. p. D. Thom. tom. 5. disp. 4. sect. 11. n. 1. (c) *Sanch.* tom. 1. de matrim. l. 5. disp. 3. n. 13. (d) Idem l. c. l. 3. disp. 48. n. 7.

sit summo Pontifici, sicut reservata est in duello, propter hanc ignorantiam non excusaretur à reservatione. Ratio est; quia talis reservatio non est statuta in pœnam: sed ob bonam Ecclesiæ gubernationem; nam expedit ad bonum regimen, ut graviora delicta superioribus reserventur juxta Tridentinum (a).

448. Dico septimò: Quamvis in foro externo, duobus mensibus à legis promulgatione transactis, præsumatur illius notitia: tamen admittitur probatio in contrarium. Quomodo autem probetur, dubium est inter Authores. Aliqui dicunt, ignorantiam esse probandam juramento ignorantis, ita COVARRUVIAS (b). Alii dicunt, conjecturis esse probandam, ita BALDUS (c). PANORMITANUS docet, meo judicio, optimè (d) esse arbitrarium secundùm quantitatem præjudicii, qualitatem personæ allegantis ignorantiam, qualitatem ignorantiæ, & qualitatem facti, in quo ignorantia prætenditur.

449. Dico octavò: In foro conscientiæ si quis asserat, se nullam habuisse notitiam supradictarum Constitutionum, vel pœnarum ibi statutarum in actionem, à se commissam, credendum est ei; quia, licèt in foro externo prætendenti ignorantiam incumbat onus probandi: tamen in foro conscientiæ creditur pœnitenti pro se, & contra se (e).

## §. VII.

### De absolutione à Censuris latis in duellum.

450. *Præmissa notitia generali de reservationibus, dico:*
451. *Casus duelli est reservatus Papæ.*
452. *Potest tamen quandoque etiam Episcopus absolvere.*
453. *Possunt id quoq; Regulares pleriq;.*
454. *Non obstante derogante Clementis VIII. de anno M. DCI.*
455. *Circa hanc residuum dubium unicum explicatur.*

450. DE excommunicatione potissimùm hic nobis sermo erit; námque de pœnis propriis solis Clericis, dictum est §. *IV.* De pœnis Magistratuum & Principum, quas inter eminet *Interdictum*, agemus *Cap. seq.*

Uu 2

(a) Seff. 14. de caf. reserv. (b) L. 2. var. Resolut. c. 10. (c) In l. 1. num. 1. ff. de LL. (d) In cap. 2. num. 9. de Constit. (e) *D. Thom.* Quodlibet. 1. art. 12.

*seq.* Cùm ergo quæratur, ad quem spectet absolvere ab excommunicatione, quæ ratione duelli contrahitur, certum nobis debet esse inprimis, sicut potestas ferendi Censuras in certa peccata datur in Ecclesia, ùt *n.* 426. probatum est: sic etiam dari potestatem ab iis absolvendi; secùs enim Ecclesiæ disciplina magis in destructionem vergeret, quàm ædificationem, ùt observat TOURNELY (a). Nec tamen ista potestas solvendi censuras cum suis peccatis promiscuè conceditur, sed reservantur multæ Censuræ, & peccata solvenda altiori potestati. Papa sibi reservat talia solùm peccata, quæ annexam habent censuram excommunicationis: quamvis posset & alia peccata sibi reservare. Est autem *Reservatio* non concessio, seu negatio jurisdictionis ad absolvendum ab aliquo peccato, quamvis circa alia concedatur. Certum est, in Ecclesia esse potestatem aliqua peccata reservandi, à quibus inferiores Confessarii nequeant absolvere, ut sic meliùs, & securiùs dirigantur subditi, & magis absterreantur à certis peccatis. Reservari ergo possunt *atrociora quædam, & graviora delicta*, ùt docet Tridentinum (b) *præsertim illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Pluribûs hoc contra Wicleffum, & hæreticos alios demonstrat SUAREZ (c). *In articulo mortis* cessat reservatio, *& omnes Sacerdotes, quoslibet pænitentes a quibusvis peccatis, aut Censuris absolvere possunt, ne scilicet quis pereat* (d); quia omnes tunc habent delegatam jurisdictionem ab Ecclesia, id quod constat ex constanti Ecclesiæ praxi (e). Unde providè in pago quodam Parochus, monitus antè à provocato, dum ex urbe dimicaturi venerant duo monomachi, ex insidiis exspectavit pugnæ exitum, quam impedire jam nequibat, & strato uno opportunè advolavit, data, antequam exspiraret, sacra absolutione. Quid autem intelligatur per mortis articulum, & quàm latè is pateat: Item an in casu necessitatis ab inferiore Sacerdote absolutus post superatum periculum sistere se teneatur superiori, qui de jure extra periculum absolvere poterat: Item an Sacerdos non approbatus absolvere possit præsente approbato, aut proprio Sacerdote, aliáque Censuris generatim convenientia, videri possunt apud Theologos passim. Cæterùm, præscindendo à mortis articulo,

451. Ex-

(a) Theol. Moral. tom. 2. tract. de Censur. c. 5. (b) Sess. 14. de Pœnit. c. 7. (c) De Sacram. Pœnit. disp. 29. Sect. 1. & 2. (d) Trid. l. cit. (e) *Tournely* l. cit.

451. Excommunicatio, lata in reos de crimine duelli, non est reservata vi Tridentini, neque vi Constitutionis Gregorianæ; est tamen reservata per Clementinam §. *XIX.* his verbis: *Cujus interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, pœnitentia, & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, prætextu quarumvis facultatum, & indultorum.* Pontifex itaque solus absolvit, & quidem pœnitentiâ, & satisfactione peracta, quod intelligendum est, ait Pignatellus (a), " quando absolutio datur extra mortis articulum, & quando sine gravi incommodo potest ille satisfacere ante absolutionem. Et loquitur de absolutione danda à Sede Apostolica: non autem imponit formam aliis habentibus privilegia sine tali restrictione. „

452. Non obstante reservatione Episcopus absolvere potest primò, quando delictum est occultum, idque per potestatem sibi à Tridentino concessam (b), cujus verba sunt: *Liceat Episcopis in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut per Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœna salutari.* Cui privilegio per Clementinam derogatum non est; quia de illo hæc singularem mentionem non facit, quod tamen ad derogandum requireretur; cùm sit illa facultas absolvendi concessa dignitati Episcopali, non personæ; & sit generalis, non distinguendo inter reservationes præteritas, & futuras. *vid.* Peregrin. (c). *Occultum* autem crimen, ait Suarez (d), hic sumitur, prout in jure distinguitur à *publico*; est autem publicum, quod in oppido, aut vicinia, vel in Collegio, aut in Communitate aliqua omnibus notum est, ut publicè diffamatum. Unde licèt, sit notum aliquibus, potest dici occultum, quamdiu peccator non laborat publica infamia. Si verò duellum deductum sit ad forum contentiosum, etiamsi uno teste probetur, nequibit Episcopus ab illo absolvere, nisi delinquens in foro externo ob defectum plenæ probationis absolutus fuerit. Pignat. (e) Secundò: Si quis excommuni-



(a) L. cit. n. 183. (b) Sess. 24. c. 6. de Reform. (c) Q. 37. n. 4. (d) De Pœnit. disp. 30. sect. 2. (e) L. cit. à n. 185.

municationem suprà dictam contrahit, nec ob verum impedimentum adire potest summum Pontificem, potest ab Episcopo absolvi, etsi delictum jam non occultum, sed publicum sit. Colligitur ex iis, quæ continentur ***Cap. de cætero. de sent. excomm.*** non enim est ratio major, cur Episcopus potiùs absolvere possit pœnitentem, reum de percussione Clerici, aut alterius criminis: & non etiam in casu duelli id possit. ***Impeditus*** autem dici potest, qui ***imminente mortis articulo, puerili, vel senili ætate, fragilitate sexus,*** vel alio impedimento Canonico detinetur (a). Docet PEREGRINUS (b) cum aliis, & meritò, hanc doctrinam tunc quoque locum habere, quando excommunicatus impeditus procuratorem mittere posset; ad talem enim mittendum non obligatur à lege. Docet præterea, Episcopum in ejusmodi casu ministerium nudum absolvendi posse etiam committere Confessario, eo quòd Episcopus absolvat in dicto casu virtute jurisdictionis delegatæ, à Papa sibi concessæ, vel in privilegium perpetuum ratione dignitatis, vel virtute potestatis ordinariæ.

453. Præter Episcopum etiam varii Regulares, præsertim Mendicantes, vi suorum privilegiorum, habent potestatem absolvendi etiam à censuris Papæ reservatis, pro foro tamen interno tantùm; si tamen censuras excipias in Bulla Cœnæ contentas; hæ enim censentur majores, nec comprehendi in concessione generali (c). Quod speciatim crimen duelli attinet, notandum venit, quòd aliquæ actiones, ad duellum pertinentes, in Constitutione CLEMENTIS VIII. sint sub pœnis Ecclesiasticis prohibitæ, quæ nondum erant antè prohibitæ sub his pœnis à Constitutione GREGORII XIII. aut Tridentini Decreto. Talis est *e. g.* provocatio, post quam nec sequitur pugna, nec in locum certaminis descenditur. Unde jam quæstio oritur, an ab his omnibus possint absolvere Regulares, habentes aliàs facultatem absolvendi à reservatis Papæ: vel an tantùm ab aliquibus? Ad quam quæstionem respondeo, quòd à casibus Clementinis, sive occulti, sive manifesti sint (pro foro tamen conscientiæ solùm) possint absolvere omnes Regulares, aliíque Sacerdotes, sive intra, sive extra Italiam degentes,

(a) C. 26. de sent. excomm. (b) Q. 37. n. 8. (c) Compend. privil. Soc. J. v. Absolut.

tes, qui vi privilegiorum suorum possunt absolvere à casibus, Pontifici reservatis. A casibus autem, jam contentis in Tridentino, aut Gregoriana, absolvere non possunt existentes in Italia extra Urbem; possunt id tamen Regulares, ac Sacerdotes existentes alibi, & aliàs gaudentes privilegio absolvendi à peccatis, & censuris Papæ reservatis.

Triplicis hujus asserti veritas ut pateat, scias; postquam jam plerique Regulares generalem illam facultatem obtinuerant, prodiisse Bullam Clementinam contra duellum, quæ, licèt sibi reservet omnes actiones, quas prohibet; Regularibus tamen facultatem absolvendi non adimit, habentibus aliàs privilegium absolvendi à reservatis; privilegii enim hujus, per singularia merita obtenti, non fit peculiaris mentio in Clementina reservante, & derogante, quod tamen ad derogandum necesse esset, ùt docent Authores passim cum Peregrino (a).

454. At novem annis pòst, scilicet anno MDCI. die IX. mensis Januarii ejusdem Clementis jussu sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Sacerdotibus omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus *per universam Italiam, & extra urbem* degentibus, quamvis Ordinum etiam Mendicantium essent, prohibuit, ne prætextu privilegiorum &c. ab ullis casibus, quomodocunque Sedi Apostolicæ reservatis, absolvere quemquam præsumant, nisi in articulo mortis: sive cum nova, vel speciali Sanctitatis suæ, aut Successorum suorum impetrata licentia.

Cùm autem postea dubia quædam, & difficultates circa ejusdem Decreti interpretationem, atque observationem emersissent, eadem Congregatio jussu ejusdem Pontificis ita mitigavit, ac declaravit præcedens Decretum, ut aliquos tantùm casus anno sequente MDCII. enumeraverit, pro quibus absolvendis facultas adempta sit Regularibus, aliísque privilegiatis. Hos inter recensetur casus *provocantium, & pugnantium in duello juxta Decretum Tridentini, & Constitutionem Gregorii XIII.* Qui itaque actionem committit, spectantem ad duellum, & jam prohibitam in Constitutione Gregoriana, & Decreto Tridentini, ille absolvi nequit à Sacer- doti-

(a) Q. 37. n. 14.

dotibus tam Regularibus, quàm Sæcularibus *per universam Italiam*, *&* *extra Urbem degentibus.* Et quamvis hæc clausula in declaratione data anno MDCII., non addatur expressè: sufficit tamen, quòd profiteatur S. Congregatio, nil aliud facere se, quàm declarationem prioris Decreti dati anno MDCI., ita ut illud velit in suo robore permanere solùm quoad casus in declaratione recensitos. Decretum Congregationis exhibet QUARANTA. (a)

Quæ cùm ita sint, facultas absolvendi à Casibus etiam per Tridentinum, & GREGORIUM prohibitis, annexáque Censura manet salva Regularibus, aliísque, vel extra Italiam, vel in ipsa Urbe constitutis, qui aliàs privilegium generale habuere. Unde non capio, quo fundamento doctrinam hanc rejicere possit PIGNATELLUS (b), & contrarium omnino sibi *certum* dicere. Ratio sua ferè tota consistit in authoritate BONACINÆ (c) PEREGRINI (d), & SANCHEZ (e), quos pro se sentire existimat. At SANCHEZ pro suo fundamento nil affert aliud, quàm Constitutionem CLEMENTIS VIII. An. MDXCII. editam contra duella. Jam verò diximus, ex reservatione generali non fuisse derogatum privilegiis Regularium. Item CLEMENS VIII. in sua declaratione pronuntiat, se nihil innovare voluisse per decretum An. MDCI. nisi quòd sex vel septem variarum materiarum casus sibi reservatos velit, & quidem ita, ut absolvendi licentia solis Sacerdotibus negetur existentibus in Italia extra Urbem: ergo alii Sacerdotes extra Italiam, & intra Urbem possunt tam ab his, scilicet in Tridentino, & Gregoriano Decreto contentis, quàm ab omnibus aliis absolvere, prout antea potuêre per privilegium suum. PEREGRINUS videtur loqui solùm de Sacerdotibus intra Italiam, & extra Urbem degentibus. BONACINÆ etiam de his solis sermo est, cùm nihil adducat aliud, quàm Decretum editum An. MDCI.

Itaque malim sentire cum PAULO COMITOLO (f), FILLIUCIO (g), DICASTILLO (h), aliísque, nostram sententiam tenentibus. Ut nihil dicam de Go-

(a) In summa Bullarii tit. Cas. Reserv. (b) Cit. n. 192. (c) De censur. disp. 2. q. 6. p. 1. n. 41. (d) Quæst. 38. n. 4. (e) L. 2. in Dec. c. 39. n. 27. (f) Lib. 6. Mor. q. 17. (g) Tom. 1. tr. 15. de censur. in partic. c. 5. n. 10. (h) De Justit. L. 2. tract. 1. d. 10. n. 238.

Gobato (a) dicente: " In Germania nostra superiore Mendicantes absol- " vunt sine scrupulo. Congrediuntur Ingolstadii persæpe Studiosi Acade- " mici duello propriè dicto, privato, non tamen recurrunt ad Sedem " Episcopalem, vel Apostolicam. „

455. Hoc solum videtur remanere dubium, an per Decretum Anni MDCII. reservatæ maneant pro Italia Censuræ latæ in *mandantes duellum*, *instigantes*, *auxiliantes*, *consilium*, *vel favorem dantes &c. ex composito spectatores*, *vel socios quovis modo se præbentes*, *etiam tunc*, *quando pugna aliunde fuerit impedita*; hæc enim omnia damnantur in Gregoriana: & tamen Decretum dicti anni reservat tantùm casum *provocantium*, *& pugnantium in duello* juxta Constitutionem Gregorianam. Item an etiam reservetur crimen provocationis solius, quam non secuta est pugna; non enim satis patet, an particula *&* sit sumenda distributivè, vel collectivè. Dubium hoc solvitur, si principia duo recolamus, passim recepta. Primò quòd reservatio sit strictæ interpretationis; cùm videatur odiosa, habens adjunctam aliquam rationem pœnæ. Secundò, quòd privilegia favorabilia, quale est etiam licentia absolvendi à reservatis, sint latæ interpretationis juxta illud: *Beneficium Principis latissimè est interpretandum* (b). Itaque existimo solam provocationem, conjunctam cum pugna manere ita reservatam in Italia extra Urbem, ut absolutionem ab eadem dare non possint etiam ii, qui privilegium absolvendi à reservatis obtinuerunt ante Clementem VIII.

## ARTICULUS III.

### *De impedimento, quod usui Sacramentorum afferre Duellum possit.*

De duobus Sacramentis disserere oportebit hoc loco: de Matrimonio scilicet, & Pœnitentia, in quorum utroque turbare quid valet duellum. Quid ad Sacramentum Ordinis vel suscipiendi, vel exercendi faciat, ex natura censurarum colligere datur, quas declaravimus *Articuli*



(a) Theol. Pract. tr. 7. n. 573. (b) L. 3. ff. de Constit. Princ.

*præcedentis* §. *IV.* In reliqua Sacramenta non admodum influit, nisi quatenus ex negata absolutione in Sacramento Pœnitentiæ, usus reliquorum illicitus redditur. Itaque id solùm præsente Articulo quæremus *primò*, an ex duello oriri impedimentum matrimonii possit: vel dissolvi sponsalia? *Secundò:* An Confessario constare debeat, quo animo pœnitens sit erga duellum?

## §. I.

## An ex Duello oriri possit impedimentum Matrimonii, vel dissolvi Sponsalia?

456. *Ex proposito casu circa* matrimonium,
457. *Colligimus ortum fuisse impedimentum criminis, siquidem ex duello secuta sit mors.*
458. *Nec obstant argumenta contraria.*
459. *Aliud foret, si non ex duello mors sit secuta.*
460. *Id quod ex variis indiciis colligendum.*
461. *Casus de* Sponsalibus, *interveniente duello,*
462. *Resolvitur cum limitatione.*

456. CAsum enarrabo, qui viam pandet ad explicandam doctrinam, in qua primò quæstio est circa matrimonium. Deperibat vir quidam militaris uxorem sui commilitonis, quæ cùm non segniùs amori responderet, eo prolapsi sunt ambo, ut matrimonium sibi mutuò sponderent, ineundum post mariti obitum, quin & hanc mortem non tacitis votis exoptarent. Deerat sola occasio hanc machinandi, donec maritus, litteris amatoriis fortè interceptis irritatus, abreptúsque æstu, Graculo acriter diras cecinerit, depexuerítque liberaliter affusis probris, adulterum, & nescio quid, vocitando. Graculus opportunam occasionem sibi offerri ratus, per epistolam postulat pro injuriis sibi satisfieri gladio, utpote quæ graviores fuissent, quàm ut eas militaris patientia ferret. Per aliam mox epistolam complicem fæminam monet de oblata occasione tollendi è medio invisum Silicernium, & optatis potiundi nuptiis. Respondit ista, hoc in consilio id solùm sibi dolere, quòd in ancipiti pugna amantissimus pugil semet exponat discrimini: sperare se nihilominus evasurum victorem contra maritum suum, fungi hominem. Maritus condicit in pugnam, periculosè confossus moritur, relicto dubio, an verè obierit ex vulnere accepto. Recipiunt se aliò homicida, & fæmina, ibíque connubio junguntur.

457. Quæ-

457. Quæritur, an *impedimentum criminis* hoc duellum induxerit? Constat, Ecclesiam, ut conjuges magis absterreantur ab adulterio, & machinanda sibi nece, statuisse impedimentum matrimonii ineundi cum complice, quod *impedimentum criminis* dicimus, non *impediens* solùm: sed & *dirimens*, hoc est, quod matrimonium non solùm illicitum, sed & invalidum, ac irritum facit. Hoc impedimentum contrahitur, quando duo adulterium committunt cum promissione matrimonii quondam ineundi: vel moliuntur conjugicidium etiam sine adulterio, cum intentione tamen ineundi matrimonii post peractam cædem.

Illusêre more suo Lutherus, & Melanchton huic impedimento, statuto ab Ecclesia. At si potestas Principum laicorum contractus quosdam civiles ipso jure irritos reddere per statutum potest: cur non etiam quosdam contractus matrimoniales Ecclesia? Qua potestate semel stabilita, ex æquo Ecclesia eâdem usa est ad præstandam conjugibus securitatem mutuam, ne una pars alteri vel fidem frangeret, vel ipsam mortem machinaretur, spe contrahendi aliquando melioris conjugii. In casu nostro de commisso adulterio ante mortem mariti nil constat: promissum tamen matrimonii datum, acceptúmque est, & ad hoc tanto citiùs consequendum bonus maritus in duellum est evocatus. Rebus sic stantibus

458. Dico primò: si certum esset, quòd maritus ex accepto per duellum vulnere obierit, non video, quid conjugicidas ab impedimento criminis eximeret; nil enim videtur deesse eorum, quæ ad impedimentum hoc sacri Canones requirunt. Vel dic amabo, quid deest?

Dices primò: Provocavit vir militaris non tantùm, ut nuptiis potiretur: sed, imò præcipuè, ut vindicaret probra, in se liberaliter jacta, quæ inulta abire si passus fuisset, certè honore suo excidisset. Resp. Sufficere, quòd nuptiarum cupido etiam stimulos suos, quamvis non unicè, addiderit, ut tanto lubentiùs, tanto animosiùs certaret. Jura non exprimunt, quòd novæ nuptiæ debeant præcipuè, vel unicè spectari. Sic ait Lessius (a), si Cajus maritus, præmisso adulterio cum Bertha, machinatus sit mortem suæ uxori, primariò quia oderat, secundariò ut cum Ber-

 tha

(a) In Auctario V. Matrim. cas. 10.

tha iniret matrimonium, oriri impedimentum; quia machinati sunt animo contrahendi.

Dices secundò: illi solùm contrahunt impedimentum criminis, qui *machinantur* mortem innocenti. Hac voce utitur lex Ecclesiastica sæpius *C.* 1. 3. 6. 7. *De eo, qui dux. in matrim. quam poll. per adult.* Jam verò qui duello congreditur, mortem non *machinatur;* nam *machinatio* propriè significat occultas technas, seu insidias, ùt habet LA CROIX (a): In duello autem aperto Marte certatur. Neque obruitur inermis, cavere sibi, aut defendere se nesciens. Resp. Vocem *machinari* non adeò strictè intelligi à SS. Canonibus, quasi verò tunc solùm impedimentum hoc locum haberet, si per occultas machinationes patrata sit cædes; si enim significationem hujus vocis rigidè velimus attendere, etiam ab effectu secuto hæc vox præscindit; *machinari* enim etiam ille dicitur, qui effectu frustratur: neque tamen ita machinanti, sive struenti necem impedimentum lex injicit, ùt docet communis. Vel si vir noster militaris non verè sit machinatus necem, dico eum nihilominus contraxisse impedimentum; quia alia lex dicit (b): si vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, *occidisse* notetur. Occidere aperta vi etiam est *occidere*. Quòd armatum cum propriæ vitæ periculo aggressus sit, non excusat: sed demonstrat, quòd majore insania, ac libidine fuerit agitatus, ac alius, qui nihil cogitantem opprimeret: vel solùm consilio, aut mandato necem procuraret.

Dices tertiò: Non interveniente adulterio, non contrahitur impedimentum criminis, nisi *uterque* complex sit necem machinatus, ùt constat ex communi. Atqui uxor interfecti nihil ad necem contulit. Fuit quidem conscia duelli incundi: at non jussit, non suasit. Scripsit tantummodo, *id solum sibi dolere, quòd in ancipiti pugna amantissimus pugil semet discrimini exponeret.* Quamvis autem inde sequatur, sibi non dolituram mortem mariti: tamen ex hoc dici necdum potest, quòd ei mortem machinata sit. Sæpe mortem alicujus non dolemus: quam tamen machinatione nostra non causavimus. Dein ad summum dici potest duellum machinata: non

(a) Ex *Pyrrho Corr. Krimer.* l. 6. p. 3. n. 618. (b) Can. Si quis. 31. q. 1.

non autem mortem; incerti enim eventûs ea pugna fuerat. Resp. Attendenda etiam esse illa verba muliebris epistolæ: *Sperare se nihilominus, cum victorem futurum contra fungi hominem, maritum suum, tunc se nil moraturam* &c. Quid hoc aliud sonat, quàm votum mortis: & quid est aliud, quàm renovato promisso ruenti amasio calcar addere, ut non pugnaret qualemcunque pugnam: sed fatalem. Incerti eventûs quamvis duellum fuerit, faventem tamen votis suis eventum quæsivit amasius, &, ut quæreret, animavit procax mulier, ex æquo itaque æternùm spe sua uterque dejiciendus. Et hoc, si fingatur maritus ex vulnere obiisse.

459. Jàm verò & illa appendix consideranda venit, quòd maritus occubuerit relicto dubio, an ex accepto in duello vulnere. Unde Dico secundò, post mortuum maritum non obstitisse impedimentum criminis matrimonio. Ratio est; quia satis communiter cum PONTIO, & MASTRIO docetur, ad impedimentum hoc requiri, ut mors sequatur ex machinatione rei, non ex imperitia chirurgorum, aut ipsius vulnerati culpa. Neque sufficere solam voluntatem dandi vulnus lethale, si successus conatui non respondeat. Quamdiu ergo dubium est, an mors secuta sit *ex* vulnere, tamdiu dubium est, an omnia, quæ constituunt impedimentum criminis, adsint: quamdiu hoc dubium obversatur, tamdiu libertas validè nubendi est in possessione.

Dices fortè: In dubio præsumptio stat pro vulnere. Resp. Nisi ex altera parte adessent argumenta quædam, ex quibus probabiliter colligi posset, aliunde venisse mortem, talia autem adfuerint in casu nostro, necesse est; secus non diceretur, vulneratum obiisse relicta vera incertitudine, an ex vulnere.

460. Quæres fortè, quibus indiciis cognoscatur, verè fatale fuisse vulnus. Pauca dicam, cætera relinquens tractantibus ex instituto res criminales. Sunt, qui ex temporis spatio, quo vulneri supervivit æger, id desumendum putent. De certo autem tempore minimè conveniunt: alii quinque dies, alii octo, alii sexaginta, alii annum nominant, ùt videre est apud FARINACIUM (a). Edictum Brandeburgicum de duello statuit

 dies

(a) P. 5. Oper. Crim. q. 27. n. 31. seq.

dies novem. Meo judicio, ubi in foro civili ejusmodi terminus receptus est, poterit etiam forum Canonicum se accommodare, & id vulnus habere pro lethali, quod necem intra hoc tempus attulit, & ex eo ipso statuere, an impedimentum criminis fuerit contractum; ea enim est harmonia utriusque fori, ut unum alterius leges sequatur, ubi proprias circa quamdam materiam non habet. Indicium certissimum ait CARPZOVIUS (a), capi debere ex inspectione cadaveris, facta à peritis Chirurgis, & Medicis; eo quòd hoc judicium spectet potiùs ad artem medicam, quàm ad scientiam legum. Quòdsi hi ipsi in arte periti hæreant dubii, nequaquam ad pœnam ordinariam deveniri posse. Infero ego: ergo, stante eodem dubio, nequaquam contrahi impedimentum criminis; sicut enim pœna capitalis non nisi homicidio perfecto imponitur: sic dici potest, pœnam hanc Ecclesiasticam nonnisi homicidio perfecto imponi. Nolim hîc disputare, an pura pœna sit, vel simul inhabilitas, quam etiam ignorantes hanc legem incurrant. Sat amplè hanc quæstionem P. PICHLER ventilat, contra communiorem defendens, pœnæ rationem habere, ab ignorantibus non contrahendam (b).

461. A Matrimonio ad *sponsalia* progrediamur, visuri, quid his quoque turbarum ex duello sit ortum. In Academia quadam Germaniæ artem amandi præ aliis didicerat Cajus, & Berthæ captus illiciis promiserat nuptias. Rivalem nactus est Titium, qui domum puellæ crebriùs frequentando iras provocavit Caji, frendentis, suum sibi jus antiquius attrectari. Quid multis? duellum initur, vulneratur Cajus: Titius ex urbe se subduxit. Restitutus Cajus à vulnere spernere jam Bertham incipit, utpote periculosæ pugnæ causam, & levis animi, venalísque affectus puellam. At renuebat hæc relaxare sponso vinculum, multùm se dolente, inquiens, accidisse duellum, totúmque commercium cum Titio intra honesti limites stetisse. Dum sic litigando trahuntur moræ, Titius ad Bertham iterum per Epistolam revisit, & prout est *varium, ac mutabile semper, fœmina*, blanditiis inescatam in suas partes pertrahit. Interea etiam Cajus, reviviscentibus igniculis, cum Bertha redire in gratiam parat, & promissum confirmare.

(a) Pract. Crim. p. 1. q. 26. à n. 14. (b) In tit. 7. l. 4.

mare. Cùm ecce, jam refractariam invenit, multísque conquerentem, quòd duello se infamare, & leviculæ puellæ notam affingere non dubitârit.

462. Quæritur primò: An Cajus ex æquo prior renuntiaverit sponsalibus? Secundò: An postliminio Bertha?

Facultatem rescindendi hæc sponsalia, vel deberet Cajus nancisci ex duello, vel ex amicitia Berthæ cum Titio. De ejusmodi amicitia docent Authores communiùs, tum sponsum posse resilire, si sponsam sciat admittere ab alio tactus, vel oscula impudica: & multo magis si fornicaretur (a). Item si sponsalia interea contrahere cum alio tentaret; nam frangenti fidem fides frangatur eidem. Incumbit ergo jam Cajo probare, ejusmodi quid Bertham admisisse. *Probare*, inquam, quia ex præcipiti zelotypia atras has umbras fingere non sufficit: *Neque delicta præsumuntur.* Duellum quod spectat, videndum, num, & quam eidem causam Bertha dederit. Si, dum res jam spectabat rixam, nihilominus ad se admisit Titium, & benevolentiæ signa exhibere perrexit, jure se offensum potest conqueri Cajus, & periculo à procace fœmina expositum, non restinguente incendium, vel fortè excitante. Certè si vèrè amâsset Cajum, huic dissidio se interposuisset, & repudiâsset omnem familiaritatem Titii. Quòdsi autem eam familiaritatem continuavit innocenter, mali nil suspicata, neque prævisso tanto conflictu, neque de eo committendo ante monita, non video, cur acquisito suo jure propter duellum excidat.

Gravius pro se argumentum videtur habere Bertha, vi cujus resilire à sponsalibus possit patrato duello; fama enim commissæ pugnæ ubique diffusa puellam depingebat leviculam, amasiis venalem, à qua ducenda jure abhorreant prudentiores juvenes: hanc ergo notam si Cajus Berthæ accivit absque data sufficiente causa, sola rivalitate incitatus ad arma, videtur Bertha non immeritò resilire. Contrà tamen perpendendum venit, quòd Bertha facilè semet purgare valeat ab ea nota, si modò Cajo nubat petenti, qui nubendo quasi publicè fatetur, temere se de sponsæ suæ fide judicâsse. Quòdsi omnibus consideratis causa rescindendi sponsalia manet dubia, accedere debebit authoritas Judicis Ecclesiastici (b). Quia vi contractus sponsalitii

(a) C. 25. de Jurejur. (b) *Sanchez* cum aliis.

litii pars utraque est in possessione sui juris acquisiti : in dubio autem nemini licet propria authoritate alterum invitum deturbare de possessione sui juris.

## §. II.

### An Confessario constare debeat, quo animo Pœnitens sit erga Duellum?

463. *Alanus Episcopus vetat absolvi eos, qui non promitterent scripto, se duellum nunquam inituros.*
464. *Unde quadruplex oritur quæstio,*
465. *Cui præmittitur quadruplex fundamentum Theologicum.*
466. *Ex quo respondetur primò ad factum Alani :*
467. *Tum quæritur, an hodie quemlibet nobilem, vel militarem virum de duello examinare debeat Confessarius.*
468. *Præcipuè quando vel intra Confessionem :*
469. *Vel extra dederit causam non bene suspicandi de ejus animo circa duellum.*

463. QUæstioni huic ansam dedit vita Alani de Solminihac Episcopi, Baronis, & Comitis Cadurcensis, scripta à P. Leonardo Chastenet Canonico Regulari, & in Latinum versa à P. Dominico Bisselio, ejusdem Ordinis ad S. Crucem Augustæ Vindelicorum (a), ubi de hoc vigilantissimo in salutem animarum Prælato legere est sequentia (b): " Initio statim, atque Alanus in suam Diœcesin intravit, comperit, provocatorias dimicationes plurimùm, à plebeiæ etiam conditionis hominibus, frequentari : zelo repletus, huic obviare malo, & detestando exercitio, non nisi ad perdendas animas à dæmone adinvento, finem imponere conatus est, incessanter in suis prædicationibus contrà declamans, & in familiaribus colloquiis Nobiles adhortans, generosum suum animum aliis ostentarent modis. Hæc omnia cùm parum utilitatis afferrent, ad censuras confugit : at verò plures necquidquam abstinuerunt. Quo ipse obligatus fuit synodale statutum (c) conficere, in quo præter excommunicationem sibi reservatam omnes duellantes jure sepulturæ privavit, &

(a) Sub tit. Idea boni Prælati. Edit. Campidon. an. 1673. (b) Lib. 2. c. 10.
(c) An. 1651.

& ingressu Ecclesiæ interdixit, atque interdicto eorum Oratoria, ac Sacella domestica supposuit. Præterea cùm Marchio San-Alverius, tanquam Cadurcorum Senescallus, Cadurcum ingrederetur, Vicarium suum Generalem ad eum ablegavit, qui suo nomine rogaret, curaret Nobilitatem, quam habebat in comitatu, subscribere cuidam publicæ declarationi, & solemni protestationi omnis generis provocationes recusandi, & pro quacunque causa singulare certamen nunquam ineundi: ipsemet dein eum convenit, illi demonstrans, quòd hic ingens Deo, Regi, & Provinciæ præstaret obsequium, nec non summum sibi honorem, gloriámque compararet. Secundùm hanc instantiam in quodam Nobilium conventu idipsum fuit propositum, absque tamen rei desideratæ effectu. Quod ubi Episcopus advertit, oblata tunc Jubilæi occasione, statuit denuo rem aggredi, & in persona eum Diœceseos suæ Nobilitate tractare, ut sic eos ad huic declarationi subscribendum obligaret. Comitem ergo Valliacum rogavit, ut primus chirographum suum appingeret: certus quasi, neminem non subscripturum, si viri tam illustris, apud hujus provinciæ Nobiles in magna authoritate constituti, propriam manum aspexisset. Id quod perlibenter fecit: magnóque animo alii postmodum subsecuti sunt, & pauci superfuerunt, qui non manum suam apposuerint. At resistentes à Jubilæi Confessariis coacti fuerunt, quòd cæteroqui constanter absolutionis beneficium essent denegaturi tamdiu, donec suum quoque chirographum addidissent. Hæc declaratio ea ipsa est, quæ anno MDCLI. per Franciæ Marescallos approbata fuit, utpote Regiis Edictis, ac justissimis legibus conformis. „ Hæc verò ita se habet: *Nos subsignati scripto præsenti publicè, & solemniter declaramus, nos omnis generis provocationes recusaturos, nec unquam singulare certamen, quacunque causa interveniat, inituros: insuper omni modo testaturos, quantopere execremur duellum, utpote rationi, statúsque publici bono contrarium; quódque cum salute, & Religione Christiana convenire nequeat. Nolumus tamen per hanc declarationem renuntiare juri propulsandi quocunque legitimo modo injurias illatas nobis, tantum scilicet, quantum nostra professione, & natalium conditione tenebimur: nostra etiam ex parte paratissimi, eos, qui fors existimabunt, aliqua se à nobis injuria affe-*

*ctos fuisse, bona fide instruere, nec alicujus offensa ansam alicui prabere velle.* Ex occasione hujus facti

464. Q. I. An Alanus ex æquo statuerit, ut Confessarii interrogarent Nobiles, num declarationem suo quoque chirographo signare vellent: tergiversantibus autem negarent absolutionem Sacramentalem?

Q. II. An hodierna ætate Confessarius Nobilem, aut virum militarem rectè interroget, si nullam habeat peculiarem interrogandi causam, quo animo sit erga duellum? an non horreat, pro tuendo honore id committere tunc, quando sine conscientiæ noxa committi nequit?

Q. III. In casu, quo vir ejusmodi confitetur, sibi molestas inimicitias ab aliquo tempore intercessisse cum Hectore: se hodie quidem rancorem deponere: *optare tamen, ut Hector expeditè ediceret, si quid se vellet,* in hoc, inquam, casu quæritur, an Confessarius, notans his verbis duellum indicari, pœnitentem examinare expressè debeat de voluntate acceptandi provocationem?

Q. IV. Si Confessarius aliunde sciat, quàm præpostera sensa de duelli licentia pœnitens foveat, an eum de his interrogare debeat, quamvis nec verbum de voluntate committendi unquam duellum in confessione afferentem?

465. Quaterno huic dubio quadruplex fundamentum Theologicum præmittimus.

Primò, Confessarius non rarò obligatur de rebus ad confessionem spectantibus pœnitentem interrogare: nominatim tunc, quando probabiliter putat, & suspicatur, pœnitentem omittere aliquid necessariò explicandum, vel defectu debiti examinis, vel ex verecundia, vel ex oblivione, vel ex ruditate (adde vel ex obstinatione, qua nolit aliquid illicitum judicare, quod tamen est). Ita apud Bernardinum Benzi integra Theologorum nubes (a). Ratio est; quia Confessarius, utpote Judex, in foro Sacramentali debet curare, ut cognoscat perfectè, quantum possibile est, culpas pœnitentis, & ut impleatur præceptum Divinum de integritate materiali confessionis; atqui hoc non curaret, si nollet interrogare, ubi probabi-

(a) Praxis Tribun. consc. disp. 2. q. 5.

babiliter putat, & suspicatur, pœnitentem omittere aliquid necessariò explicandum vel ex defectu debiti examinis, vel ex verecundia, vel ex oblivione, vel ex ruditate: ergo &c.

Secundò, ex opposito colligitur Confessarium non obligari ad interrogandum, quando ipse probabiliter putat, pœnitentem nihil omittere in confessione necessariò explicandum. Ita idem. In compendio itaque dicimus, si Confessarius habet rationem non levem putandi, aliquid fuisse omissum, debet interrogare: si non habet talem rationem, non debet interrogare.

Tertiò, Confessarius obligatur monere pœnitentem de statu malo, in quo eum per ignorantiam vincibilem, seu culpabilem versari invenit. Ita BENZI cum omnibus fere Authoribus. Ratio est; quia Confessarius, ùt *medicus*, debet curare sanitatem sui ægroti, quam utique malè curaret, si relinqueret in ignorantia culpabili, non capacem salutaris absolutionis. Quòdsi autem eum inveniat versari in ignorantia *invincibili*, seu inculpabili, ita ut pœnitens non agnoscat malitiam facti sui, cautè adhibenda est monitio; nempe tunc adhibenda est, ubi sperari prudenter potest emendatio, nec timetur aliud grave malum; nam *Judex* debet procurare integritatem materialem, & *Doctor* instruere in lege ignorantem. Quòdsi autem vel non sperari prudenter possit emendatio, vel aliud grave malum ex monitione timeatur, non obligatur monere confessarius pœnitentem. Equidem THYRSUS GONZALEZ (a), & ELIZALDE (b) docent, semper esse admonendum, eo quòd non videatur dispositus ad absolutionem, nisi sit paratus implere omnem legem DEI. Sed SUARIUS, VASQUEZ, LAYMANN, imò quadraginta octo graves Authores (c) dicunt, non fore obligationem monendi tunc, si prævideatur ex infirmitate *formaliter* peccaturus, cùm nunc per invincibilem ignorantiam *materialiter* tantùm peccet; nisi, quod bene observat P. BENZI, pœnitentis status malus post se trahat grave damnum publicum; tunc enim monendus est, etsi ex monitione aliquod grave malum privatum vel ipsius pœnitentis, vel alterius personæ timeatur, *e. g.* si sit Parochus bona fide opinio-

 nes

(a) De opin. prob. differt. 14. c. ult. (b) L. 6. c. 20. (c) Vindex *Taberna* ad Propos. 13.

nes erroneas disseminans: vel Princeps muneri suo non satisfaciens. Quòdsi Confessarius nesciat, vel dubitet, an monere pœnitentem de statu malo, in quo per ignorantiam invincibilem versatur, sit profuturum, vel non pariturum grave malum, tum comparet utilitatem, quæ sub illo dubio speratur, & malum, quod sub illo dubio timetur, & eligendo magis expediens, pœnitentem de suo statu moneat, vel non moneat; quia de duobus malis minus eligendum.

Quartò, si pœnitens, etsi interrogatus non explicat aliquid, aliàs necessariò explicandum, quod tamen Confessarius sciat ab eo fuisse patratum, plerumque Confessarius eum absolvere debet, & acquiescere; quoniam pœnitens in foro conscientiæ est simul accusator, & testis. Et quoniam hæc fortè alteri Confessario explicuit, vel ob justam causam explicare non potest, plerumque Confessarius ei hac in re credere debet. His jactis fundamentis

466. Dico ad Q. primum: Ex æquo Alanus statuit, ut Confessarii interrogarent ejusmodi conditionis pœnitentes, num parati essent, declarationem suo quoque chirographo signare; nam cùm eo tempore duella plurimùm fuerint frequentata, nec ampliùs à quoquam facilè pro gravi piaculo habita, probabiliter, seu ex ratione non levi Confessarius judicare debuit, suum quoque pœnitentem eodem errore infici. Ut autem constaret de errore deposito, & mutata in melius mente, aptiùs agere nil potuit, quàm interrogare, num paratus & ipse sit subscribere declarationi, cui jam tot alii subscripsissent; quòdsi enim id abnueret, admodum probabiliter conjectare Confessarius poterat, pœnitentis animum à duello non abhorrere. Jam verò ex primo fundamento patet, Confessarium obligari pœnitentem interrogare tunc, quando probabiliter putat, & suspicatur, eum quid omittere necessariò explicandum, vel ex ruditate, vel ex obstinatione, qua nolit illicitum judicare, quod tamen est. Neque ex ea ratione Confessarius interrogando abstinere potest, quòd fors pœnitens invincibiliter ignoret malitiam duelli, & hac explicata spes sit ferme nulla emendationis; nam ubi Alanus vehementibus suis adhortationibus tantos motus concitabat, & passim Nobiles ad subscribendum confluebant, hujus pœnitentis ignorantia non ampliùs erat *invincibilis*.

Illud

Illud magis dubium est, an recusanti subscribere statim negari potuerit absolutio; quòdsi enim pœnitens firmum propositum habeat nunquam committendi duellum illicitum, dispositus videtur esse ad absolutionem, quamvis hoc genus subscriptionis ei non arrideat. Quærere itaque Confessarius deberet de tali proposito suum pœnitentem: tum etiam monere de scandalo, dimanaturo in universam Nobilitatem, si refragaretur is pia aliorum studia imitari; pronum enim foret judicare, id eò fieri, ut libertatem sibi servaret duello vindicandi honorem, si occasio ferret. Itaque eò saltem obligandus erit à Confessario, ut manifestet publicè, sibi quoque fixum animo esse abstinere posthac duello, & ea omnia præstare facto, quod alii promitterent calamo: à quo promittendi modo peculiares ob causas ipse sibi abstinendum duceret. Hæc sentio salvo meliore. Alanus, non credo, quòd prohibuerit absolvere pœnitentem seriò affirmantem tale sibi propositum hærere animo. Vel rationes gravissimæ debuerunt tunc temporis suadere, ne fides cuiquam id affirmanti haberetur, quamdiu renueret subscribere.

467. Dico ad Q. secundum: hodierna ætate Confessarius Nobilem, aut virum militarem non tenetur interrogare, quo animo sit erga duellum, si nullam habeat peculiarem interrogandi causam. Ratio deducitur ex fundamento secundo. Et profectò non esset ratio, cur non ejusmodi pœnitentem etiam de fornicationibus, præsertim si uxorem non habeat: aut quemvis Senatorem de injustitia: molitorem de furtis: militem de imprecationibus debeat ultro interrogare, quamvis hi causam interrogandi, neque in ipsa sua confessione, neque extra eam præbuerint, id quod nemo facilè dixerit. Imò non tantùm non obligatur interrogare Confessarius, sed fortè imprudentiam interrogando admitteret; in homine enim bene disposito cæteroquin, novos crabrones suscitaret. Quid? quòd multi sint ejusmodi viri nobiles, ac militares, qui pro multis casibus duellum, utut revera illicitum, censent licitum ex ignorantia invincibili, quam detegere non semper consultum est, ùt fundamento tertio explicavimus. Casus ergo duos sequentes confinximus tales, in quibus vel intra, vel extra confessionem data est Confessario causa credendi, malè constitutum esse suum pœnitentem in hac materia. Hinc

468. Dico ad tertium : Existimare quis posset Confessarium non obligari ulteriùs interrogare optantem : *Modò adversarius diceret, si quid me vellet.* Nam primò etsi videantur hæc verba innuere, finem dissidio per arma faciendum : fors tamen intelligit pœnitens meram suam defensionem, qua esset usurus, si eum alter aggrederetur : non autem est illicitum optare ex bono fine, scilicet ut molesta dissidia tandem cessent, occasionem defendendi se contra aggredientem : aggressionem hanc nihilominus odisse & nolle, utpote offensam DEI. Secundò : Si etiam Pœnitens adderet : *Illico venirem, & darem satisfactionem*, existimare posset Confessarius, eum per ignorantiam invincibilem talem satisfaciendi modum habere pro licito; eo quòd de cætero optimè videat affectum esse erga mandata DEI, & generosè rancorem omnem deponere. Jam verò non raro præstat tenebras talis ignorantiæ dissimulare, quàm lucem inutilem, vel etiam noxiam affundere, saltem si ex ea ignorantia non resultent damna publica, ut dictum fundamento tertiô; existimare itaque quis posset, Confessarium non obligari ad interrogandum. At malim sequi contrariam opinionem; præsertim si addantur illa verba : *Illico venirem, & satisfactionem darem*; hæc enim satis apertè pugnam denotant, & quidem liberè acceptandam. Cui accedit, quòd is pœnitens animum præseferat bonum, & optimè erga quamcunque DEI legem affectum, cui clarior notitia non obfutura credi possit. Unde dein Confessarius procurare debebit integritatem etiam materialem juxta fundamentum primum. Illud præterea in materia de duello considerandum, quòd ex ignorantia de malitia duelli, si quidem inter homines toleraretur, & invalesceret, plurima essent oritura mala, saluti animarum, reipublicæ, privatorum fortunis ac vitæ summè noxia. Unde ad caudatum ejusmodi peccatum silere haud poterit Confessarius, sed debebit dedocere ignorantiam.

469. Dico ad Q. quartum : Si de aliquo actu malo quæstio esset, quem Confessarius sciret à pœnitente commissum fuisse, posset fortè abstinere ab interrogatione, & examine ulteriore, præcipuè si generatim interrogatus : *An nihil ei ultrà occurrat?* respondeat, quòd *nihil.* Quia juxta fundamentum quartum pœnitens testis est simul, & accusator : & quoniam fortè alteri Confessario id explicuit. At cùm in casu nostro non de *actu* aliquo malo, sed de *statu habituali malo* sermo sit, qualia scilicet

sensa

ſenſa pœnitens foveat de duelli licentia, videtur Confeſſarius zelo ſanè & charitate deſtitui, ſi pœnitentem non moneat de erratica opinione ſua: præcipuè ſi aliàs in familiari colloquio Confeſſarius jam contradixit homini jactanti falſa ſua principia: vel ſi ab aliis ei contradictum fuiſſe ſcit: aut etiam ex Cathedra ſacra, aut libris monitum novit; tunc enim ignorantia vincibili potiùs, quàm invincibili laborare judicandus erit. Neque facilè credi poteſt in alio jam tribunali ſacro errores depoſuiſſe, niſi interrogatus id expreſsè affirmaret.

# CAPUT IX.
## QUOMODO LEGE CIVILI DUELLUM PROHIBEATUR.

LEge Divina, atque Ecclesiastica interdici Duellum hactenus exposuimus, & utrinque severis pœnis plecti. Sed non sufficient ista, quamvis deberent, nisi Magistratus civiles, Reges, ac Principes conjunctis viribus se quoque opponant dominanti licentiæ. Legem Dei promulgare, & detonare ex sacris exedris possunt viri Ecclesiastici: vibrari potest ex Capitolio fulmen: sed frustra erunt, nisi profana quoque potestas brachium commodet. Execrari virulentam hydram possunt boni omnes: sed capita non demetent, nisi ferrum, & ignem adhibeat Alcides Princeps. Certè in eo rei cardo vertitur, ut Magistratus suo officio non desint: secus privatus quisque, velut torrente abreptus, cedet multitudini, & consuetudini prævalenti. Illi itaque agant, quod debent: &, quid debeant, moneantur intrepidè ab iis, quibus conscientiam credidêre. Præsente Capite per quinque Articulos discutiemus. Primò: Quæ sit obligatio Magistratuum ad coërcendum duellorum usum. Secundò: Quas leges, & pœnas statuerint varii Magistratus in duellum. Tertiò: An unquam permittere duellum possint: vel commisso veniam dare, seu *aggratiare?* Quartò: Quas pœnas incurrant negligentes Magistratus. Quintò: An contra pœnas civiles sacro asylo gaudeant rei de duello?

### ARTICULUS I.
### *Quæ sit obligatio Magistratuum ad coërcendum duellorum usum?*

PLurima, quæ pro rei gravitate dicenda essent, in pugnum contraho. Ajo primò: Tenentur ex officio vel impedire, vel punire duella. Secundò: Possunt etiam, modò velint seriò. Tertiò: Modò adhibeant convenientem industriam. Quartò: Et modò sequantur exempla Regum Galliæ.

§. I.

## §. I.

### Magiſtratus tenentur ex Officio vel impedire, vel punire duella.



470. OBligantur Magiſtratus, Principéſque omnes DEO, ac populo. Populo, à quo delatum acceperunt imperium: DEO, à quo in imperio confirmati, ejus jam vices agunt. Cùm ergo duellum tam jura Numinis, quàm ſalutem populorum everſum eat, terram unà, & cœlum offendet Princeps, ſi graſſanti malo conniveat. Pretioſè alunt ſubditi Principem, eò potiſſimùm, ut ab ejus regimine bonis præſtetur ſecuritas. Et quæ hæc ſecuritas, ſi quotidie paratum ſanguinem circumferre debeant, ad protervi hominis provocationem effundendum? Si Turcicam ſervitutem ſervirent, tutiores viverent ſub hero barbaro, nunquam certè permiſſuro, ut mancipio impunè quis inſultet, vel necem machinetur. Mallem, dixit quis olim, quorumdam Chriſtianorum eſſe porcus, quàm anima; utpote quæ minùs curatur ac ille. Et mallem ego nonnullorum Principum eſſe cervus, vel aper in ſylvis, quàm ſubditus; nam væ illi, qui feram ejusmodi ſternere auſit: *Noli me tangere*, fronti ſuæ inſcriptum geſtant hæ beſtiæ: tota quanta eſt Principis ſollicitudo, ac ira, pro beſtiæ incolumitate excubat. Venabulo quis ſacroſanctum ejusmodi aprum aggrediatur, vel glande trajiciat cervum, ùt monomachus hominem, proh! quæ mugient illico tonitrua, quæ micabunt fulmina! vindictam expoſcet venatorum turba, temerata clamabit jura Regalia, perniciem illatam ſylvis, & nobiliſſimum ferarum genus ad eam paucitatem redactum, quam in Arca Noë naufragus Orbis viderat: nec antea lamentis erit finis, donec fericida ad triremes, vel ipſum capitale ſupplicium abripiatur. Nolim ego hoc loco ejusmodi reorum patronum agere, meo quoque calculo eliminandi à republica fericidæ ſunt: qua pœna ex æquo afficiendi ſint,

docent lucubrationes doctæ complures. Id solùm ajo, si tam sollicitè Principes cavent necem unius feræ, & patratam tam severè puniunt, cur vitam hominis subditi pensi non habent? Quin si puniunt eos quoque, qui fallente ictu machinati tantùm sunt mortem cervo, cur monomacho parcunt, ubi duellum sine nece abivit? An cervus pluris est, quàm homo subditus? Si à subditis habent, ex quo vivant regiè, cur subditis non præstant, unde vivant securè?

471. Quòdsi omittant, humanum sanguinem impunè effusum vindicare, vindicabit Deus, pœnam expetiturus non tam ab homicida, quàm à Principe, qui, dum non impedivit, quod debuit, alieno se scelere inquinavit; nam *negligere, cùm possis deturbare perversos, nihil aliud est, quàm fovere* (a). Satis audacter hoc exprobravit Pharamundo Regi nobilis pugil, quem celebris Angliæ Tragœdus (b) in scenam inducit dolentem, & vix non furiis agitatum ob amicum, à se in duello occisum. " Si non indulsisses, ait, ô Rex! mos hic abominandus non invaluisset „ eò, ut post alios casus tragicos jam hodie me cum amico tumularet. „ Quadrat huc etiam notum illud de Rege quodam Galliæ, qui, dum homicidæ vitæ gratiam renueret facere, eo quòd jam tertia hæc cædes esset ab eo patrata, hæc sibi verba regerentem audire debuit; " Ignosce Do„ mine, sum reus tantùm cædis unius: tu duarum; neque enim perpetrâs„ sem secundam, & tertiam, si me, ùt merebar, post primam jussisses „ plecti capite. „

472. Ipsi plerumque summi Principes, & Magistratus agnovêre, quantum ex hac indulgentia conscientia gravetur. Fridericus Augustus Rex Poloniæ, & Saxoniæ Elector anno MDCCVI. ad severissimum, quod tunc edebat, Edictum se permotum fuisse ait ex metu, ne Provinciæ sibi subditæ una cum ipso pœnas debeant Deo, supremo Vindici, de non punito duello.

Ernesti Ducis Saxo-Gothaici cedro dignum effatum est: " Ad se„ veram, quam condimus, interdictionem permovet nos non solùm vox illa

(a) C. Negligere. 2. q. 7. L. Congruit. ff. de Offic. Præf. (b) Spectateur tom. 1.

illa Divina, penetrans corda hominum: *quicunque fuderit humanum san-* "
*guinem, fundetur sanguis illius* (a), qua universè cædes humanæ vetan- "
tur, aut tristia fata Provinciarum, ob illas inultas sæpius eversarum: "
sed singulariter, quòd clarè pateat, non posse salva conscientia in præ- "
senti negotio, duello scilicet abolendo, ulli conniventiæ locum esse." (b)

Negat Augustus Dux Guelpherbytanus, licere Magistratibus, ac Principibus, ut, seposita hujus rei cura cujuslibet conscientiæ relinquant, qui se gerere velit. (c)

Demum unanimi sensu clamant Edicta Megalopolitanum, Suecicum, Lubecense, Ulmense &c. rationem severam quondam exactum iri ab Urbium, ac Provinciarum Rectoribus de adhibita cura, quam ad eliminanda duella afferre oportebat.

473. Caveant itaque sibi Principes sedulò, ne approbare unquam, aut laudare duellum videantur; vox una ex ore Principis fortè excidens excipitur pronis auribus, animisque, & plurimùm valet ad conciliandam crimini authoritatem. Franciscus I. Galliæ Rex, cum Carolo V. graviter collisus, aliquando in corona Procerum dicere auditus est: "Virum bo- "
num non esse, qui objectum sibi mendacium non vindicaret armis." Et en! in morem inducitur per Italiam, & Galliam, ut hæc exprobratio pro causa duelli reciperetur, necessariò armis vindicanda; ante Francisci enim imperium illud non obtinebat (d). Multo magis duellum confirmavit Princeps ille, cujus factum, certè ea dignitate indignum, alibi attulimus. Non solùm laudavit is provocantem quemdam levi affectum injuria, sed &, dum hic comparere recusantem baculo percussit, equo donavit in præmium præclari facinoris. "Manifestum est, ait Gobat (e), hoc Prin- "
cipis factum inquinatum fuisse macula duplicis gravissimi peccati; primò "
quòd eum, qui recusavit comparere loco nominato, exposuerit certo, & "
diu duraturo ludibrio aliorum, cùm revera fuerit laude dignissimus: in "
ipsum verò quadrârit illud tritum ex Dasibodio:"

*Non est dignus equo, cui charior est equus æquo.*



(a) Genes. 9. v. 6. (b) Edict. an. 1646. (c) Edict. an. 1646. (d) *Thuan.* l. 3. an. 1547. (e) Theolog. Experim. p. 1. edit. 2. tr. 7. cas. 18.

„ Secundò, quòd illo suo dono, ac laude excitârit & eum, quem ita re-
„ muneratus est, & suos Aulicos ad non solùm admittenda, sed etiam
„ offerenda duella. „

474. Attendant universi Rectores populorum ad gravissimam parænesin summi Pastoris CLEMENTIS VIII. suprà in ejus Constitutione contentam §. XX. " Universos, & singulos charissimos in Christo Filios Nostros,
„ Imperatorem, Reges, ac dilectos Filios, nobiles viros, Duces armorum,
„ & exercituum, Marchiones, cæterósque Principes Christianos, nec non
„ Dominia, Potentatus, Communitates, & Universitates Civitatum, Op-
„ pidorum, & Castrorum, illorúmque Domicellos, & Dominos tempo-
„ rales, ac etiam militum, & copiarum tam equestrium, quàm pedestrium
„ Ductores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos in quibuscunque etiam No-
„ bis, & S. R. E. temporali jurisdictioni non subjectis locis constitutos,
„ cujuscunque gradus, præeminentiæ, & nobilitatis existentes, hortamur,
„ rogamus, & obtestamur per viscera D. N. JESU Christi, ut ejus Divini
„ Nominis intuitu pro sua erga eundem DEUM, per quem regnant Reges,
„ & à quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga Nos, & sanctam
„ hanc Sedem reverentia, & devotione, non modò nihil tale in suis Do-
„ miniis fieri permittant, nec ullo modo conniveant: sed hoc malum omni
„ studio, diligentia, & authoritate exterminare totis viribus procurent,
„ & contra quoscunque delinquentes, & (ùt præfertur) quomodolibet
„ complices, & participes etiam temporalibus pœnis gravissimis animad-
„ vertant, & per suos Officiales, & curiæ Ministros procedi curent,
„ sciturí se obsequium DEO pergratum, pérque acceptum præstituros, si
„ quo gladio ad tutelam bonorum, & ad propulsandos perditorum co-
„ natus sunt accincti, eundem ad vindictam hujus peccati, & ad sumen-
„ das de hujusmodi criminis reis debitas pœnas exercuerint: contrà verò
„ memores, si in re tam gravi malè se gesserint, se in districto DEI judi-
„ cio rationem in novissimo die reddituros. „

475. Audiri meretur & illa Clero Gallicano digna adhortatio, qua per FOULIETUM, Episcopum Monpessolanum ita inter alia monuit LUDOVICUM XIII.: " Nemini dubium est, quin principium huic lanienæ ab infero
„ sit, cui Christianos velut victimas immolari, quàm est impium, quàm
„ horrendum! Exiget aliquando DEUS effusi tam crudeliter sanguinis ra-
tionem

tionem à Regibus, quorum est opponere impiæ feritati severitatem legis. "
Quam rationem iste LUDOVICUS, in cæteris deliciæ humani generis, & "
cœli amor, quam rationem commissi sibi populi reddet coram Judice, "
scrutari corda, & renes solito? Infernus portio est tot hominum, quos "
auspiciis melioribus DEUS cœlo creaverat. Unde id factum sciscitanti se- "
vera fronte Judici quid respondebis, LUDOVICE, qui eo momento Rex "
esse desieris? Potuisti salvam habere gentem meam, & perdidisti. Ob- "
jectioni occurre Rex, dum adhuc licet, nec diutiùs patere vanis homi- "
num auspiciis deludi gentem tuam. Indignatur DEUS, malè sic perdi "
populum, cui liberando suum ipse sanguinem effudit: perditur impuni- "
tate, & æstimatione delicti, per quam transiit in magnanimitatem bar- "
baries. „ Hæc & plura FOULIETUS apud GRAMONDUM. (a)

Non conquievit unquam laudatissimi hujus Cleri pius ardor, quin omni posthac ætate duellorum licentiæ sese velut aggerem torrenti opponeret. Etiam collectus in Synodum (b) Comiti DE DRUY gratulatus est editam lucubrationem, qua veram fortitudinem à duello longè remotam esse demonstraverat (c).

476. Et dum de Gallia sermo est, infelicem HENRICI II. casum non memorare non possum. Cabotius Jarnacius mendacii crimen Francisco Vivono Castaneo impegerat, in quo maxima credebatur esse injuria, necessariò armis vindicanda juxta oraculum Francisci I., de quo paulò antè. Igitur HENRICUS II. Rex publico duello experiri est passus, cum multis proceribus præsens pugnæ spectator. Succubuit Castaneus, ictu in poplite accepto. Cúmque præ dolore ac mœrore animi sanguinis cursum sisti, & vulnus à chirurgis obligari non pateretur, accedente vitæ tædio decessit. Rex Castaneo favens, prætérque opinionem rem evenisse cernens, tantum hinc concepit dolorem, ut religiosissimo sacramento se obstrinxerit, nulli posthac duello consensum dare. Hæc referens THUANUS (d), notat alibi (e), à curiosis, rerúmque intelligentibus observatum fuisse, *Regem, qui serium duellum, rem religione Christiana vetitam, infaustis regno auspiciis approbásset, in ludicro vitam amisisse*; constat quippe, quòd à Mon- gome-



(a) Ad an. 1615. (b) An. 1657. (c) De la beauté de la valeur, & de la lacheté du duel. (d) L. 3. ad an. 1547. (e) Lib. 22. ad an. 1559.

gomerio, cohortis prætorianæ præfecto, dexterum in hastiludio transfixus oculum vitam finiverit. Nempe inultus non manet temere effusus humanus sanguis: vel vindicatur in effundente, vel in eo, qui effusionem non prohibet, dum debet, & potest.

## §. II.

### Magistratus possunt abolere duella, modò velint seriò.

477. *Demonstratur hæc veritas.*
478. *Etiam à contrario.*
479. *Cum Epicrisi.*

477. MUlta potest Princeps volens, & volens seriò. Efficax imperantis vox est: *Sic volo, sic jubeo*, præsertim si affectus animi volentem stimulent, acuántque imperium. At ubi mens Rectoris languet, & ad speciem vetatur malum, patratúmque dissimulatur, quis miretur, si medela non fiat? Mirum! moveri ad jussa Regis possunt ingentes exercitus, everti urbes, & mœnia, & per tela, per enses ruere miles: nec tamen tota authoritate Regia compesci queat monomachiæ furor? Ea est aliàs in Equestri Ordine Regem imitandi, & assentandi studium, ut pulchrum dicant, quod deforme est: ut laudent, quod vituperandum, & vituperent, quod laudandum, modò Regis sententia præeat. Si ergo seriò duellum pro infamia, recusationem pro fortitudine Rex acciperet, an non etiam alios in sua sensa posset pertrahere? At dum laudant, quos audiunt pugnâsse: dum aulâ arcent, vel arceri sinunt provocatum, qui recusavit comparere: dum hunc patiuntur excludi ab obsequio militari, & Nobilium circulis: vel dum custodia domestica unius hebdomadæ tota pœna absolvitur, eáque finita idem gratiæ locus patet, mirum non est, duella non tolli. Et hæc erat potissima ratio, teste BASNAGIO (a) aliísque, quòd anteriorum Regum Galliæ conatus arcendis duellis minùs suffecerint. Equidem gravissimis in illa edictis, pœnísque animadversum est: vetita duella sub vitæ pœna, & eorum, qui intersunt, bonorum confiscatione: in occisos supplicium Majestatis additum, ut cadavera per urbis vias, infami crati

(a) De duell. §. 10.

crati impoſita, ad ſcalas Gemonias à carnifice pertrahantur, & patibulo ſuffigantur (a). " At ego crediderim, ait quidam (b), illa Edicta Regia " ſuam authoritatem paulatim perdidiſſe, quòd magno loco poſiti quidam " Duellatores, aut ſingulari gratia florentes factum ſuum impunè tulerint: " qualia impunitatis exempla in publicum ſunt pernicioſiſſima. „ Quàm ſtrenuè autem poſteriores Reges egerint, paulò pòſt recenſebimus.

478. Interim illud manet certum, ſi oſcitanter agant Magiſtratus, ac Principes, nil mirum, ſi parum proficiant. Dubitare ſcilicet incipiunt ſubditi, an ſeria ſit mens Principis: an verè nolit has pugnas: an reapſe duella diſpliceant: vel num cortice legis contentus fucum ſolùm populo curet facere. Si ſeriò res agitur, cur Principes ignorare affectant, ſi quid ejusmodi acciderit? Cur reos non perſequuntur, cur cuſtodia domeſtica aliquot dierum contenti iterum acceſſum ad aulam, ad tribunalia, ad regia conclavia permittunt, cur ſubitæ rixæ nomen veris duellis ſinunt affingi? ſi ſeriò oderunt hoc crimen Principes, cur in ſua præſentia patiuntur dilaudari, velut heroicum facinus, commiſſum duellum? cur veluti de re præclarè geſta gratulantur? Certè de ejusmodi legislatoribus veriùs ego, quâm quisquam de Ludovico m. dicerem: *Probant, quod prohibent* (c). Et quo ſuo id honore? Certè pudeat leges condere, & conditarum transgreſſiones impunitas ferre. Neſcio, quid turpius: vel malum non prohibere, vel prohibitum, ſi committatur, indolenter aſpicere. Unde jocatur ſalsè Plautus in Trinummo:

*Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam:*
*Eæ miſeræ etiam ad parietem ſunt fixæ clavis ferreis,*
*Ubi malos mores affigi nimio fuerat æquius.*

479. Equidem non ignoro, quamcunque induſtriam adhibituri ſint Magiſtratus, ac Principes, non propterea monomachiæ malum ex integro ſublatum iri; quæ enim mandata, ab ipſo etiam ſummo Numine lapidibus inciſa, tam accuratam inter homines obſervantiam obtinuêre, ut non

(a) *Thuan.* ad an. 1602. (b) *Maurit.* de duell. §. 82. (c) Journal Helvetique de l' année 1740.

non violata sæpe fuerint, & etiamnum violentur? At satis est, si omnem, quam possunt, operam afferant Principes, qua suus stet honor legibus, vel saltem impunè easdem transgredi non liceat. Præcavendo, &, quæ præcaveri non possunt, puniendo, repagulum ponent malo, ne pleno unquam agmine irruere valeat. Ut nunquam peccetur in legem, hoc nulla ætas, nulla respublica vidit: ut magis vel minùs peccetur, hoc solum à Magistratuum authoritate, & serio conatu dependet. Felix illa respublica, in qua is viget disciplinæ rigor, qui civibus securam reddit vitam, & *gladios convertit in vomeres.* Possunt id effectui dare Principes, modò velint seriò.

## §. III.

### Magistratus possunt abolere duella, modò adhibeant convenientem industriam.

480. *Leges condant distinctas.*
481. *Pœnas statuant ignominiosas.*
482. *Jusjurandum exigant à Nobilitate, si è re futurum credant.*
483. *Notent, quæ passim in edictis suggeruntur.*
484. *Addant obfirmatum animum juxta variorum exempla.*

480. NOn ille ego sum, qui summis dignitatum fastigiis mea consilia velim propinare: quid alii, me multo sagaciores, in rem præsentem proficuum perspexerint, id solum memorare liceat. Ac primò quidem illud conducere notatum fuit, si leges contra duellum ferantur non confusè, & perfunctoriè: sed ita, ut in iis enucleatè contineatur, qua ratione conviciator factam labem reparare læso, qua pœna petulantiam luere debeat: tum quid secuto duello, facta, vel non facta cæde, cuique sit exspectandum: quid inferioribus judicibus emergente ejusmodi dissidio sit observandum. Hæc, inquam, aliáque accuratè, & minutatim statuenda sunt, & in tabulas referenda, ac promulganda antè, quàm casus accidat; quòdsi enim Magistratus suo arbitrio reservet, quid postmodum judicare placeat, à recto deviabit sæpe: jam movebitur intempestiva misericordia: jam timebit nobilis familiæ indignationem: jam partium studiis vel intercedentium deprecatione expugnabitur: jam exemplo unico datæ semel veniæ ligari sibi manus sentiet, ne feriat posthac. Ubi contra leges, dilucidè scriptæ, strenuéque observatione deductæ in usum,

quid

quid agendum, demonſtrant, nil erit, quod Judicem facilè à trita ſemita avocet. Ita ſentit FERD. VASQUEZ, adducens etiam ARISTOTELEM, & DOMIN. SOTO (a), cujus verba recito: " Utilius, commodius, ac tutius eſt " per legem, quàm per Principem rempublicam gubernari; quòd illa " matura deliberatione, ac conſilio plerumque fiat, ſícque publicæ utili- " tati conſulat: is non raro feſtinanter, & nubila mente odii, amoris, " vel cupiditatis à bono publico abſcedat: quare melius eſt, ut, quàm " maximè fieri poſſit, cuncta legibus explicentur, judicibus autem non " niſi minima, & quæ legibus comprehendi nequeunt, relinquantur. „ Hæc VASQUIUS ſanè prudenter. Hinc ex edictis, quæ contra duellum edita exhibet LUNIGIUS, ea mihi minus probantur, quæ certi nihil deſignent; generatim prohibuiſſe duellum contenta. Alia econtra pleraque afferunt multiplicem induſtriam, & ad ipſas minutias deſcendunt, tum ut duellum evitetur, tum ut patratum ex æquo caſtigetur.

481. Alterum, quod eximiè proficuum à multis judicatur, eſt, ut ex veneno fiat pharmacum, & opprobrium, ad quod evitandum ſuſcipi ſolet duellum, duello annectatur: & ſic, dum jam pugnant, ut fugiant infamiam, poſthac non pugnent, ne infamiam contrahant. Corrigere nempe oportet corruptas hominum ideas, ut, poſtquam turpe viſum eſt, quod erat egregium, ſcilicet injuriam non ulciſci armis, poſthac habeant pro turpi, quod viſum erat egregium, ſcilicet ulciſci. Et profectò, cùm exiſtimationem, famámque præ vita æſtiment nobiles animi, non aliis pœnis ſatìs ab hoc crimine retrahentur, niſi quæ infamiam quamdam annexam habeant. Plus apud monomachos valebit, ait celebris Anglus (b) nota illa pœna Pillorii (c), quàm centum mortes. Prohibeantur poſthac nunquam geſtare gladium, ejiciantur ex urbe, aut caſtris: habeantur inepti ad conſequendum unquam militiæ, domíve munus ullum. Auferantur illis Nobilitatis inſignia, vel etiam publicè comminuantur, eradantur ex Equeſtri Ordine, ita ut etiam ſeries genealogica in iis deſinat: his machinis mitigati, frœnabunt iram præcipitem, cavebunt offendere, & acceptam



(a) Controv. l. 1. c. 1. n. 11. (b) Le Spectateur. (c) Contumelioſum ſupplicium eſt, deſcriptum à D. Benthem in Statu Eccleſ. Angl.

ptam fortè offensam tacitè concoquent, ne in nimbum incurrant, dum stillas fugiunt. (a)

482. Neque illud hoc loco dissimulandum, quod probat PUFENDORF, ut scilicet omnes, qui Equestri Ordine censeri volunt, jurejurando spondeant, nunquam ad duellum provocare: neque, si provocentur, comparere. Et hoc ipsum est, quod laudatissimi Mareschalli Galliæ laudârunt in familiis compluribus de flore Nobilitatis, quæ propria manu, & fide nobili ad id observandum sese obstrinxêre (b). Quo exemplo excitatus CAROLUS EMMANUEL II. Dux Sabaudiæ (c) idem juramentum deferri jussit Nobilitati suæ universæ, eorúmque nomina, qui illud præstitissent, colligi, ut, quid de reliquis statuendum, maturè expendi valeat. Formula juramenti ita habet: « Ego, cujus infra scriptum nomen est, juro, & pro-
» mitto, me nunquam duellum commissurum, neque in hunc finem libel-
» lum provocationis missurum, aut accepturum, ex quacunque occa-
» sione, aut offensa accidere id posset: Reservato tamen mihi jure, ut illatâ
» fortè mihi injuriâ, uti liceat remediis salvando honori idoneis, nec pro-
» hibitis per leges. »

483. Demum hoc loco iterum iterúmque commendo multiplicia summorum Principum studia, quibus laborârunt occurrere necessitati tum provocandi, tum comparendi, quæ à nobis in pugnum contracta legere est §§. *IV. & V. Art. I. Cap. II. à n.* 87. Commendo item, ut inspicere nemo Magistratuum gravetur catalogum pœnarum, quas in varia hujus generis delicta tulêre prudentissimi, iique magno numero Principes, à nobis exhibendum *sequente Articulo.* Ex quo sibi quisque deligere poterit, quod sibi, súisque rebus (neque enim omnibus omnia quadrant) deprehenderit convenientissimum.

484. Quæ tamen omnia vana erunt, ac inutilia, nisi obfirmatus accedat in Rectore animus, à latis semel legibus nec latum unguem discedendi. Sine, ut unum, alterúmve specimen obfirmati ejusmodi animi exhibeam.

JOSE-

(a) Ita *Roques* Reflex. sur le duel. §. 90. (b) In edict. an. 1653. apud *Lunig.* (c) In edict. an. 1661.

JOSEPHUS CLEMENS Coloniensis Elector jurejurando semet obstrinxit, ne unquam aliter monomachum judicaret, aut plecteret, quàm suo in Edicto statuerat. Prohibuit, ne quis ullo unquam tempore, etiam in festivis gaudiis, intercedere pro his reis ausit (a). Quin voluit, ut omnis venia, scripto exhibenda unquam se vivente, tanquam fictitia, seu *subreptitia* rejiciatur.

In Edicto Brandenburgico (b) prohibentur omnes preces, interponendæ pro monomacho. Edictum aliud (c) fidem Regiam oppignorat de gratia nunquam facienda.

MAXIMILIANUS II. Bavariæ Elector monitos vult omnes, & singulos, ne spe impunitatis, aut conniventiæ ad violandum hoc mandatum suum abduci se sinant (d). Idque ut tanto certiùs constet, totum edictum jubet quotannis prælegi universis copiis, & publicè affixum continuò prostare.

In Edicto Regis Daniæ, item in Megalopolitano graves pœnæ intentantur inferioribus Præfectis, si elabi sinant monomachos. Saxonicum iisdem mandat, ut, quamprimum duellum commissum innotuerit, mox equos cursores cuiquam prohibeant dari, & portas urbis claudant: vel elapso ex urbe reo, ruri etiam per campanas gentem rusticam excitent ad persequendum fugitivum (e).

Hamburgensis Magistratus curam suam ad ipsos chirurgos extendit, pœnam ipsis denuntians, nisi ipsi denuntient, quorum vulnera, in duello accepta, curanda suscipiunt. Id quod & Lubecensis consultissimè statuit.

Quid dicam de hodierno Rege Christianissimo, qui dum capesseret regiminis gubernaculum, jurejurando, juxta morem quorundam de suis Majoribus, promisit, nunquam concedere veniam reo de duelli crimine. Ad hæc prohibuit severè, ne pro ejusmodi quis preces interponeret ullo tempore, etiam dum genethliaca, vel nuptialia gaudia celebraret domus Regia. Liceat fusiorem calamum honori Regum Galliæ dicare, utpote quibus nemo magìs ad compescendam duelli pravitatem laboravit. sit itaque



(a) Edict. an. 1704. (b) An. 1688. (c) An. 1713. (d) Edict. an. 1720.
(e) Edict. an. 1706.

## §. IV.

## Magiſtratus poſſunt abolere duella, modò imitentur Reges Galliæ.

485. *Ludovicum XIII.*
486. *Ludovicum XIV.*
487. *Ludovicum XV.*

485. TRes poſtremos proponere juvat ad admirationem, & imitationem. Equidem priores jam bellum declaraverant huic malo, at ſucceſſu modico, donec creſcentibus damnis remedia magìs ſeria, & docente experientia magìs proficua adhiberi cœperunt. LUDOVICUS XIII., dum regnum adiret, paſſim hanc rabiem graſſantem invenit, ſed cui paulatim, conſilio uſus celeberrimi Cardinalis RICHELII, cladem non levem attulit. Pace cum exteris, & Religionariis conſtabilita, ait hiſtoria (a), eandem Cardinalis Equeſtri Ordini, qui quotidie in multas neces ruebat, conciliaturus, Regi ad juſtitiæ fervorem propenſiſſimo, oſtendit, nihil adeò legibus Divinis, & Reipublicæ adverſum, quàm duella, quibus Nobilitatis flos, ſummum Galliæ fulcrum, periret. Pœnas mox definivit, quibus intentatis abſterrerentur ſubditi, quasque Rex per jusjurandum ſanxit. Unde nihil parcebatur monomachis. Marchio Paralinus, Filius Mareſchalli defuncti, auſus erat cum Barone Becio congredi, unde Præfectura ſecundaria Campaniæ caruit, per aliquot annos aula remotus. Sic ex ſuſpicione gravi Liancurtius, quòd in gratiàm Ducis Halvini Preſſianum provocâſſet, ab aula arcetur. Cùm tamen temeritati nullum frœnum ſufficiat, Butevillanus, & Chapellanus eò provecti ſunt, ut Rex, refragante nec quidquam clementi animo, majore, quàm unquam rigore in eos juſtitiam exerceret. Butevillanus quidem fortitudine eximia pollebat, etiam inimicorum teſtimonio, quæ prudentiæ inops, in eum furorem proruperat, ut aulæ fortiſſimum quemque provocaret. *vid. dicta n.* 148. Et poſtquam jam ſemel Nemeſi ſe ſubduxerat in Flandriam profugus, in Galliam redux, Lutetiam petebat, qua urbe ei interdictum erat, móxque provocabat Marchionem Berronem; quo condicente pugnatum eſt, ternis utrinque congre-

(a) Miniſtere du C. de Richelien l. 3. c. 8.

gredientibus, Butevillano scilicet, Chapellano, & Bertio contra Berronem, Bussium Ambrosianum, & Buquetum. Butevillanus patrata pugna fugitivus, à Matre Bussii occisi primùm detentus in custodia, tum missus Lutetiam est, & unà cum Chapellano, Vitriaci deprehenso, Senatui judicandus est traditus, ex cujus sententia capitis supplicium subivêre in campo Grevæ, nec quidquam Regis clementiam implorante nobilissima Butevillani familia (a).

Operæ pretium facturum me spero, si hoc loco latinè reddam epistolam Regis ad Momorentium scriptas doloris leniendi causa, quem huic feralis sententia Butevillani, sanguine sibi conjunctissimi, ex æquo afferebat. Ita habet (b).

Cognate mi!

" Nullus dubito, quin te à me amari credas, magnóque in pretio haberi familiam tuam, utpote, quæ inter antiquissimas, & illustrissimas regni mei singulariter se commendat non sanguinis tantùm, & cognationum claritate: sed & utilissimis obsequiis, præstitis tum à Majoribus tuis, tum à te ipso. Nec minùs persuasum te crediderim, maximi à me fieri robur animi in viris strenuis, de quibus servandis tanta mihi jure merito cura est, ac de ulla alia rerum mearum. Unde conjectare pronum tibi sit, quàm acerbè mihi acciderit infortunata culpa, & sors extincti Butevillani, quámque lubenter audivissem tuas, aliorúmque interpositas preces. Id quoque tu ante alios perspectum habes, quàm vehementer propenderim ad concedendam veniàm reo de toties violatis regni legibus. At, dum is denique, ita volentibus fatis, ultro se justitiæ manibus exposuit, fateor, eò adactum me vidi, ut reprimerem tantisper, vel nolens, perpetuam illam meam in te, résque tuas propensionem; timui namque, ne, dum ego contra juratam Deo fidem duellis indulgerem, in memet provocarem justam Dei iram: néve mei mihi imputarent eversam edictorum vim, atque imminutam authoritatem



(a) Ministere du C. Richel. l. 4. c. 6. (b) Causes celebres avec les Jugemens par Monf. Gayot de Pitaval.

„ Regiam. Quódque altiùs animum penetrat, ſtrages eſt tot Nobilium, „ quorum vitam, & ſanguinem præ meo amo; neque enim ſine acerbiſſimo „ dolore cogitare valeo, quantum Nobilium, & fortium virorum nume- „ rum deteſtabilis ille duellorum furor ab aliquot abhinc annis rapuerit, „ quot clariſſimas familias extinxerit, quámque eousque malum excre- „ verit, ut etiam primis Procerum à turbulentis provocatoribus, ſecuris „ eſſe non liceret. Ubi jam ſcelus, diu nimis impunitum, ad extrema „ devenit, aggerem oportebat ponere graſſanti licentiæ, & juſtæ iræ „ locum dare. Teſtis mihi Deus ſcit, quantum propterea animus meus „ ſecum ipſo luctatus fuerit, & num tu magìs dolueris cauſæ hujus exitum, „ ac ego. De quò certiorem te reddo per Saludium, Tribunum legionis Nor- „ mandicæ. In hunc finem remiſi eum ad te, ut argumentum caperes, „ quanto tu mihi in pretio, & amore eſſes. Id ſicut tu conaberis etiam „ poſthac promereri egregiis factis, ſic omnem ego occaſionem prenſabo „ demonſtrandi tibi hoc meum in te ſtudium. Saludius ampliùs hoc te „ edocebit: habeto ei fidem, ac ſi meo ore loqueretur. Poſt hæc precor „ Deum, mi cognate! ut tè ſancta ſua cuſtodia ſervet. Dabam Lutetiæ „ Pariſiorum 25. Jun. anno 1627.

Ludovicus.

His aliíſque egregiis, & regio faſtigio dignis conatibus ſi annoſam arborem non radicitus evulſit Ludovicus xiii. (non enim omnia, ùt quidam inexperti credunt, ipſis Regibus in expedito ſunt) convulſit tamen, & ita labefactavit, ut, quód ſtrenuè cæperat Pater, feliciùs proſequi potuerit filius Ludovicus Magnus.

486. Huic fata reſervârunt eam ſingularem gloriam, ut, ſi duellum non penitus extirpârit, certè fecerit in Galliis rariſſimum. Poſtquam Anno MDCLXXIX. in celebri edicto ſuo ſpem ſibi feciſſet duelli uſum imminutum à ſe iri, præquàm à Regibus anteceſſoribus ſuis fuiſſet factum, in declaratione ejuſdem edicti, triginta duobus annis pòſt edita, teſtatur non ſine liquido grandis animi ſui ſolatio, tuliſſe ſe, aſpirante Cœlo, operæ pretium, felicíque, quem hactenus habuiſſet, ſucceſſu ſtimulari ad ulteriores conatus. Inde id obtinuit, ut grates ei immortales debeat poſteritas;

vitam

vitam enim innumeris servavit, dum vitæ gratiam nemini monomacho fecit : familiis quietem reddidit, dum aliquot turbulenta capita demessuit : & restituit sana veri honoris placita, dum à furore conficta contrivit. Ita Basnagius : quamvis, an ex Christianis potiùs, quàm politicis rationibus commotus id Rex egerit, in dubium vocare malignus interpres videatur (a). Quidquid sit, etiam bonum politicum, præter Christianas leges, cum laude curant Principes.

487. Præclaris Proavi vestigiis institit in hodiernum usque diem populi sui amor (b) Ludovicus xv. Vix sui juris factus, imperii habenas capessiverat (c), mox in primis curis posuit firmare edita Declaratione mandatum Proavi, in qua, ait, non solùm grandi hoc exemplo se excitari, sed etiam solemni jurejurando, quo se, in Regem unctus obstrinxerat, à pœnis, in duellum latis, neminem eximere. Cùm autem, addit sapientissimè, nulla unquam lex tam clara sit, & præcisa, quam non perversa ingenia præposterè explicando enervare tentent, ideo se novam Declarationem condidisse. His præclaris studiis Christianissimi Reges effecere, ut postquam nullibi frequentior fuit duellorum usus, jam nullibi terrarum rarior, vel saltem minùs impunitus sit atque in Gallia, ubi monomachis vel in fuga, & tristi exilio quærenda salus est, vel subeundum infame supplicium, à quo neque occisus immunis est. Nempe pœnas victoribus, victisque constituêre, ait Orator celebris (d), hoc ampliores, quòd ad vivos, & mortuos pertinerent : hoc graviores, quòd essent cùm infamia conjunctæ : hoc minùs eluctabiles, quòd omnis spes veniæ Sacramento Regio tolleretur. Sicque ignominiæ metu coacti sunt vivere, quos opprobrii timor cogeret mori.

ARTI-

(a) Reflex. sur le duel. §. 9. (b) Le bien aimé. (c) An. 1723.
(d) P. Porée Laudat. funebr. Ludov. XIV.

## ARTICULUS II.

### *Quas Leges, & pœnas in Duellum statuerint varii Magistratus.*

NOn fuere officii sui adeò immemores Principes, Magistratúsque, ut non omni ferme ævo duelli barbariem saluberrimis legibus, atque injecto pœnarum metu compescere studuerint. Ita quidem ut, si tanto rigore observari curâssent leges, quanta providentia condiderunt, parum, quod ab hoc sibi malo timeret, habitura esset Respublica. In his exponendis ut ordo servetur, quæremus primò, quæ pœnæ duello competant de Jure Communi. Secundò: Quæ de Jure Particulari, contento in plurimis Edictis Principum. Tertiò: An non hæ pœnæ sint justo graviores. Quartò: Num etiam in Civitate malè ordinata infligi possint.

## §. I.

### Quæ pœnæ duello competant de Jure Communi?

488. *Missis legibus antiquis,*
489. *Et data definitione pœna,*
490. *Quæritur, quid* Provocatus *mereatur facta cæde,*
491. *Quid illato tantùm vulnere.*
492. *Quid* provocans *ob solam provocationem.*
493. *Quid ob vulnerationem.*
494. *Quid ob cædem.*

488. NOlim esse longior in recensendis antiquissimis legibus, queis præ cæteris CONSTANTINUS M. *cruenta spectacula, & gladiatores esse omnino prohibet* (a): vel operas locare ad ineundam cum bestiis pugnam (b). Quarum Sanctionum prior juxta BRUNNEMANNUM complectitur omnia cruenta spectacula, in quibus effunditur, vel effundi potest humanus sanguis, ad mentem BARTOLI, JASONIS, BOCERI apud GONZALEZ. Referre etiam huc possem leges quamplurimas, per quas homicidia prohibentur in republica: vel per quas commendatur securitatis, atque tranquil-

(a) L. un. C. de Gladiat. (b) L. 1. §. Sed & si quis. ff. de postulando.

quillitatis conservatio : Item quibus cavetur, ne quis civem reipublicæ tollat è medio; cùm communitatis intersit, eam liberis hominibus esse repletam : vel quibus interdicitur, ne quis authoritate privata jus sibi dicat; his enim omnibus feritur duelli usus, utpote repugnans omnibus. At propiùs ad rem juvat accedere. Primo loco de pœna quæramus, quæ *provocato* competat : tum de pœna *provocantis*.

489. Est autem *pœna* juxta GROTIUM (a) malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. Pœnam infligit suprema potestas : an autem ex justitia *commutativa* sive *expletrice*, ùt vult GROTIUS : vel ex *distributiva* seu *assignatrice*, ùt docent alii, non facilè dictu est. Spectatis omnibus dicendum videtur, pœnas, si per legem publicam in genere præscribantur, pertinere ad justitiam *universalem*, seu *legalem* : si verò per sententiam hic & nunc in delinquentem statuantur, eas spectare ad justitiam *vindicativam*, quæ est separata justitiæ species ; in qua tamen observatur proportio arithmetica; ita ut in eodem gradu sit malum passionis, in quo fuit malum actionis ; dictante sic Lege Divina veteri : *Pro mensura peccati erit & plagarum modus* (b). Et quamvis subinde respiciatur ad personas delinquentes : non tamen respicitur alio ex fine, quàm ut gravitas, vel levitas delicti, aut pœnæ exinde mensuram accipiat. Cæterùm inter alias divisiones pœnæ hoc loco notandam duxi eam, qua pœna in ordinariam & extraordinariam dispescitur. *Ordinaria* est, quæ uniformiter decreta, ac determinata est delicto, vel per legem scriptam, vel per consuetudinem. *Extraordinaria* sive *arbitraria*, quæ à lege, statuto, consuetudine non est definita, sed à judice, cujus arbitrio relinquitur, definitur, ita ut eam minuere, vel augere valeat, habita ratione delicti, & delinquentis.

His notatis, ad quæstionem propositam juvat audire Juris Criminalis interpretes doctissimos CARPZOVIUM, BERLICHIUM, aliósque.

490. *Provocatus facta cæde* immunis ab omni pœna esse non potest; quia in præsenti vitæ discrimine constitutus non fuit : neque rem licitam



(a) J.B. & P. l. 2. c. 2. §. 1. (b) Deuter. c. 25.

citam egit cum provocante descendens ad duellum. Attamen non ordinaria pœna legis Corneliæ de sicariis (a); sed extraordinaria, nempe vel relegatione, vel mulcta, vel carceris pœna pro arbitrio judicis afficiendus esse quibusdam videtur, saltem si provocantem in ardenti ira occideret; tum quòd provocatus ad occidendum moveatur justo, atque intenso dolore, cui temperare difficillimum est, quo commotus quis non censetur esse sibi satis præsens; cùm metus improvisus instantis periculi tollat rectum judicium; tum quòd *ignoscendum sit ei, qui se voluit ulcisci provocatus* (b). Hæc est sententia Carpzovii (c), quam ait confirmatam fuisse in Constitutione quadam Electoris Saxoniæ. Sed pœnam ait esse augendam, si quis provocatus fuerit absque verbis contumeliosis ad pugnam: nec tamen ad mortem condemnat interfectorem. Addit, quòd judex hoc casu interfectorem, cui pœna arbitraria imponitur, simul ad solutionem Wergeldi (summa pecuniæ est, agnatis numeranda ad compensandum, quod passi sunt ea nece, damnum) & expensarum condemnare queat.

Berlichius consentit ferme (d), dum provocatum in hoc casu non de toto, sed de quanto ille excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, puniendum censet, ideóque tantùm pœna extraordinaria. Hæc tamen pœna extraordinaria sit solummodo carceris, vel relegationis, vel alia arbitraria. Ad fustigationem verò, vel ad manûs amputationem, vel aliam pœnam corporalem extendi non poterit. Ratio est; quia quando imponitur pœna mortis: ea autem ex alia causâ, ùt in casu nostro ex causa provocationis, venit minuenda, tunc illa pœna non potest esse corporalis, sed pecuniaria, vel alia, per quam corpus non affligitur. In quo tamen dissentientem habet Georg. Obrecht (e).

Sententia hæc, à pœna capitali absolvens provocatum interfectorem, justo benignior quibusdam videtur, nec immeritò; si enim ipse iniquè antea læsit adversarium, satisfaciet, ùt debet; nec per novam injuriam ejus vitam etiam armis impetat. Si provocatur nulla data causa, judicem imploret. Nil itaque est, quod eum à pœna ordinaria eximat. Et nun-

(a) Hujus definitionem vid. n. 492. (b) L. Qui cum major. 14. §. Si libertus. 6. ff. de bon. libert. (c) P. 1. quæst. crim. q. 29. n. 76. (d) Part. 4. conclus. 17. n. 9. (e) Tract. de defens. c. 11.

nunquid provocans etsi aliqua injuria affectus, pœnam ordinariam debet pati, si occidit, quem provocavit? quia scilicet apud judicem debebat conqueri: ergo pari ratione provocatus erit habendus. Mecum sentit MAURITIUS (a) citans HAHNIUM, & FRANTZKIUM. Idem pro solido fundamento affertur in Edicto Saxo-Gothaico. *vid. n.* 495. Ipse BERLICHIUS (b) fatetur, quòd provocatus juxta nonnullos *regulariter* non excusetur à pœna ordinaria legis Corneliæ, quos inter adducit FELINUM, LUDOLPH. SCHRADER, GAIL &c.

Quin si rite BERLICHIUM, aliósque benigniores Doctores intelligo, non loquuntur de provocato, qui comparuit post moram, statuto loco, & tempore: sed potiùs de eo, qui ad subitaneum conflictum evocatur, vel acerba injuria lacessitur ad arma stringenda; huic soli enim difficillimum est emotam mentem, & ira succensam continere, quod fundamentum est benignæ sententiæ. Unde ipse BERLICHIUS (c) vult, nece puniri provocatum, si ex intervallo, ubi ira, & dolor desiit, provocantem interimit. Item, *si quis leviter tantùm provocatus fuit, & ob levem ejusmodi provocationem occidit* (d). Quæ autem sit levis ira, & provocatio, Religioni, & arbitrio judicis relinquit (e). Consonant hæc cum principiis CARPZOVII (f). Quid? quòd in Constit. Carolin. Crim. (g) ultimum supplicium disertè sancitum sit in eos, qui inconsulto calore, & iræ fervore cædem patraverint. Et, quæso, quis absque iræ quodam impulsu homicidium committit, nisi latro sit, vel sicarius?

Neque dicas, provocanti non fieri injuriam; eo quòd provocando renunciet juri, quo gaudet ad administrationem, vel usumfructum vitæ suæ; nam nihilominus fit injuria DEO, & Reipublicæ. Item, si miserum quemdam, etiam rogantem, occidas, morte lues factum haud dubiè: ergo multo magis si occidas ita inaniter renunciantem.

Unde non immeritò æquissimi Legislatores, quorum Edicta §. *sequente* recensebimus, facta cæde in provocatum æquè, ac provocantem mortis pœnam statuerunt. Certè nemo eorum discrimen ullum fecit. Id



(a) De duell. §. 46. (b) Loc. cit. n. 7. (c) Ibid. n. 20. (d) Ibid. q. 22. (e) N. 23. (f) P. 3. Pract. Crim. q. 147. n. 55. seq. (g) Art. 137.

dabo, si quis Magistratus gratiam interfectori facere velit, aut possit, ea digniorem esse provocatum, quàm provocantem.

492. Quòd si *provocatus* non occiderit provocantem, sed *vulneraverit*, aut verberaverit, ùt loquitur Berlichius (a), tum pœna extraordinaria ad arbitrium judicis puniendus erit, ùt docent plurimi, & sana videtur dictare ratio. Mihi tamen, ait Berlichius, verius videtur, quòd provocatus hoc in casu omnino puniri non debeat. Argumenta tamen ejus infirma esse existimo. Primò citat *L. si ex plagis.* 52. §. 1. *ff. ad L. Aquil.*, ubi tabernarius, ablatam sibi lucernam repetens, dum flagello percutitur ab eo, qui sustulerat lucernam, reddens ictus, fortè oculum effodit homini: & tamen culpa penes eum dicitur residere, qui prior flagello percussit. At tunc ad rem foret hæc lex, si provocatus primò à provocante quidquam exegisset de jure sibi debitum: ab hoc autem malè exceptus vim vi repellendo fortuitò dedisset vulnus; id quod à casu nostro longè alienum est.

Nec meliùs quadrat *L. 1. §. cum arietes.* 11. *ff. Si quadrupes pauper. fec. dic.* ubi dicitur, si aries arietem provocavit, & provocatus provocantem occidit, quòd contra eum nulla actio competat; hoc enim probaret nimium, scilicet quòd provocatus impunis abire etiam deberet tunc, quando provocantem *occidit.* Ad hæc quæ similitudo inter homines, & bruta? utique brutum judicem adire pro vindicanda facta sibi injuria non potest: adeóque mirum non est, quòd tam ipsum, quàm dominus ejus veniam mereantur, si à provocato provocans lædatur.

Argumentum tertium Berlichii ita habet: si provocatus provocantem occidat, tantùm punitur pœna extraordinaria: ergo si tantùm vulnerat, vel verberat, nulla pœna afficiendus erit; quoniam aliàs inter occidentem, & vulnerantem nulla foret differentia. Resp. dari inter ipsas extraordinarias pœnas, majores, & minores: si ergo occidenti aliqua extraordinaria competat, major huic assignanda, minor vulneranti. Cæterum quorundam Principum Edicta etiam vulneranti provocato dictant pœnam mortis: quin solùm pugnanti, quamvis sine vulnere, de cujus sententiæ æquitate suo loco dicemus.

492. Jam

(a) Loc. cit. n. 1.

492. Jam etiam de *provocante* statuendum est, quomodo hic puniatur *ob solam provocationem*, si *e. g.* hanc non acceptavit provocatus. Videtur dicendum, quòd pœna ordinaria *Legis Corneliæ de sicariis* sit puniendus. Pœna per legem hanc statuta, fuit aquæ, & ignis interdictio, in cujus locum fuit subrogata deportatio, & bonorum ademptio *l.* 3. §. *pen. ff. de sicar.* Postea verò capite placuit hoc crimen puniri, nisi honestiore loco positi fuerint rei, quàm ut pœnam legis sustineant; humiles enim bestiis solebant subjici: altiores verò in insulam deportari. Qua pœna puniri jubentur, qui falsum testimonium ferunt, aut venena parant, aut cum telo ambulant homines occidendi gratiâ. Neque enim exitus spectatur in delictis, sed voluntas (a): quatenus tamen aliquo modo in actum transiit (b). Hanc pœnam in casu, quo quis habuit animum occidendi, & propositum, imponi posse, extra dubium esse ait Berlichius (c), subjungit autem: cùm tamen incertum sit, an provocans animum occidendi, an verò vulnerandi tantùm habuerit: & si vel maximè animum occidendi habeat, cùm tamen adversarium non clanculum, sed Marte aperto aggredi, & cum eo certare voluerit, & pugnæ eventus anceps sit, meliùs erit, si pœna extraordinaria ad arbitrium judicis puniatur. Pœna ergo aliqua semper habebit locum etiam tunc, juxta Berlichium, & Knipschilt (d), quando provocatio absque verbis contumeliosis facta fuerit; cùm provocatio omni jure prohibita sit, atque ita provocans ob solam etiam provocationem puniatur, & quidem severè, ut pestis hæc quantum potest fieri, eliminetur ex Republica. Idem juxta hos Authores procedit, etsi provocatus verbis, aut factis causam provocationi præbuerit; quia propterea non debet quis adversarium ad pugnam provocare, & se ipsum ulcisci: sed contra eum viâ juris experiri.

Observandum autem est, ùt monet Berlichius (e), quòd prædicta pœna provocanti ob solam provocationem imponatur. Unde infertur, quòd is, qui aliquem verbis contumeliosis provocaverit, vel aliam injuriam intulerit, nihilominus præter pœnam provocationis etiam alia

 pœna

(a) L. Divus. ff. de sicar. (b) L. Cogitationis. ff. de pœnis. (c) P. 4. Concl. 16. n. 11. (d) De Nobilit. lib. 2. c. 3. n. 113. (e) Loc. n. cit. 15.

pœna injuriarum vel criminali, vel civili, prout actio instituta fuerit, puniri possit; tum quia hic adsunt plura & quidem diversa delicta, provocatio scilicet, & injuria: tum quia pœna provocationis pertinet ad fiscum: pœna verò injuriarum concernit injuriatum, & ei, si civiliter egerit, applicatur. Ubi autem duæ sunt pœnæ, quarum una pertinet ad fiscum, altera ad actorem, tunc una alteram non tollit (a).

493. Si provocatione acceptata *venerit provocans ad pugnam*, & provocatum vulneret, vel mutilet, ordinaria quoque pœna eum puniendum censet Berlichius (b), & Obrecht apud Knipschilt (c); quoniam animum occidendi habuisse præsumitur, saltem si ipse prior armis provocatum invasit. Noto hic, animum in duello non semper esse *determinatè* mortem alteri inferendi: sed dandi vulnus, prout opportunitas tulerit, etsi sit lethale, quod sufficit ad culpam. Ipse tamen Knipschilt iterum de pœna ordinaria dubitat, eo quòd hodie ex generali consuetudine omnium locorum, conatus, etsi ad proximum actum pervenerit, nisi delicto ipso perpetrato ordinaria pœna non puniatur. Docet etiam Carpzovius (d), Legibus de conatu loquentibus, in toto orbe derogatum esse. Meretur tamen etiam audiri Mauritius (e): Etsi conatus delicti in genere ordinaria pœna regulariter non sit puniendus: non tamen hinc tutò colligitur, etiam illorum delictorum conatus, in quos à legibus speciatim pœna ordinaria sancita est, mitiori pœna plectendos, atque has etiam leges inter abrogatas privato quodam ausu reponendas esse, qua de re pluribus disputat Tabor (f). Unde colligo ego, eas leges observantiâ omnino esse dignas, quæ, ùt videbimus §. *seq.* pœnam mortis in provocantem statuunt, etiam non secuta cæde. Idem dico de legibus, sub pœna mortis solam provocationem prohibentibus, etiam non secuta pugna.

494. Si denique *provocans provocatum occiderit* in duello, pœna ordinaria homicidii locum habet. ita Knipschilt, aliique. Neque occisor defensionem prætexere poterit; cùm Author rixæ fuerit. Quod etiam

(a) L. pignore 54. §. Cum furti. 3. ff. de furtis. (b) Loc. cit. n. 16. (c) N. 114. (d) P. 1. Pract. Crim. q. 2. n. 54. (e) De duello. §. 48. (f) De conatu c. ult.

etiam eo casu procedit, teste CARPZOVIO (a), quando provocans in conflictu jamjam succumbens, & ab adversario redactus in angustias, hunc interficiat ad sui defensionem; tum quòd provocans ab initio non fuerit in *terminis defensionis;* sibi enim imputet, quòd per provocationem periculo se exposuerit: tum quòd lex non præsumat Authorem rixæ, & provocantem constitutum in vitæ periculo fuisse, utpote qui sponte sua ex culpa propria caput suum periculo objecerit. Proderit tamen in hanc rem legere *§. ultimum Capitis sequentis.*

## §. II.

### Quæ pœnæ duello competant de jure particulari juxta Edicta Principum.

495. JUra particularia & recentiora stat jam conspectui objicere: magis accommodata duello hodierno, nefasto honoris vindici. Habent id leges cum odoramentis commune, ut recentes fragrent magis, necdum vetustate exoletæ. Potissimam eorum partem ex LUNIGIO hausi (b), qui Edicta variorum Principum, ac urbium sedulò pro more suo colligit; aliqua aliunde conquisivi: haud dubiè multa præterea alia extant: at sufficiant hæc ad finem mihi præfixum. Neque tamen repetere jam juvat præclara illa, quibus fœta sunt, sensa & sententias cedro dignas, quas sparsim hucusque, præsertim *Capite secundo* inserui: neque iterum recensere provida studia, queis impedire jurgia, enata sopire in tempore satagunt: item quas vias excogitârint, ut læsus cuique honor reparetur; quin necesse sit armis sibi jus dicere. Satis etiam ibidem explicatum est, qui gerere se debeat, qui fortè se provocatum videt: hæc, inquam, & similia non repetam. Sed pœnas jam vindicantis justitiæ in conspectum dabo, latas à supremis Principibus, ac Magistratibus in provocationem factam, & acceptatam: in duellum commissum sine cæde, vel cum cæde: tum in eos, qui operam suam duello navant. Ordinem autem alphabeticum servabo, ut edictum quodlibet præstò esse possit quærenti.

AUGU-

(a) L. cit. n. 97. (b) Corpus Juris Militar.

Augusta libera Imperii Civitas, Vindeliciæ gemma, Edictum condidit contra duellum An. 1668. intentatis severis pœnis, si quis transgredi fuerit ausus.

Badensis Marchio Ludovicus Wilhelmus, exercitui ad Rhenum præpositus, statuit in Edicto suo militari pœnam mortis in provocantem, & provocatum: &, si videatur, etiam in adjutores An. 1649.

Badeno-Durlacensis Marchio, præterquam, quòd duelli reos, pro rerum adjunctis, capitali pœna affici mandet, iis quoque internuntiis, qui per occultam operam speciem rixæ affingere parant ejusmodi pugnis, simile supplicium intentat. *Edict. Ann.* 1718.

Bavariæ Elector, gloriosæ memoriæ Maximilianus Emmanuel in terras suas ex Belgio redux An. 1701., queritur Edicto publico, quòd contra saluberrima Statuta Majorum suorum, in ipsa sua Regia, rixæ, & duella nimiùm quantùm invalescant, quæ tota, qua polleret authoritate, eliminata vellet. Addidit mandatum amplius An. 1720., in quo repetit primò easdem querelas contra inobedientiam, exhibitam suo mandato Monacensi, & postquam explicavit, qua ratione cujuscunque honori consuli prudenter possit, pœnas, easque capitales decernit in transgredientes: non tamen certas pro certis quibuscunque hac in materia delictis, definit. Id quod quidem sapientissimus Princeps pro sua Bavaria sufficere credidit: alibi tamen terrarum prodesse vix poterunt ejusmodi minæ non satis definitæ, ùt diximus *n.* 480. In eo providè actum, quòd singulis annis copiis militaribus prælegi, & publicè in mansionibus militum affixum prostare voluerit hoc suum mandatum. Bavariæ hodiernus Elector, & verè Pater Maximilianus Josephus, quid utilissimè in hanc rem ediderit elapso Anno MDCCXLIX., alibi indicavimus *num.* 93. 97. 101.

In Belgio etiam aliquoties Edicta fuerunt lata, sunt verba Mauritii *de duell.* §. 83. quibus duellatorum coërceretur furor. Et quidem Philippi II. An. 1589. & plenissimum Alberti, & Isabellæ An. 1610. Idémque repetitum fuit An. 1624., quo provocantes, & in duellum consentientes infamia notantur, Nobilitatis insignibus, ac prærogativa exuuntur, officiis, honoribus, ac muneribus omnibus spoliantur, ac dimidia bonorum pars proscribitur, ac publicatur. Duellatoribus verò si lubitum sit, ut modò in constituto duello loco compareant, ac conspiciantur, ultimo afficiuntur supplicio, bonáque tum omnia Fisco applicantur. Cautum quo-

que

que est Edicto ALBERTI, & ISABELLÆ, se eos, qui provocationi non pareant, in suam fidem & protectionem recepturos, & si quis eis hanc mansuetudinem contumeliosè exprobret, arbitraria in eum pœna esse animadversuros.

BELGII UNITI Gubernator, Princeps Arausicanus ipse quoque An. 1684. provocantes exuit dignitatibus, mulctam imperat juxta cujuslibet opes. Secuto duello, bonis fisco addictis, condemnat ad mortem tam patrinos, quàm ipsos duos pugiles. Secuta morte cadaver destinat patibulo.

BIPONTI elaboratum est Ann. 1721. Edictum à GUSTAVO SAMUELE LEOPOLDO Com. Palat. Rh. Post explicata duelli mala statuitur in provocantes & patrinos, aliósque operam præstantes jactura dignitatum, mulcta & carcer per tres annos, & subtractio mediæ partis proventuum annuorum: in defectu opum condemnantur sexennio ad operas publicas. Eadem est pœna provocati, non denuntiantis provocantem, nisi per injuriam præviam ad provocationem ansam dedisset; tunc enim augetur pœna. Secuto duello cum, sive sine cæde, gladius datur, aut restis. Sepultura conceditur Nobili in loco duelli: aliis apud excoriatorem.

In BRANDEBURGICIS etiam terris sanguinaria hæc Hydra suum Herculem invenit WILHELMUM Electorem, qui An. 1652. gravi eam Edicto afflixit. Secutum est aliud An. 1688. Authore FRIDERICO III., Saxonico admodum simile, nisi quòd aliquantò severitatem acuerit; quia etiam non dato lethali vulnere in commisso duello Nobiles nihilominus ad gladium, ignobiles ad restim condemnantur: & funus etiam viri nobilis carnifici curandum committitur. Quem rigorem iterum mitigavit An. 1713. FRIDERICUS WILHELMUS, statuens pro duello non facta cæde captivitatem duodecim annorum, quorum duo primi pane, & aqua exigendi sint, ademptis tamen honoribus, muniis, & bonis omnibus, quæ adimi possunt. Id enucleatè explicat, quomodo habendi sint ii suorum subditorum, qui, exteris in terris offensi, velut inviti trahuntur ad dimicandum. Hos non habendos esse, ait, pro reis de duello: si tamen sanguinem fuderint, juxta jus commune esse judicandos. *vid. n.* 112. Successit hujus declaratio An. 1717. in qua illud singulare, quòd vulnus tunc censendum sit lethale, si mors secuta sit intra diem nonum, nisi probetur, aliunde mortem venisse. Et denique altera declaratio, data An. 1721. singulare nil habet, nisi quòd reo concedatur defensio, solita aliàs concedi in causa criminali.

Cæterùm hæc mandata, præcipuè illud FRIDERICI III. doctrina saluberrima refertum, dignissimum judico, quod à Principibus, & Magistratibus universis cum attentione legatur, apud LUNIG.

BRANDEBURGICO-BARUTHANUM Edictum An. 1685. imperavit amputari dexteram, vulnere in duello vel mutilatione facta: secuta cæde pœnam mortis præscribit: patrinis, cæterísque hujus furfuris exilium perpetuum.

BRANDEBURGICO-ONOLZBACENSE carceri mandari jubet duellum machinantes: pœnam sibi reservat statuendam An. 1682.

BRUNSWICO-LUNEBURGICUS Elector GEORGIUS LUDOVICUS An. 1706. indignatus, Patris hac de re edita jussa non eo apud multos loco esse, quo deberent, renovavit mandatum, jam promulgatum Annô 1691. pœnam mortis statuit in interfectorem, & in interfectum sepulturam cum asinis. Cúmque postea etiam suo proprio mandato morem non satis geri videret, novo Edicto institit An. 1718., jam creatus Rex Angliæ, damno præcipuè, quod ea furia rei militari inferret, permotum se fassus. Quare provocantem sine secuto duello, ad gregarii militis functionem, & stipendium dejecit per trimestre. Eadem pœna statuta est in provocatum comparentem nullo etiam secuto vulnere. Attendi autem semper mandat ad dissidii authorem, húncque pœna dupla, sive provocans, sive provocatus sit, affici. Si datum vulnus sit, prolongetur tempus pœnæ. Interfectus, si provocaverit, & author jurgii fuerit, sepeliatur loco infami, secus, si talis non fuerit: quicunque autem interfecerit, sine discrimine gladio perimatur. Internuntii, patrini &c. per trimestre redigantur ad fortunam gregariorum. Dum ad præcavendum duellum satisfactio pro injuria danda est, semper respici vult ad authorem jurgii, & providè; sic enim modestiam colere discunt feroces genii, & causæ duellorum evitantur.

BRUNSWICO-GUELPHERBYTANUS Dux An. 1646. totus in eo fuit, ut monomachiam insaniæ convinceret, omníque frivolo obtentui effugium præcluderet. In homicidam pœnam mortis statuit.

In Regno CASTELLÆ, teste MOLINA *de Iustit. tract. 3. disp. 17. n. 5.* provocatus, etsi occiderit antagonistam, non punitur morte, sed perpetuo

tuo tantùm exilio, eo quòd lacessitus accesserit, atque ut honori suo consuleret.

COLONIENSE Edictum JOSEPHI CLEMENTIS Electoris, & Archiepiscopi notatu dignum est, & multo cum zelo excusum An. 1704. ubi primò læso non quærenti præsidium apud judices, sed provocanti ad pugnam negatur posthac omnis satisfactio, aliúdve juris remedium: tum addicitur per biennium carceri, triennio suspendendus ab exercendis suis muneribus, & proventu omni cariturus: ita ut pœna etiam exasperanda sit, si æquum locorum Magistratibus, ac Præfectis visum fuerit. Iisdem pœnis subjicitur, qui vocatus comparet in arena, vel acceptat solùm provocationem ad se missam. Quòd si quis præfectum suum militarem, postposita, quam debet, reverentia, provocare ausit, quadriennium duret pœna antè recensita, sustinenda ab ipso etiam præfecto, si invitanti sibi subdito pareat comparendo, vel condicendo. Ad sexennium eæ pœnæ extenduntur in eos, qui in pœnam loco suo moti sibi substitutis molestias ausi fuerint facessere evocando ad pugnam. Operam suam enarratis omnibus commodantes iisdem pœnis subjiciuntur. Si ad pugnam deveniatur, utut sine vulnere etiam hæc abiret, pugil uterque morte mulctatur, bonis fisco addictis, & applicandis partim Xenodochiis, partim reorum uxoribus, & liberis. Occiso uno cadaver arcetur sepultura Ecclesiastica, homicida traditur carnifici. Additur denique pœna infamis in omnes, contra hoc mandatum peccantes, neque patrinis, aliísve similibus exceptis, dum Nobilitatis prærogativis exui, omnium officiorum incapaces haberi, insignia eorum aboleri, frangíque carnificis manu jubentur, nulli posterorum posthac servitura. Cavet denique, ne subditorum quisquam alibi hoc crimen impunè patret; secus nihilominus citandus ad judicium, in quo contra non comparentem ùt contumacem ferenda erit sententia, juxta regulas hactenus firmatas.

Ex Electoratu COLONIENSI Edictum recentius accepimus à Serenissimo CLEMENTE AUGUSTO octo abhinc annis promulgatum, quem tragicus in aula sua casus ad nova contra duellum cudenda fulmina permovit. In eo post suggesta studia varia, quibus præpediri duellum posse alibi diximus (a), pœnas decernit à priore edicto parum absimiles, quibus evitandis



(a) Cap. 2. art. 1. §. 4. 5.

tandis nulla præscriptio, etiam triginta annorum, sufficiat. Si quid in suo Edicto non expressum contingat, judicem jubet statuere juxta ***paritatem rationis***, de reliquo agere secundùm leges civiles ac militares, aliàs usu receptas. In fine pœnam, in provocantes statutam, sapientissimè extensam vult in eos, qui maledicè carpere suum Edictum ausi fuerint.

Daniæ Rex Christianus v. Edicto suo, quod An. 1688. pro finibus præcipuè Pinnebergensibus, & vicinia civitatis Hamburgensis (ùt quidem verba sonant) edidit, minitatur præcipuè locorum præfectis alisque, qui vel capere reos negligunt, vel fugam eorum promovent, pœnas in bonis fortunæ, famæ, & corporis, quales ipsi pugiles deberent ferre.

Galliæ Mareschalli jussu Regis Edictum in lucem dedere An. 1653. ubi non tam de modo puniendi, quàm impediendi duellum laborârunt, declarando scilicet, qua ratione honor mutilatus cuique redintegrari posset per authoritatem publicam, & castigari deberet vindicta privata. Declaratio hujus mandati prodiit iisdem authoribus An. 1679.

Galliæ Regis Ludovici xiv. Edictum celebratissimum scatet fulminibus, vibratis in monomachos. Provocanti negatur omnis satisfactio pro accepto probro, biennali adscribitur custodiæ, & mulctatur media parte annui proventûs, applicanda Xenodochio proximo : præterea ab omni officio suspensus, & triennio fructibus inde percipiendis privatus esto. Eandem animadversionem sentiant, qui provocationem acceptant, venientes ad arenam, & aggressionem quamdam tentantes. Datur Magistratibus licentia ejusmodi pœnas augendi pro ratione delicti. Quòd si provocare quis ausit præpositos sibi, & pugnam alteri intentare ob tricas ortas ex subjectione, quam dicasterium aut unum officium alteri debet, duplicata sit pœna ad quadriennium provocantis, & provocati parere volentis, séque ad pugnam accingentis. Ad sexennium prorogatur contra eos, qui loco suo moti successoribus suis molestias facessunt : vel qui secunda vice provocationem dant; aut acceptant. Secuto duello, etsi sine cæde, & vulnere, uterque pugil ad ferale supplicium condemnatur. Mobilia bona, & immobilia transcribuntur fisco regio, unde tamen portio quædam in sustentationem relictarum prolium, & triens in Xenodochium impendenda sit. In provinciis autem, ubi fisco transcribi bona non solent ex consuetudine, media bonorum pars in mulctam cedit. Unde fiscus, &

Xeno-

Xenodochiorum curatores invigilare jubentur his spoliis, actione eis per viginti annos competente. Secuta cæde negatur sepultura Ecclesiastica, interfector damnatur capitis: bona omnia utriusque fisco cedunt.

Qui secundis & tertiis utuntur, secuta pugna, etsi innoxia, præter vitam, & bona, etiam insignia Nobilitatis perdunt, ita, ut eorum liberi alia teneantur sibi eligere. Sunt autem hi *Tertii*, & *Secundi* non testes, & patrini qualescunque, sed tales, qui etiam ipsi pugnæ aleam subeunt. Denique qui libellos provocatorios deferunt, vel pugiles ad arenam comitantur *e.g.* Famuli, prima vice fustigationem ferant, & infame inustum stigma. Repetito delicto mittendi sunt ad triremes. Ne verò inani obtentu extemporaneæ rixæ crimen pallietur, observanda erunt monita, alibi recensita. *vid. N.* 20. Institit huic mandato suo immoto animo Ludovicus, donec an. 1711. articulum illius decimum tertium nova declaratione illustravit. Concesserat antea partem quamdam bonorum, fisco addictorum, impendi pro reorum liberis ac familia alendis: sed etiam hoc negat in præsenti, ut feroces homines propriæ salutis oblitos, suorum saltem miseratio tangeret, & pietas erga charam familiam, redigendam ad inopiam, à dimicatione absterreret. In provinciis autem, ubi bona fisco non solent cedere, mulctam solvendam à reis, ad duas tertias bonorum extendit, ut scirent monomachi, parum omnino remanere pro alimentis charæ sobolis. De æquitate hujus legis *vid. n.* 498.

Galliæ Rex Ludovicus XV. gloriosissimè hodie regnans Declarationem, & confirmationem prioris Edicti dedit an. 1723. De cujus, & Magni Proavi laudibus *vid. n.* 486.

Hamburgensis Magistratus exilium interminatur reis de duello commisso, sed non fatali, spectatoribus, vel rhedas, aut equos commodantibus, quin & chirurgis non denuntiantibus, quorum curant vulnera, pœnas alias parat An. 1699. Renov. An. 1720.

Hanoviensis Comes Fridericus Casimirus provocantem, & condicentem eiici mandat ex legione, aula, dicasterio cum ignominia an. 1682.

Hassiæ Landgravius Carolus Edictum promulgavit An. 1684. non equidem ab aliis, præcipuè à Würtembergensi multùm diversum: lectu tamen dignissimum.

Hasso-Darmstadianus Landgravius suo præter alia inseruit, ne vulnerato resarciantur expensæ, factæ in medicamenta An. 1715.

Hispanis quoque Reges Catholici Ferdinandus, & Elisabeth An. 1480. omnino duella prohibuerunt, adjunctis pœnis pugnantibus, & mediatoribus pugnæ ac patrinis; ut incurrant notam proditorum, & bonorum amissione fisco applicandorum puniantur, & ut provocans, si adversarium occiderit, seu vulneraverit, capitali supplicio afficiatur. Gonzalez *ad Cap. II. de cler. pugn. in duell.*

Jenæ Senatus Academicus duellis Academicorum præpediendis multo cum consilio statutum condidit in hunc finem perquam opportunum Anno primùm quadragesimo nono hujus Sæculi.

Imperii Conventus Conclusum in hac materia edidit an. 1667. in quo, postquam amplè explicatum est, quid circa injurias sit observandum, quomodo diffidia vel supprimenda sint in tempore, vel illata probra punienda, multáque patheticè contra duellum dicta fuêre, statuitur in provocantem, etiam non secutâ pugnâ, & multo magis eâ secutâ, exuendum eum esse suis muniis & dignitatibus: quin, si ita visum fuerit, etiam exilio, ac morte puniendum. Simili pœna afficiendos pronuntiat provocatum si compareat, patrinos, deferentes libellum provocatorium, irridentes nolentem comparere, vel alia ratione operam conferentes. Cæde patrata tam provocatus, quàm provocans, quicunque cædem admiserit, condemnatur ad gladium, nulla habita ratione nobilitatis, status, cognationis. Occisum prohibet in communi cæmeterio tumulari. Quòd si reus in terras Principi suo non subjectas, intra fines tamen Germaniæ adhucdum sitas, aufugiat, jubetur reddi exigenti Domino, cui subest: vel si extra Germaniam abijsset, pati in effigie, quidquid pati potest. Probavit magnopere Ordinum studia Leopoldus Imperator, resolutione, ùt vocant, data An. 1668. Ordines Imperii institêre an. 1680. ut ea resolutio Cæsarea Edicto promulgaretur. Quam petitionem ratam habuit anno sequente Augustissimus.

Imperator Ferdinandus III. An. 1651. mandatum in Silesiam misit, quo pænam mortis decernit in provocantem, & provocatum, ita ut præter ipsum Imperatorem nemini Præfectorum liceat mitigare pœnam.

Imperator Leopoldus insigne in hanc rem mandatum vulgavit An. 1682., in quo primò facit mentionem de edicto quodam Ferdinandi Patris edito An. 1637. tum de suo proprio dato An. 1666. dein ad mortem

condem-

condemnat provocantem, & provocatum, etsi sine testibus pugnâssent, aut sine vulnere, aut etiam extra fines suarum provinciarum, & una cum iis patrinos, secundos, adjutores. Fugitivorum bona addicit fisco servatis tamen alimentis pro uxore & liberis, & jure hæredum post mortem rei. Quòdsi bona fugitivus non possideat, citatus & non comparens in effigie numellis publicis exposita, sententiam subeat. Ob solam provocationem factam, & acceptatam, non secutâ pugnâ statuitur relegatio ex patria, vel aula, jactura dignitatum, decennalis custodia, mulcta pecuniaria, aliáque similia. Quoad formam Judicii præscribitur, ut absque ambagibus trahantur ad pœnam, si sceleris convicti fuerint, vel illud ipsimet confessi. Secus interdicto processu ordinario, non nisi *summarissimè* procedendum, sine solemnitatibus juris, nec levato velo. Demum Magistratibus omnibus adimitur facultas mitigandi pœnam, addito, ut sententiam ad ipsam Cæsaream Majestatem, antequam publicetur, mittere non omittant. Alia hoc Edicto contenta alibi enarravimus. *Ex Tabulario Viennensis Consilii Bellici.*

Imperatrix Eleonora Vidua, Caroli VI. Mater Augusta p. r. Gubernatrix provinciarum hæreditariarum Edictum Leopoldi, primò recensitum, confirmavit ex toto Anno 1712. *Ex eodem Tabulario.*

Imperatrix Maria Theresia, Regina Hungariæ, & Bohemiæ, hodierni ævi admiratio, dum nuper Articulos bellicos, à Leopoldo I. conditos, confirmavit, inter alia duellum sub pœna capitis prohibere non dubitavit, severa etiam pœna in patrinos decreta. *Ex eod. Tabul.*

Lotharingiæ Dux Leopoldus An. 1699. admodum laboravit Edicto suo saniora persuadere duelli sectatoribus. Provocantibus, provocationem denuntiantibus, acceptantibus, pugnæ assistentibus triennalis custodia præter jacturam dignitatum decernitur. Qui ex famulitio operam commodant, si egressi fuerint quindecim ætatis annos, sentiant fustigationem, & inurendum stigma; minoris ætatis pueri fustuarium in carcere. Si sequatur duellum, certantibus pœna mortis, & jactura bonorum indicitur applicandorum ærario Principis.

Lubecensis senatus severè prohibet in mandato, renovato An. 1720., ne quis currum, aut equum commodet fugam adornanti post duellum. Quòdsi etiam extra ditionem Lubecensem commissum id fuerit, modò

dò ſit decretum intrà, pœnam feret eandem ac aliud, mortis ſcilicet, ſaltem ſi fuerit patrata cædes.

Lusitanarum ordinationum *lib.* 5. *tit.* 93. exui jubentur bonis omnibus, additis pœnis aliis, quicunque ad duellum provocaverint, & qui laceſſiti id acceptaverint, quin & patrini. Molin. *tract.* 3. *diſp.* 17. *num.* 5.

Megalopolitanus Dux Carolus Leopoldus anno 1715. curam ſuam amplo hac ſuper re Edicto demonſtravit, in quo condemnavit provocantem, non ſecuto duello, ad annuum carcerem, jacturam dignitatum. Duplam dictat pœnam, ſi quis præfectum ſuum provocat ob offenſam, quam ſibi illatam olim ab eo fuiſſe putat tempore ſubjectionis. Tum de provocante aufugiente, vel diſſidia domi orta, alibi gentium gladio volentibus decidere ferme eadem ſtatuit, quæ legere eſt in Edicto Saxonico Electorali. Nec multum abludit in decernendis pœnis ſecuto duello. Familiæ fugitivi relinquit bonorum dimidium ea lege, ut illa præſtito jurejurando ſpondeat, nihil ſe opis miſſuram abſenti. Internuntios, aliósque plectit, ùt ipſos pugiles: mitior nonnihil eſt in famulos reorum: ſeverus in cuſtodes, fugæ locum relinquentes.

Monasteriensis Epiſcopus Ferdinandus milites præcipuè cohibere ſtuduit à duello, dum affigi, & promulgari ubique edictum ſuum mandavit An. 1682.

Neapolitano in Regno adeſt Pragmatica Sanctio, incipiens: *Novis occurrentibus malis*, ſtatuens pœnam mortis naturalis, ipſo jure incurrendam non ſolùm per ipſos principales, audentes provocare alios ad duellum, etiamſi nullum duellum ſequeretur: ſed etiam per nuntios, intermedios, & aſſiſtentes ſimilibus pugnis, & duellis. Excipiuntur verò duo caſus, in quibus dicta pœna minoratur. Super hac pragmatica extant commentaria Follerii, & Francisci Scaglioni. *Ita* Quarantæ *verba ſonant in ſumm. Bullar. verbo Duellum.*

Palatini Electoris Joannis Wilhelmi inſignem æquitatem legere eſt in Edicto, elaborato non mediocri ſtudio Ann. 1692. Cùm in plerisque, præcipuè in rigore pœnarum, ſimillimum ſit Brandeburgico Anno 1688., ſuprà in ſynopſi exhibito, pluribus commendare ſuperſedeo.

Palatinum Sulzbacense quoque huc referri debet, editum à Theodoro C. P. R. an. 1721. paucis complectens multa.

Sabaudis suis Dux Carolus Emmanuel I. An. 1660. pœnam mortis indixit, monomachis ferendam, bonis fisco adjudicatis. Eodem fato involvi voluit patrinos, assistentes, vel provocationem nuntiantes. Aliud Edictum sequente anno datum fuit à Carolo Emmanuele II. Duce, ubi juramentum à Nobilitate, aliísque, qui jure gestandi gladium gaudent, deponendum proponitur, de quo nos egimus N. 482. Accessit declaratio An. 1662. Denique in Constitutionibus editis An. 1723. à Rege Sardo, & Sabaudiæ Duce. *L.* 4. *C.* 2. Duellum dicitur prohiberi sub pœna mortis, etiam commissum extra ditionem, etiam cæde non secuta. Bona devolvuntur ad fiscum.

Saxoniam suam Fridericus Augustus, Rex Poloniæ, Saxoniæ Elector, præclaro Edicto contra duella firmavit an. 1706., quod solidissimâ undique doctrinâ respersum, non solùm id agit, ut duella præpediat, illatas injurias publica authoritate puniendô, sed & in privatos vindices æquali rigore animadvertit. Provocanti, etiam non secuto Duello, omnem negat pro injuria, si quam passus sit, satisfactionem in judicio, dignitatibus exuit, per annum, cujus semestre in pane, & aqua transigendum, custodiæ mandat: quòdsi reus dignitatibus careat, proventuum suorum parte dimidia per triennium privat: carentem etiam proventibus ad operas condemnat per integrum quadriennium.

Has pœnas adauget iis, qui eum, sub cujus olim potestate erant, provocant ob tricas, tempore subjectionis exortas. Quòdsi facta provocatione se subducat, citatus, nec comparens decennio integro jubetur exulare, nomine ad patibulum affixo: statutam nihilominus pœnam recepturus pòst, ubi fors in casses inciderit. Si verò provocans nostræ, ait, potestati non subsit, subdito nostro provocato opem feremus, requirendo, & implorando justitiam potentiæ exteræ, ad quam provocans spectat; hæc si audire nos nolit, reus per vicinas tres provincias proclamabitur *edictaliter*, & venire recusantis nomen in patibulo pendebit. Idem eveniet, ubi ejus fortè patria ignoretur. Tum ad provocatum conversus legislator æquissimus semestri custodiæ eum mancipat, si provocationem sibi factam judici non denuntiet. Vel si quis ortum in Saxoniæ terris dis-

 sidium

ſidium alibi armis finire tentet, punietur, ac ſi domi id tentaret. Vel ſi Saxonum quis alibi conflixerit, Magiſtratui ejus loci requirenti tradetur.

Quòdſi duellum ipſum ſequatur, quamvis absque cæde, Nobiles, vel eis pares, duodenni cuſtodiæ traditi, dimidio proventuum ſuorum quamdiu vixerint, careant: ad operas publicas amandantur ignobiles. Cùm ex vulnere in duello accepto, deceſſerit Nobilis, ſepeliatur prope cœmeterium eo loco, quo ſepeliri ſolent capite plexi: ignobilis à carnifice ſuſpendatur ex patibulo. Qui occidit, Nobilis ſi ſit, vel aliàs nobilium privilegiis gaudeat, fractô gladiô, capite erit plectendus, data ſepultura priore: ignobilis, abſciſſa per carnificem dextra ad reſtim damnatur; media opum parte cedente fiſco. Qui aufugit, ſi citatus non compareat, in effigie, quod meritus eſt, ſuſtinet. Dimidium bonorum relinquitur liberis ejus, jurejurando tamen adſtringendis, ne quid opis mittant fugitivo Patri: Uxoribus, fratribus, ac ſororibus fiſcus nil auferat. Qui latibulum præbent reo, vel fugam promovent, ſubjacent ſuprà ſtatutis in provocantem, non ſecuta pugna. Item qui concitant animos ad diſcordiam, vel qui patrinos agunt, aut libellos provocatorios deferunt. Famuli, qui interſunt duello, vel arma, equos &c. ad arenam afferunt, per duos, trésve annos ad operas publicas condemnantur. Qui otioſos ſpectatores duelli agunt, neque impediunt, neque denuntiant Magiſtratui gliſcens incendium, trimeſtri captivitate, non niſi pane & frigida refocillandi, caſtigantur.

Idem æquiſſimus Rex declarationem addidit An. 1712. ubi ſingulare eſt, quòd, ſi in primo æſtu, poſt acceptam ſtatim offenſam, quis provocaverit ipſus, non mittendo alium (ſecus enim primus æſtus dici ægrè poſſet) ab officio ſit ſuſpendendus, ſalario per biennium privandus, & per annum cuſtodiæ dandus, hanc per biennium toleraturus, ſi muniis careat, quibus ſpolietur. De Academicis ait, ſi facta criminalia commiſerint, hoc in genere, ab eo eſſe judicandos, quibus aliàs hoc genus judiciorum criminalium competit. Si conflixerint duello, vel rixa, eadem cum aliis pœna afficiantur: ſi non devenerint ad ipſum conflictum, dimidium pœnæ ferant. Leviores injuriæ ad Magiſtratum Academicum de more pertineant. Si extra Academiam cum militibus inciderint in jur-

gium,

gium, judicium mixtum formari imperat ex Magistratu loci, & Præfecto militari, ibi præsente.

SAXO-GOTHAICUM concinnatum operâ clarissimi FRANTZKII, ùt existimat MAURITIUS, mira cum energia stolidum duelli furorem adeò persequitur, ùt nemo ex sacra Cathedra Orator solidiùs, & facundiùs ad principia veræ probitatis perorare posset. Inter alia demonstrat, æquum omnino esse, ut, cùm provocans, etsi injuria irritatus, ob patratam cædem morte puniatur, simili pœna etiam provocatus puniatur, præsertim dum injuria illata causam conflictui dedit.

Ex eadem Provincia edictum aliud in lucem prodiit sub FRIDERICO Duce An. 1709, pœnas statuens easdem, quas in Saxonico Electorali vidimus. Duplicari tamen eas præcipit in iis, qui à præpositis suis duellum exigunt ob molestiam, quam tempore subjectionis passos se fuisse credunt. Hoc mandatum ad mentem totius Serenissimæ Lineæ Ernestinæ confectum esse asseritur ibidem. Neque contra hâs pœnas, aut actionem criminalem præscribi triginta annorum spatio, ita, ut, si tunc primùm reus resciatur, vel in manus justitiæ incidat, pœnis omnibus statutis locus adhuc sit.

SAXO-EISENACENSE, HILDBURGHUSIANUM, & WEINMARIENSE ab hoc edicto normam accepisse videntur: certè eodem cum illo anno aspexêre lucem.

SUECICUM Regis CAROLI XI. An. 1682. inter alia declarat, pugnantem aliena in ditione impunè à quovis posse occidi, quoad vixerit. Si sine cæde conflictus abeat, auferuntur dignitates, exigitur mulcta duorum millium Imperialium, & biennalis carcer assignatur pugnantibus æquè, ac Patrinis.

WÜRTEMBERGENSIS DUX EBERHARDUS LUDOVICUS. An. 1714. duo peculiariter capita notanter explicavit. Primum concernit Ephebos, aliósque juvenes nobiles, quibus, si ob immaturam ætatem in duellum incidêre, mitiorem aliquantum pœnam statuit: Academiæ autem candidatos omni rigore plecti mandat, & relegari. Secundò: Siqui subditorum suorum alienis in terris duellum apud Magistratum loci luerent mitiùs, servat redituris in patriam pœnas, à se statutas. Quòdsi quis suorum in au-

la extera, vel apud exercitum alterius nationis læsum honorem armis vindicaret, edicti sui pœnis non sit obnoxius, sed iis, quæ in loco delicti statutæ sunt in duellum, si quidem domum revocare non vacat ejusmodi reum. Quòdsi quis in patria Würtembergensi offensus ab alio, qui alienæ potestati subjacet *e. g.* legationis causa, de obtinenda satisfactione desperans privatam vindictam sumeret, non ad decempedam hujus edicti, sed ex æquo, & bono puniendus dicitur.

Ulmensis denique Respublica suam quoque symbolam contulit ad abolendum, vel coërcendum saltem duellorum usum An. 1709.

Ex tot saluberrimis Edictis patet, quanto studio jam à quinquaginta & ampliùs annis pro compescenda effræni monomachorum licentia laboraverint Principes, atque Magistratus, quibus cura salutis publicæ cordi est. Unde etiam id assecuti sunt, ut si non sublatæ penitus, minùs tamen frequentes hodie sint ejusmodi pugnæ, ac fuerint olim, minuendæ semper magis, si Decretis suis constanter inhærere pergant.

## §. III.

### An pœnæ, his Edictis contentæ, non sint justo graviores, vel omnino inutiles, aut minùs necessariæ?

496. *Præmisso fundamento,*
497. *Statuitur pœnas illas esse justas* ex fine:
498. *Etiam habere justam* mensuram *patrata cæde, vel commisso sine cæde duello,*
499. *Quin etiam facta sola provocatione.*
500. *Multo minùs sunt eæ leges inutiles,*
501. *Aut non necessariæ.*

496. De pœna capitali potissimùm oriri posset cuiquam dubium, statuta in duellum non solùm secuta cæde, sed etiam juxta complura Edicta non secuta cæde: quin etiam facta sola provocatione. de hac, inquam, dubitari posset, an non justi leges excedat. Ajo, in *Civitate bene ordinata*, in qua scilicet læsus honor remediis melioribus resarciri, & injuria vindicari authoritate publica potest, & solet, eam pœnam nimiæ severitatis damnari non posse, quamvis in secundo, præcipuè autem in tertio casu de jure communi mitiùs habeantur rei. Atque ut ordine progrediamur,

diamur, præmittendum est de pœnis in genere, quis earum sit *finis*, quæ *mensura*.

Propositum sibi prudentem *finem* quivis Magistratus habere debet, dum pœnas exigit; etsi enim de se iniquum non sit, ut malum is patiatur, qui malum fecit: non rectè tamen pœnas exigimus, nisi aliqua inde resultet utilitas. Genuinus autem pœnarum finis est præcautio læsionum, ait PUFENDORF (a), quæ provenit, si vel in melius emendetur, qui peccavit, vel ita coërceatur, ut non possit deinceps peccare: vel alii ejus exemplo permoveantur, ne peccare velint. Huic triplici fini quartus rectè adjungitur, authore P. SCHMIER (b), & ejus quidem judicio primarius, ut nempe satisfiat Reipublicæ, quæ & ipsa per legis transgressionem violatur, ut malum exemplum, scelere datum, resarciatur, simúlque vindictæ privatæ usus, utpote tantorum malorum scaturigo, excludatur. In quem sensum Cicero ait: *Omnis animadversio, & castigatio contumelia carere debet, neque ad ejus, qui punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad Reipublicæ utilitatem referri* (c).

De *mensura*, ita egregiè differit PUFENDORFIUS (d): " Arbitror
" non dari in foro civili justitiam aliquam vindicativam, quæ certis delictis certam pœnæ mensuram, per *naturam* definitam, utique infligi jubeat, sed veram pœnarum humanarum mensuram esse utilitatem Reipublicæ, & prout fines pœnarum commodissimè videntur proventuri, ita eas per summum imperium intendi, vel remitti: ita tamen, ut insignis circa easdem latitudo occurrat. Igitur justo major illa pœna erit, ubi fines pœnarum molliori via obtineri poterant: justo mitior, cui non satis acrimoniæ, & efficaciæ inest ad producendos eosdem fines; adeoque ad reprimendam civium malitiam, atque internam civitatis securitatem procurandam, seu quæ à delinquentibus contemnitur. In illam partem ubi Legislator peccaverit, à crudelitatis nota non est immunis; in hanc ubi inclinaverit, pœnas reddit inutiles, ac vitiis liberum campum aperit. Cùm enim comminatio pœnarum voluntatem hominis à libidine peccandi ad normam legis flectere debeat, & verò ho-

 mines

(a) J. N. G. L. 8. c. 3. §. 9. (b). Jur. Univ. L. 3. c. 2. n. 85. (c) L. 1. de offic.
(d) J. N. G. L. 8. c. 3. § 24.

mines in deliberationibus commoda, & incommoda, ex eadem re provenientia, velut in bilance ſoleant expendere, facilè liquet, ubi commoda, aut oblectamenta, ex aliquo vitio provenientia, damno & dolori, per pœnam conciliando, præponderant, haud quidquam animum hominis ſatis validè à vitiis averti. „ His ita ſtatutis

497. Colligitur primò, Magiſtratus & Principes in ſtatuendis contra Duellum gravibus quibusdam pœnis prudentiſſimos *fines*, habuiſſe præ oculis; etſi enim morte punitus ea pœna jam emendari ampliùs nequeat: alii tamen, ne Duellum committant, abſterrentur, & ſic Reipublicæ conſulitur; eſt enim duellorum licentia ejusmodi malum, quod totis viribus oportet ex republica eliminare, eſt reipublicæ noxium, chriſtianæ legi contrarium, injurioſum Deo, & Magiſtratui, eſt lex tyrannica, fortitudo ſpuria, barbarica inſania, & quidquid horridum dici, vel cogitari poteſt, ùt fusè *Cap. II.* demonſtravimus. Huic furori ſi repagulum non objiceretur per leges aliquantum ſeveras, inundaret provincias cum incredibili plurimorum damno.

498. Colligitur ſecundò, quòd etiam *menſuram* non poſſint dici exceſſiſſe legislatores §. *præcedente* cum laude recenſiti. Dum enim 1mò *ſecuta cæde* interfectori mortem minantur, id agunt, quod de ipſo jure communi æquum eſſe ſuprà *à N.* 490. oſtendimus, ſive provocans is ſit, ſive provocatus. Dum 2dò ſupplicium capitale extendunt etiam in duellum *non ſecuta cæde, aut gravi vulneratione*, ùt videre eſt in edicto Lotharingico, Arauſicano, Sabaudico, Gallico, Baruthano, Leopoldino, Bipontino, Palatino, Brandeburgico, Colonienſi, Baadenſi, & *ſi ita viſum fuerit*, etiam in Concluſo Imperiali, non poſſunt dici juſto ſeveriores; ita enim debent exaſperari pœnæ, ut finis pœnarum obtineatur. Jam verò pro ſua prudentia hi Principes perſpexêre, mitiore pœna fruſtra ſe contra duellum fore pugnaturos, neque ſatis eâ fore abſterrendos ſubditos ſuos, quorum mores & genium perſpectos utique habuerint. Hinc ſtatutis antiquis nova & acriora addere conſultum duxêre, & neceſſarium, ſecus utique pro ſua humanitate id non facturi. Certè in ſuis Edictis ſæpius audiuntur conqueri de effræni ea rabie eludente conditas antea leges, & nequidquam infringente Majorum mandata. Unde Ludovicus Magnus in declaratione, ſuo mandato poſt tempus addita, bonis omnibus reum exuit,

nulla

nulla parte relicta ejus familiæ, ut suorum saltem miseratione tactus Duello abstineret. Jam verò illa solùm pœna justo gravior est, *ubi finis pœnarum molliore via obtineri poterat*. Non poterat autem apud has gentes, in his provinciis.

Si alibi mitior pœna suffecit, vel quia duellorum usus necdum adeò invaluerat, vel quia mollior nationis genius non adeò in iras erat promptus, vel quia metus minoris mali sufficienter continebat animos, vel quia ad parendum honestate magis, quàm metu trahebantur, ex æquo mitior quoque pœna in eos statui potuit, qui pugnâssent non secuta cæde.

Neque quisquam hoc loco illud LUDOVICI Magni statutum iniquitatis arguat, utpote punientis innocentes liberos, & uxorem, ad egestatem redigendos ablatis bonis Patris; nam notandum probè est, hanc non esse pœnam pro liberis statutam, sed pro patre: quòd damnum etiam in liberos resultet, pater in causa est, Princeps liberis injuriam non facit; nam ad bona Patris liberi in ea tantùm hypothesi jus strictum consequuntur, ubi post mortem patris in ipsius patrimonio adhucdum extant, id quod in casu, quo bona post delictum ad fiscum devolvuntur, non contingit, ait P. SCHMIER (a). Unde liberi ob perduellionem patris usque ad secundam generationem non solùm à bonis paternis, sed etiam ab honoribus repelli legimus. (b)

499. Si denique Sanctio pragmatica Regni Neapolitani, relata ex QUARANTA, mortis pœnam statuit in provocantes, etiam non secutâ, sed aliunde impeditâ pugnâ, crediderim ego, necessarium ibi fuisse tam acre remedium malo nimiùm quantùm excrescenti. Delicto non ex natura sua respondet certa pœna, sed attendendum, quomodo finis commodissimè valeat obtineri, & consuli saluti civium. Unde *per prudentiam summi Imperii debet intendi, vel remitti, ita tamen, ut insignis circa easdem latitudo occurrat*. Ita sonat doctrina superiùs adoptata.

500. Neque opponas imò stantibus his legibus, pœnisque nihilominus committi Duellum; nam Respond. longè plura forent committenda,

(a) L. 3. Jur. univ. c. 2. n. 93. (b) Cod. ad L. Jul. Majest.

da, si leges & pœnæ abessent. Dein committuntur tamen : sed cur? quia scilicet nonnulli Magistratus, aut Principes neglectis legibus, malunt indulgere, quàm punire. Omnia nunquam evitabuntur; quis enim ulla de lege perfectissimam sibi obedientiam promittat? at ibi rariora erunt, ubi severiores erunt Magistratus.

Demum etsi metus pœnarum non absterreat multos à duello post palmarem injuriam, absterret tamen ab injuria facienda, eáque nimis impatienter excipienda. Modestiam colere discunt viri militares, ac Nobiles, ut minùs offendant, ac magìs dissimulent; sic *indirectè*, ùt loquimur, per intentatas graves pœnas impediuntur duella.

501. Neque opponas 2dò. postquam duelli furor satis, hac ætate edomitus est, rariórque illius usus, opus jam non esse pœnis, tam acribus, indulgentiùs posse haberi reos; duella enim infrequentia parum mali afferre reipublicæ, neque cladem causare inter viros egregios. Respondeo, neutiquam hæc consultò inferri; si enim per severas leges edomitum fuit scelus, & vinculis constrictus furor, his ipsis contineri debet, ne resurgat: *per quæ fit, per eadem & conservatur.* Non satis fuit Herculi ense præcidisse Hydræ capita, facem admovit, ne succrescerent. Unde supremæ potestati, penes quemcunque ea resideat, debet esse quàm commendatissimum, leges & pœnas in suo rigore conservare.

Multo minùs huc quadrat illud Senecæ (a): *Non minùs Principi turpia sunt multa supplicia, quàm medico funera;* nam repono illud Lipsii (b): *si crebra nimiùm aut pertinacia sint vitia, tum sanè illud valet : crudelem medicum intemperans æger facit.* At hæc de Civitate bene ordinata dicta sunto.

§. IV.

(a) L. 1. de Clem. c. 24. (b) Civil. doctr. L. 4. c. 9.

## §. IV.

### Num pœnæ illæ etiam in civitate malè ordinata infligi possint?

502. *Quæstio explicatur per casum.*
503. *Deciditur, pœnam non potuisse infligi.*
504. *Respondetur ad argumenta contraria.*

502. QUòd si alicubi authoritas publica suo desit officio, id est, si illatam honori maculam eluere nolit, vel nesciat, ita ut privata vi suum sibi jus vindicare necesse habeat læsus, quæstio oritur, num commisso duello nihilominus scriptas olim pœnas infligere delinquenti Magistratus vel Princeps possit?

Fingamus casum. In aula sua Gnathonem quemdam nutriverat Princeps, hominum genus ùt plurimùm inutile, & petulans. Hic viro militari, ac nobili temere calumniam impegerat, quam cùm is dissimulare non facilè posset, nec apud Principem æquas aures inveniret contra Gnathonem, neque antequam purgaretur, in legione sua ultrà toleraretur, fortunarum suarum, atque dignitatis exinde certum, & triste facturus naufragium, convitiatorem suum operiri statuit spatiantem per campos, ibíque coram accitis testibus ad petendam veniam exerto gladio adigere. Juvenis pudore ductus, arma armis in iis angustiis opponere maluit, quàm revocare dicta. Sed dum pugnat, vulnus accipit, ex quo paulò pòst obiit, multùm dolente Principe, & vindictam spirante contra interfectorem, quem captum curat damnari capitis: quam tamen sententiam in perpetuum carcerem commutavit.

503. Sed meo quidem judicio, sententia iniqua fuit, & pœna nimia. Curactionem injuriæ, quam læsus parabat, non admisit Princeps monitus, rogatúsque? cur non asseruit læso dignitatem militarem, &, quæ inde dependebat, necessariam ad vitam honestè ducendam sustentationem? cur Gnathonem suum non jussit offensæ petere veniam? Lethale vulnus quòd dederit vir bonus, ipsus, qui dedit, doluit, metiri ictus, & in potestate habere non valuit calente pugna: gratulaturus sibi fuerat, si minore impendio suum sibi honorem, opésque servare licuisset. Viderint ergo

lenes illi Magiſtratus, qui duella non ſtudent impedire in tempore, in quas anguſtias ſemet redigant; vel enim commiſſa poſtea duella, cædésque inultas debent relinquere, vel injuſtè punire: utrum pejus ſit, non facilè dixerim.

504. Oppones fortè, qualiſcunque Principis hujus culpa, & negligentia præceſſerit, commiſſa tamen cæde rectè morti adjudicatum fuiſſe homicidam, juxta Divinum mandatum: *quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus eſt homo* (a). Reſp. in eos hanc ſententiam eſſe latam, qui gravi cum noxa, & contra conſcientiam vitam eripiunt. In præſenti caſu ejusmodi gravis peccati non auſim condemnare interfectorem: ſi velim inhærere doctrinæ alibi à me defenſæ *Cap. IV.* De hac lege veteris teſtamenti recurret ſermo.

Oppones denuo: Vir hic militaris non potuit defendendæ dignitatis, & opum causâ conflictum hunc ſuſcipere; prævidere enim potuit, ſtrato Gnathone ab irato Principe extrema ſibi fore timenda; quòd ſi autem ipſemet eſſet ſuccubiturus, cum vita utique ſe omnia perditurum. Reſp. Credere potuit, Principem utcunque iratum, acerbius nil in ſe ſtatuere poſſe, ſalvo honore proprio, quàm exilium: quo non obſtante exuli alibi terrarum licuiſſet fortunam ſectari, & militiam, id quod non licuiſſet, ſi neque authoritate publica, neque privata à probro purgatus abiiſſet.

## ARTICULUS III.

### *An unquam Magiſtratus permittere Duellum poſſit, vel commiſſo veniam dare, ſeu aggratiare?*

ECcur non poſſit? cogitabit non nemo; *qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare*: quid quòd hæc permiſſio hodie vel neceſſaria, vel certè utilis videatur. Ergo *permittere* Duellum poterit. Dein,

*Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat*
*Jupiter, exiguo tempore inermis erit.*

Ergo etiam *aggratiandi* facultatem Magiſtratus habet. At fodiendum eſt altiùs, & primò de permiſſione aliquando licita: tum de ejus hodie neceſſitate, vel utilitate: demum de venia diſſerendum.

§. I.

(a) Geneſ. 9. v. 6.

## §. I.

### Permissio, si non sit approbatio, potest aliquando esse licita.

505. *Posse aliquando permitti, probatur.*
506. *Et solvitur argumentum contrarium.*
507. *Non tamen licet approbare.*
508. *Id quomodo in gemino casu factum fuerit, ostenditur.*
509. *Quibus additur tertius intricatior, & notatu dignior.*

505. I. RECepta thesis est : *Expedit, & licet quandoque minora mala permittere, ut evitentur majora.* Præterquam, quòd id tradatur à legibus (a), & D. THOMA (b) æquitas naturalis ita suadet. Applicantes hanc veritatem duello Authorum multi (c) censuerunt, posse Principem in casu, præter ordinem insolito, ad majora mala evitanda duellum *permittere.* Nec etiam excommunicationem incurrit Princeps, ait SANCHEZ (d) " Hæc duella inter Christianos permittens, quando per- " mittere in casu extraordinario opus esset, ad vitanda majora mala & " scandala, quia, licet semper peccet *assensum* his duellis præbendo, si- " ve ea *concedendo*, attamen immunis esset culpæ ea *permittendo* in casu " extraordinario, sicut ob similem causam licet permittere lupanaria. „

Idem docere dicitur HURTADUS DE MENDOZA (e) apud PIGNATELLUM (f) : " Unde juxta hunc designare licebit certamini locum, sicut " licet designare locum lupanari, quando sine lupanari non possunt vitari " incommoda graviora : & designatio loci non est cooperatio ad certa- " men, sicut neque designatio lupanaris ad peccata meretricum : sed est " designatio conditionata, ut ibi certent, vel impudicitiam exerceant, si " absolutè ita velint. Occasio dari posset in casu, si vasalli Principis ita " tumultuarentur, in duas factiones divisi, & à duobus Magnatibus con- " citati, ut ipse supremus Princeps eos jam compescere non posset, & " promiscuas cædes timeret, tunc permittere potest, ut Magnates, vel alii " eorum nomine, duello finiant turbas. „

 Doctri-

(a) Ex cap. denique. dist. 4. (b) 2. 2. q. 10. art. 11. (c) *Cajetan.* 2. 2. q. 95. art. 8. *Armill.* V. Duel. n. 5. *Sa* eodem. V. *Lyran.* 1. Reg. c. 17. *Navarr.* in Sum. cap. 11. n. 39. *Dian.* p. 3. tr. 6. miscel. 2. (d) l. 2. in Decal. c. 39. n. 30. (e) In 2. 2. tom. 2. disp. 170. sect. 21. (f) tom. 9. consult. 88. n. 174.

Doctrina hæc ſana eſt, & æquitati naturali innixa. Unde miror ea, quæ PIGNATELLUS ſubjungit (a) : " Audiſti mi Lector, HURTADUM, & „ SANCHEZ. Tu verò mordicus tene, præſertim poſt S. Concilium, & „ Conſtitutiones Pontificias, nullo modò licere Principibus in aliquo caſu „ dare licentiam ad duellum, neque illud permittere, ne quidem ad vi- „ tanda majora mala. Audi præcipuè CLEMENTEM VIII. pœnis ſubjicientem „ Magiſtratus monomachiam, in *quocunque caſu* per Conſtitutiones prohi- „ bitam, *permittentes*, vel quantum in ipſis eſt, *non prohibentes*. Ubi „ ponderanda eſt dictio *quocunque*, quæ ita univerſalis eſt, ac diſtributi- „ va, ut etiam comprehendat ea, quæ aliàs non comprehenderentur. „ Hoc, inquam, miror; nam ſi nulla exceptio habet locum, cur ipſemet PIGNATELLUS numero ſequente dicit : *Non poteſt publica authoritas duellum crimine eximere extra eventus ſuperiùs* (ſcilicet per HURTADUM) *propoſitos?* ſi vel in his ſolis eventibus permiſſionem duelli non improbat, jam verum eſt primum aſſerti mei membrum : non eſſe ſcilicet impoſſibilem caſum, quo ad evitandum majus malum licitè Princeps, aut quivis Magiſtratus alius duellum permittat.

506. Oppones fortè, Exemplum ex lupanarium permiſſione malè huc applicari; eo quòd teſte KNIPSCHILT (b) ea lupanarium tolerantia à ſanioribus, & inRebuspublicis bene conſtitutis improbetur. Cùm enim, ait, meretriciæ voluptates contra expreſſam DEI prohibitionem, contráque bonos mores fiant, conſequens eſt, neque lupanaria abſque læſione conſcientiæ toleranda, ſed omnino exterminanda, id quod probat exLegibus Imperii in Reformat. Polit. Auguſtæ (c), & Francofurti (d) editis, cùm hoc quoque remedio magìs augeri, quàm minui delicta carnis experientia teſtetur, etiamſi ſint ejuſmodi lupanaria extra urbem, utì olim Pariſiis in ultimis partibus civitatis erant; hodie verò, inquit, ex NICOL. à SALIS, contagio per omnia urbis viſcera diffuſa eſt. Reſp. ſi vera ſint iſta, tunc per lupanaria, tanquam per minus malum, non evitantur majora mala : ubi ergo locorum hoc turpe conſilium impediendæ majori turpitudini non quadrare depre-

henſum

(a) N. 175. (b) De Nobilit. lib. 2. c. 3. n. 109. (c) Anno 1530. §. 33. & anno 1548. §. 25. (d) Anno 1577. tit. 26.

hensum fuerit, sana ratio tollere jubebit lupanaria. Nos autem dum de duellis quibusdam tolerandis loquimur, casus fingimus, in quibus majora mala certè impediuntur. Jam verò, quamvis permittere mala minora hac ratione nefas non sit:

507. II. Attendendum erit tamen, ut probè discernatur *permissio ab approbatione*, aut *concessione*, qua crimini authoritas præstaretur; Duellum enim honoris vindex malum est conscientiæ repugnans, &, si aliquando tale non sit, ex culpa Magistratus, apertè negantis justitiam, non est, ùt abundè explicatum *Cap. IV.* non licet autem ei, quod de se malum est, approbationem, vel authoritatem præstare: si ergo hoc facit Magistratus, malè agit. Ajo *duellum honoris vindex*, quale scilicet hodierna ætate in usu est; nam de duellis veterum, an permitti possint, alibi fuit sermo *n.* 68. Quandoque est facile dijudicare, an approbatio subsit: quandoque difficilius. Habeto exempla.

508. Solemni convivio adhibebantur Equites nobilissimi cujusdam Ordinis. Dum considetur, eorum quidam protestatur, se non accubiturum cum Fromondo, utpote notato infami macula, qua necdum se purgasset. Dum attoniti omnes in Magnum Magistrum intentos convertunt oculos, hic Fromondum jubet discedere. Qui absque mora adversarium suum quæsitum ivit, & inventum aggressus est, dein finita pugna ad mensam reversus. Non difficile est, de Magni Magistri imperio judicium ferre Theologicum.

Aliud accipe. Invalescere sensim apud nonnullas legiones certæ nationis eum morem ajunt, ut, dum inter duos præfectos dissidium ortum est, quod sopiri in tempore non potuit, pars utraque exspectet horam, qua præsidiarius miles, in stationes successurus, collectus stat in foro: tum progrediuntur pugiles, velut casu sibi occurrerent, & spectantibus universis tamdiu dimicant, donec duces dirimant certamen, satisque honori litatum esse asserant, id quod pro affectuum, vel causæ diversitate citiùs, aut tardiùs faciunt. Imperatur tamen ad speciem mox utrique pugili custodia.

Patet satis, morem hunc esse pessimum, & suffocandum in herba, antequam crescat. Nec boni colorem ei quis inde emendicet, quòd sic inconsultæ iræ, qua fors in loco separato abripi se sinerent Monomachi, in

tempore possit frænum à spectantibus injici; nam præterquam quòd primi etiam ictus possint esse fatales, præterquam quòd tot spectatorum præsentia animos accendat, præterquam quòd crimini, absterso paulatim horrore, honesti species accrescat, id certum est, primores ejusmodi Duces authoritate sua firmare id, quod impedire & abolere per omnes leges, & jura obligantur.

509. Casum addo magis intricatum. Fingamus Principem vel Magistratum suprema instructum authoritate, viro militari, provocato ad urbem neutrarum partium ab extero quodam, ita rescribere: Ito in urbem illam destinato die, & in ea, quam tibi antagonista nominavit, caupona, præsente, quem tibi socium jungimus, teste, exige, ut argumentis demonstret, te esse fungi, ùt objectaverat, hominem. Argumenta si proferat, ea nobis redux exhibe: si probationem non inveniat, voca eum infamem calumniatorem: duello tamen, mandamus, ut abstineas. Vel sic age: urbis illius Prætorem roga, ut advenam hunc ad forum suum citet, jacti convitii rationem daturum: finito judicio actorum exemplar ad nos afferto. Fingamus, inquam, ita fuisse rescriptum huic provocato. Quæramus jam, an ita rescribendo Princeps, vel Magistratus duellum illud, quod prudens quilibet secuturum prævidet, *purè permisisse* dicendus sit: & si pura fuerit permissio, an licitè fuerit à Senatu data.

Permissionem quod spectat, ille *tantùm permittere* dicendus est, qui nil confert ad duellum, ut sequatur: neque etiam conatur impedire, ut non sequatur. Jam verò hic Magistratus videtur aliquid contulisse, ut sequeretur duellum; occasionem enim proximam adire jussit provocatum. Quòdsi enim hic in caupona provocantem conveniat, ac exigat argumenta, quibus fungi homo demonstretur, quid, quæso, responsi feret? exiget provocans, ut contrarium gladio ostendat in proximo angiportu, vel extra mœnia, ac duello probet, se non esse fungum. Si hanc probationem respuat actor, aut mandatum Magistratûs obtendat, prohibentis duellum, risum alter addet, & sarcasmos. Et num facilè tunc se continebit militaris provocati animus, is præsertim, qui sæpius stetit intrepidus inter præliorum fulmina, lethi contemptor nobilis: num continebit se, quo minùs etiam contra mandatum illud, quod quàm parum serium sit, utique perspicit,

spicit, fræna calori laxet, atque in arma ruat? Accedit, quòd sciat, si domum redierit re infecta, & illotus, se etiam posthac futurum contemptui in legione sua, quæ cum eo militare eousque detrectaverat. In hoc rerum articulo, num, inquam, ille sibi à pugna temperare volet? Fors proderit causam deferre ad urbis Prætorem? at num volet hic judicare peregrinum, advenam, qui delictum, jactum scilicet convitium admisit alibi locorum? vel quis alius jam modus suppetit sortiendi forum, nisi ratione delicti? Demus etiam, quòd partes litigantes in jus velit vocare Prætor, nónne recusato judicio, & renovato coram teste convitio, se subducet advena provocans, si vel minimum videat incommodi sibi imminere? Hæc omnia cùm provocatus ita eventura facilè perspiciat, judicabit Principem, vel Magistratum suum *velle*, & *nolle* duellum: jubere, ne committatur, non tamen fore invitum, imò gavisurum, si commissum molestis tricis finem, & legioni quietem afferat. Quid ergo est, quòd virum hunc à duello retineat, imò quid est, quod in hoc rerum articulo ad duellum non animet? hunc autem rerum articulum senatui bellico satis antè perspectum fuisse, quis dubitet? dum ergo in eum conjecit provocatum, non potest dici *purè permittere* duellum, quod inde sequitur. Demus etiam, quòd *pura permissio* fuisset in ratione agendi, at neque ita permittere licet Magistratibus duellum, ùt ex Constitutionibus Pontificum, & Principum satis patet, quæ eis imperant, ut ex officio, quod gerunt, omnem operam impendant ad duellum impediendum, & humaniore modo reddant honorem læso, si tamen possint. Potuit autem senatus. Quo modo quæris? Resp. modum hunc monstrant Edicta Principum, recensita alibi. Statuit Edictum Würtembergicum, Hasso-Casselanum, Saxo-Gothaicum, & complura alia, ut, si convitiator protervus se in terras exteras receperit, per *requisitoriales*, seu literas *mutui compassûs*, ùt vocant, à Magistratu ejus terræ requiratur: frustra autem requisitus, aut ubi ubi latitans, *edictaliter* citetur ad reddendam rationem de convitio. Si non compareat, damnatur de illata calumnia, aut iniquo convitio, ejúsque nomine apparitor, lictórve cantat palinodiam, ac petitâ veniâ honorem læso restituit. Simile quid post provocationem statutum legimus in Edicto Saxonico Electorali, & Megalopolitano, ut scilicet venire recusantis imago affigatur patibulo. Cur ergo hoc modo, tot prudentissimorum Principum judicio confirmato, usus non

est Senatus bellicus? fungi hominem vocaverat convitiator virum, qui strenui militis partes semper adimplevisse est visus; ergo probet factum indignum milite ab eo unquam fuisse admissum: vel si probare recuset, infamis convitiatoris pœnam sentiat.

Reponet quis fortè, legionem tumultuantem non fuisse acquieturam tali satisfactioni; eo quòd ignaviæ labes non nisi duello juxta hodiernum systema eluatur. Resp. primò, num ergo potiùs acquietura fuisset, si in caupona, vel apud Prætorem conventus convitiator de novo sua dicta confirmâsset? non est facilè quis ita hebes, ut istud credat. Resp. secundò: Si convitiator pudendam infamiam contraxisset ex recantatione apparitoris, aut ex effigie in patibulo affixa, quis exigere, quæso, ultrà potuisset, ut vir militaris cum infami homine de honore certaret? Ideo nempe is recantandi modus statutus est à Magistratibus, ut in eum statum reponatur lædens, in quo cum eo manus conserere nemo vir honestus possit. Resp. tertiò: Datô etiam, quòd legio tumultuari non cessâsset, compesci potuisset, modò adhibitum fuisset remedium, alibi à nobis explicatum. *vid. n.* 110.

Exempla hæc sufficiant, in quibus permissio est tacita approbatio, vel etiam ipsamet permissio illicita. Cùm tamen permissio aliquando possit esse licita, quæri potest, an hodierno ævo detur necessitas, vel utilitas ad duellum permittendum? Respondebit

## §. II.

## Nulla hodierno ævo necessitas datur, nec utilitas ad permittendum duellum.

510. *Nec necessitas datur.* 511. *Nec utilitas.*

510. Ajo, ex hactenus dictis satis apparere, nec speciem hujusmodi feralis *necessitatis* apparere. Tam inter viros nobiles, quàm militares datur ratio accommodatissima, eáque multiplex cuique, injuriam passo succurrendi, uti abundè patet *ex Cap. II. Art. I.* §. *IV. & V.* neque erit necessitas provocationem ad duellum relinquendi impunitam, uti patet *ex Capitis præsentis Art. II.* §. *II.*; namque in omnes eventus curas suas converterunt legislatores, prospexêre omnibus, neglexêre nihil: modò hodierni Magistratus velint

lint seriò, nunquam eò redigentur, ut adductis humeris connivere duello debeant. Et hac ipsa de causa à me tandem obtinui, ut hac de materia scriberem, nunquam id facturus, si solummodo in duellum, & Magistratus Philippicam scribere scivissem: ignorâssem autem suggerere, qua ratione caveri malo possit.

511. Circa utilitatem dubitatum aliquando fuit, an non expediret authoritate judicis permittere Nobilibus ac militaribus viris duellum tunc, quando, causâ probè perspectâ, honorem verè fœdatum fuisse constat, nec ii alia ratione ad concordiam facilè reduci possunt. Hanc in rem differentem audiamus ipsum Cardinalem RICHELIUM, in celebri suo Testamento politico (si tamen verè ejus est) ad Regem Christianissimum LUDOVICUM XIII. (a). Nihil omisi, ait, ô Rex, quo malo huic apprimè noxio (duello scilicet) remedium afferrem. Mecum sæpe expendebam, an non, sicut Reges duobus selectis concedere duellum possunt ad impediendum, vel finiendum bellum publicum, ita quoque potestatem facere valeant, tricas privatas ejusmodi monomachiâ discutiendi, eo scilicet fine, ut tollatur inter Gallos nimia frequentia duellorum; namque, reputabam mecum, hac ratione, dum scilicet quis à judicibus sperare posset dandam sibi pugnandi licentiam, multos in honore læsos, omissâ præproperâ vindictâ, opem ibi quæsituros. Quod si facerent, tunc æquis rei arbitris difficile non futurum, remedium afferre ùt plurimùm componendis turbis, & restinguendo odio. Firmabam opinionem hanc meam eo argumento, quòd antehac duella permissa non rarò fuisse sciverim tum in Francia, tum alibi gentium.

Sed post lectas, relectásque sententias præstantissimorum Authorum, & penitiùs examinatam hanc maximi momenti materiam, deprehendi apud Theologos, minimè aliàs anxios, rigidósve, Regibus, positis à DEO ad tuendam subditorum vitam, fas non esse, eam exponere periculo sine utilitate publica, aut privata necessitate. Quid quòd hac ratione innocens æquè ac nocens eidem discrimini subjiciatur; cùm utique non semper causa melior viribus prævaleat, atque armorum successu. Et quamvis ejusmodi pugnæ authoritate Principum quandoque legantur commissæ,



(a) Cap. 3. Sect. 2.

aut etiam cum consensu Ecclesiarum particularium : inter abusus tamen fuerant semper reputandæ. Id quod manifestè patet ex eo, quòd tandem ab universali Ecclesia intentatis gravissimis pœnis fuerint prohibitæ. Notavi etiam latum discrimen inter monomachias, ob publicam causam concessas, & nostras inter; ibi enim pars pro toto se exponit, id quod omnium temporum Historiæ, & ipsæ SS. Litteræ approbant : at in his in suum interitum ruerent privati, quin utilitas ulla in publicum redundaret. Quæ enim illa? frequentiam sistere duellorum ? Neque hæc obtineretur in tantâ Nobilitatis nostræ cæcitate; cùm enim plerique existimaturi essent, pugnandi licentiam petere à judicibus idem esse ac pacis arbitros quærere, & sic pugnam subterfugere, probro sibi ducerent, si non vindicando injuriam ex arbitrio proprio, vanissimam suam fortitudinem demonstrare omitterent. Rex nuper defunctus volebat hoc remedio occurrere duellorum frequentiæ Anno MDCIX.; ita ut pœnas acerrimas statueret in eos, qui ante petitam licentiam duello confligerent : sed, incassum laboravit, nemine volente licentiam petere. Et hoc ipsum permovit tuam Majestatem, ut post haustam ad ingressum regiminis similem experientiam aliud consilium caperes, frænando furori accommodatius.

Hactenus sagacissimus Cardinalis. Unde patet, ex ejusmodi licentia utilitatem sperari nullam posse : præterquam quòd eam concedere necesse neutiquam sit.

## §. III.

### An Magistratus veniam commisso duello possit dare? seu jure *aggratiandi* uti?

512. *Datur jus aggratiandi, competens supremæ potestati.*

513. *Negatur ab aliquibus, quòd in cæde locum habeat:*

514. *Sed refutatur hæc Doctrina.*

515. *Quomodo cautè utendum sit hoc jure ostenditur.*

516. *Applicantur ista duello facto cum cæde:*

517. *Facto sine cæde: etiam soli provocationi.*

Quòdsi Magistratu invito duellum nihilominus commissum fuerit, & violatæ leges, quibus in ea Republica sub gravibus pœnis duellum prohibetur, quærimus, an veniam reo dare, seu aggratiandi

jure

jure uti Magistratus, aut Princeps possit, id est, an post commissum delictum pœnam vel ex integro condonare, vel in minorem commutare tuta conscientia valeat?

512. Nimius fuit olim Stoicorum rigor, improbantium universè omnem veniam, quæ delicto conceditur, apud STOBÆUM (a). Ajunt, prudentem nemini veniam dare; quia ejusdem hominis sit veniam dare, & putare, eum, qui peccavit, non sua culpa peccasse; cùm tamen omnes sua malitia peccent. At quàm infirma sit hæc assertio, ultro patet; nam quamvis Princeps credat, & sciat, reum ex propria malitia peccâsse: caussam tamen habere potest remittendi pœnam vel ex toto, vel saltem ex parte. Neque tamen diffiteor, etiam illud esse verissimum, quod quidam cecinit (b):

*Plus sæpe nocet patientia Regis,*
*Quàm rigor: ille nocet paucis, hæc incitat omnes,*
*Dum se ferre suos sperant impune reatus.*

Unde etiam CONSTANTINUM M. EUSEBIUS (c) arguit nimiæ clementiæ his verbis: "Cùm nullus esset extremi supplicii metus, qui malos homines à sceleribus deterreret, Imperatore prorsus in clementiam propenso, & ex provinciarum Rectoribus nemine crimina coërcente, eo factum est, ut publica administratio non mediocrem reprehensionem subierit." Jus aggratiandi ergo datur quidem: at in salutem Reipublicæ adhibendum, non in detrimentum.

Competit hoc jus summo Principi, qui, cùm supra leges emineat, utique pœnam, à legibus statutam, remittere potest, vel mitigare (d). Competit etiam in Romano Imperio Principibus, & Statibus Imperii; cùm enim vi superioritatis territorialis leges communes immutare, & diversas condere possint (saltem si hæ non refragentur legibus, statum, & commodum publicum concernentibus) possunt etiam reis veniam concedere (e). Unde est teste CARPZOVIO (f), quòd in Germania Baronum quo-



(a) Serm. 44. (b) *Guntherus* Ligurin. l. 1. (c) L. 4. de vita Constantini. (d) *Hermes* in Fasci. Jur. Publ. c. 11. (e) vid. *Schmier* Jur. Publ. Rom. Imp. l. 1. c. 3. n. 21. (f) Pract. crim. p. 3. q. 151. n. 24.

quorumdam authoritas, & potentia plus habeat ponderis, quàm alibi Principum, & Ducum. Reliquis verò Principibus, Magnatibus, aut judicibus, quibus territorialis ſuperioritas deeſt, jus aggratiandi non competit; nam, ùt reſpondit PAPINIANUS (a): *facti quidem quæſtio eſt in arbitrio judicantis : pœnæ verò perſecutio non ejus voluntati mandatur, ſed legis authoritati reſervatur.*

513. Quòdſi jam quæritur, *an cæde in duello patrata* pœna mortis remitti valeat ſalva conſcientia; in diverſa abire video Doctores. Juris-Conſulti Acatholici admodum rigidi ſunt contra homicidas, nominatim VITRIARIUS (b), & PFEFFINGER (c). CARPZOVIUM audire juvat (d). „ In delictis, ait, lege divina ſeverè prohibitis, veluti eſt homicidium, „ adulterium, blaſphemia, ſacrilegium, ſodomia, ne quidem ſummus Prin- „ ceps, aut Magiſtratus quivis ſuperiòr hoc caſu mortis ſupplicium abs- „ que cauſa ſufficienti remittere poteſt. „ Tum inducit BESOLDUM, dicentem : Quemadmodum Majeſtatica Poteſtas criminalem, ob rationes duntaxat politicas introductam pœnam faciliùs condonare poteſt : ita à nemine remitti poſſunt eæ pœnæ, quæ ad authoritatem Decalogi tenendam à DEO ipſo ſunt ſancitæ. Tum varios pro ſe Authores affert : ſed dubitatur, num fideliter. Hanc ſententiam BESOLDI, quibus rationibus firmet CARPZOVIUS, audiamus.

Primò ait, indubitati juris eſt, inferiorem haud poſſe abrogare legem ſuperioris : quanto igitur inferior Princeps etiam ſummus in orbe terrarum eſt ipſo DEO Opt. Max. homicidas ultimo ſupplicio afficere jubente, tanto minùs huic mandato contravenire poteſt. Nominatim hæc miſericordiæ ſpecies prohibetur, *Deuter.* 13. *v.* 8. *Hebr.* 10. *v.* 28. *Exod.* 21. *v.* 12. *Num.* 35. *v.* 31. Ubi non niſi ſanguis pro ſanguine repoſcitur. Itaque Princeps notet ſibi, quod in *cap. non licet.* 2. *diſt.* 10. dicitur : *Non licere Imperatori aliquid contra divina mandata præſumere, nec quidquam, quod Evangelicis, Propheticis, aut Apoſtolicis Regulis obviat, agere.* Secundò : Regula eſt juſtitiæ, *ſuum cuique tribuere*, defenſionem innocentibus, pœnas

(a) In L. accuſatorum. 1. §. 4. ff. ad SCtum Turpil. (b) Inſtitut. Jur. Publ. l. 3. tit. 17. n. 114. (c) Ibid. ad n. 112. (d) L. cit. n. 29.

pœnas verò nocentibus. Quare Princeps non discedat ab hac Regula parcendo homicidæ, nisi velit cum Rege Saule, contra mandata Dei parcente Regi Amalecitarum, rejici à Deo (a). Tertiò etiam propterea in crimine homicidii Princeps veniam reo largiri non potest; ne ex spe impunitatis aliis præbeatur delinquendi materia. Quartò accedit, quòd metuendum sit, ne hac impunitate sontibus concessa, graves populi querelas de neglecta justitia Princeps in se suscitet.

514. Sed sententia contraria est solidior. Ratio est; quia pœnæ criminum, à Deo in lege veteri constitutæ, non pertinebant ad leges morales, seu naturales; quamvis enim lex naturæ jubeat sontes puniri: genus tamen, & rationem pœnæ non definit. Pertinebant igitur ad leges judiciales, sancitas pro commodo, & statu reipublicæ Judaicæ. Hoc dato, sic arguo: leges veteris testamenti judiciales, æquè ac cæremoniales amiserunt suam vim in testamento novo (b): ergo leges veteris testamenti, pœnam mortis homicidæ decernentes, utpote judiciales non obligant in testamento novo: ergo Princeps condonans mortis pœnam nihil agit adversus legem Divinam: sed tantùm in lege humana, ubi talis exstat, pro ea vice *dispensat.*

Confirmatur nostra doctrina. Si tam rigidè inhærendum est legibus veteris testamenti, reos condemnantibus ad mortem, cur non etiam adulterium morte plectitur? hoc certè *Levit.* 20. *v.* 10. præcipitur: *si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Et tamen de Jure civili *L. Juli. de adult. coerc.* hujus criminis pœna olim erat deportatio seu exilium, postea quidem gladius: quem tamen rigorem pro mulieribus mitigavit Justinianus (an ejus uxor Theodora?) & virgis cæsas detrudi jussit in Monasterium. Et quamvis Carolus V. *in Constit. pœnal. Art. XII.* ùt volunt Interpretes, renovârit pœnam gladii: hanc tamen nullibi hodie, saltem propter primum adulterium irrogari docet experientia, sed punitur variè pro varietate locorum. Quomodo per gradus acuatur pœna vi legum Bavaricarum *vid. Ordin. politic. Tit. IX. Art. II.* Quòdsi ergo rigor



(a) 1. Reg. 4. (b) Communis ex cap. un. de purif. post partum.

gor legis veteris non extendi debet ad adulteros, cur extendi debeat ad homicidas? Natura quidem & Deus etiam in lege nova obligant judices ad punienda hæc crimina: ita tamen ut modum definiendum eis relinquant, prout saluti reipublicæ pro casuum varietate convenire videbitur.

Quòdsi cuiquam verba illa *Genesis Cap. IX.* scrupulum adhuc moveant: *quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*; utpote quæ ante legem Mosaicam prolata, legis potiùs naturalis, & moralis, quàm judicialis vim habeant, Resp. ea non fuisse proposita cum obligatione stringente potestatem politicam, ut in omni homicidio infligat pœnam mortis: sed authoritatem eidem fuisse collatam homicidam occidendi: aut, si proposita fuerint ea verba sub ejusmodi obligatione, eandem non durâsse diutiùs, quàm ad tempus legis gratiæ; sicuti nec obligatio occidendi animal mortiferum, de quo ibidem *v. 5.* neque obligatio à carne, & sanguine abstinendi, de qua *v. 4.* vim suam ultra id tempus extenderunt. Ita Authores præclari complures. Etiam illud huc facere puto, quòd in paucitate prima hominum occisio unius longè magis noxia fuerit, ac postea, genere humano satis jam multiplicato.

Unde ruunt jam fundamenta Carpzovii. Primò enim negatur, quòd Princeps faciens homicidæ gratiam, aboleat legem superioris, scilicet Dei; non enim existit ejusmodi lex in testamento novo. Secundò si judex *ita suum cuique tribuere debet*, ut nunquam gratiam facere fas sit, totum jus aggratiandi etiam in aliis materiis tollitur: nam *Deut. 21.* legitur sine discrimine: *maleficum non patieris vivere*; hoc autem esset sanè nimium: vel ostendatur expressum Dei mandatum, quale Sauli Dominus dedit per Prophetam. Ex tertio argumento id solum sequitur, quòd promiscuè, & sine gravi ratione suo jure uti Princeps non debeat. Neque ex usu moderato orientur querelæ subditorum, saltem prudentiorum. Itaque rigida nimis est sententia negans Principi universè omnem potestatem faciendi vitæ gratiam interfectori. *vid.* Lauterbach (a).

515. Sed quatuor hîc monenda, atque inculcanda sunt. Primò nunquam remittenda est omnis pœna, sed in mitiorem commutanda; namque

(a) Differtat. Academ. Vol. 1. Disp. 6. de Jure aggrat. §. 10.

que, etsi modus puniendi dependeat à norma legis humanæ, obligatio tamen puniendi resultat ex jure naturali, & sic satisfit Regulæ quintæ Jur. in 6. *Peccati venia non datur nisi correcto.* Secundò, ubi expressa lex pœnalis condita exstat definiens certo delicto certam pœnam, difficiliùs fit commutatio, quàm ubi pœna per legem definita necdum est, sed solum delictum prohibitum, ídque, non tam ob eam causam, ùt ait PUFENDORF (a), quòd par sit, ut legislator suis se legibus conformem gerat : quàm quia authoritas legum vilescit, si citra gravissimam causam executioni non mandentur : & quia ad peccandum ultro Magistratus videtur invitare, qui æqualem, aut majorem causam præbeat veniam sperandi, quàm pœnam metuendi. Igitur quamvis legum humanarum vis à voluntate humana pendeat, non in origine tantùm, sed etiam in conservatione : non tamen illæ tolli, aut mutari debent, nisi gravi urgente causa; alioquin in officium Rectoris peccabitur. Imò gravius videtur, citra gravem causam legem manentem non exequi in certis personis, quàm eandem penitus tollere ; cùm illic acerbis querelis occasio præbeatur, quòd æqualia meriti non habeantur æqualiter. Itaque tertiò, ùt monet P. SCHMIER (b), supremus judex debet considerare causas illas, ex quibus aliàs quandoque inferior in delictis variis statutam pœnam temperare valet; sic enim habebit amussim, ad quam examinet, gratiam, quam facere cogitat. Ibidem recenset *sect.* 3. Causas pœnam mitigantes, quas etiam legere est apud CARPZOVIUM (c), & nos paulò pòst recensebimus. N. 525. Quartò denique de condonandis pœnis quibusdam legi meretur GROTIUS (d), docens, an exigi debeat pœna, vel remitti, dependere ex connexione finium, ob quos pœna instituta est, cum ipsa pœna. De his finibus egimus paulò antè *n.* 446. Quare, si fines illi per se morali æstimatione, id est, prudentis, & boni viri (e) necessarii non sint : aut fines ex opposito in præsenti occurrant non minùs utiles, ac necessarii : aut fines pœnæ alia via obtineri possint; jam apparet, nihil esse, quod ad pœnam exigendam præcisè obliget. Hanc doctrinam GROTII ZIEGLERUS (f) laxam nimis dicit, ejúsque sententiæ fuisse ait ANT. MATHÆUM (g). Ego verò

(a) L. 8. c. 3. §. 17. (b) Jurispr. Canon. lib. 5. tract. 1. c. 3. n. 81. (c) P. 3. q. 149. & 150. Pract. crim. (d) Lib. 2. cap. 20. §. 21. (e) *Gronov.* not. (f) De Jur. aggrat. l. 1. c. 8. (g) Ad tit. ff. quibus mod. crim. c. 5.

verò existimo eam esse sanam, ut scilicet, cessante fine pœnæ, ipsa pœna cesset; at judico simul, casum rarissimum esse, ubi omnes fines cessent, ob quos tam in duellum, quàm provocationem pœnæ constitutæ sunt à prudentissimis Legislatoribus.

516. Quibus disputatis concludo, equidem supremum Principem posse vitam condonare ei, qui in duello antagonistam occidit; non facilè tamen, nec sine gravi causa id ei licere; quòdsi enim mandatum illud: *quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo.* (a) Quòdsi, inquam, hæc verba vim legis jam non habeant: quid tamen justum sit, & ex natura delicti homicidæ competat, satis innuunt. Difficillimus ergo sit in hac causa Princeps: secus, quæcunque cædes ex spe impunitatis, ex indulgentia dissimulantis Magistratûs committuntur, utique in hujus conscientiam recident. Id addere liceat, potiùs provocatum, si occidat, dignum esse gratia, quàm provocantem, si interficiat, quem ad pugnam adegit importunus.

517. Quòdsi vero duellum abierit absque nece, aut graviore vulnère, faciliùs aliquanto locus est gratiæ, si pœna mortis in tale fuerit statuta. Sed probè notandum, sicut *dispensationes* dicuntur *vulnera legum*, & non nisi raro ob gravem causam concedendæ sunt, ita etiam, præsertim ubi certæ pœnæ pro duello in aliqua republica definitæ sunt, omnis disciplinæ vigor eliditur per frequentem indulgentiam. Notet judex, si credat se habere gravem causam aggratiandi, habere se etiam gravem causam non aggratiandi, scilicet bonum publicum. Hæc certò adest semper: illa confingitur sæpe juxta varios variorum affectus. Unde pessima est reipublicæ gubernatio, ubi duella rarò puniuntur, vel non nisi pœna levi, quæ ferme semper deberent plecti, & quidem graviter.

Ex dictis facilè colliges, quid sentiendum de gratia, facienda soli provocationi, non secuto duello.

Hæc de æquitate naturali dicta sunto juxta syntagmata juris naturalis: an verò etiam juxta leges canonicas ejusmodi gratia locum habeat, paulò pòst videbimus *n.* 523.

ARTICU-

(a) Genes. 9. v. 6.

# ARTICULUS IV.

## *Quas Pœnas incurrant negligentes Magiſtratus?*

MAgiſtratus inferior, qui altiorem ſupra ſe poteſtatem reveretur, caſtigari ab hac poteſt, & debet, ſi oſcitanter ſuo fungatur officio. Quòdſi Magiſtratus etiam ſuprema poteſtate gaudeat, uti in Republica Senatus, Rex in regno, Eccleſiaſticam nihilominus pœnam juxta Catholicorum principia, incurret, ſi negligentiam hoc in genere admiſerit. Juvat, primò explicare pœnas: tum caſibus particularibus applicare.

## §. I.

### Explicantur pœnæ.

518. *Pœnis civilibus ſubjacent Magiſtratus inferiores:*
519. *Eccleſiaſticis omnes.*
520. *Explicatur primò ex Tridentino, privatio dominii ſtatuta in locorum Dominos.*
521. *Secundò ex Clementina, interdictum latum in ea loca, ubi duellum permittitur.*
522. *Tertiò pœna lata in Præfectos, præcipuè militares, non impedientes, vel non punientes duellum.*
523. *Additur annotatio Theologica.*

518. POenis quidem civilibus non ſubjacent ipſimet ſummi Magiſtratus, ac Principes: ipſorum tamen eſt, ejuſmodi pœnas ſtatuere in inferiores Præfectos ſuos ac Magiſtratus, qui vel non ſatagunt gliſcentem diſſidii ignem ſopire in tempore, vel provocatione facta non illico cuſtodiæ mancipant reos, vel patrato etiam duello connivent, & ſilentio involvunt crimen, quin ad ſuperius tribunal deferant. Et ejuſmodi conniventia non infrequens eſt; modò nemo pugilum occubuerit, vulneratus curatur domi ſuæ, ſimulans neſcio quem morbum: Præfecti affectant ignorantiam facti, contentiſſimi, ſi res non divulgetur. Vel, ſi verentur, ne quid ad ſuperiorem Senatum, aut Principem tranſpiret, equidem hunc certiorem faciunt de commiſſa inter quoſdam pugna; eam tamen ſtudioſè veſtiunt extemporaneæ rixæ nomine, quamvis diſſidium natum fuerit aliquot ante pugnam diebus, & ſatis longo itinere, ſtatuta hora, ad locum

destinatum exspatiari debuerint pugiles patrinis stipati. Ita committuntur sæpe duella, vel commissa relinquuntur impunita vitio Præfectorum inferiorum. In hos itaque pœna acris statuenda est, ipso facto incurrenda *e.g.* jactura officii, vel numeranda certa mulcta pecuniaria, parte aliqua assignata delatori, prout in compluribus Edictis Principum providè statutum legimus.

519. Præter has aliæ supersunt pœnæ Ecclesiasticæ, tam in inferiores, quàm supremos Magistratus latæ, à Conciliis, & Pontificibus Romanis, siquidem in coërcendo duello negligentes sint, ac indulgentes. Præcipua est *Excommunicatio*, de qua egimus amplè satis *n.* 242. An etiam ipsos Imperatores, & Reges tangat, *vide n. sequente ad finem.* Reliquas pœnas ex triplici fonte depromam explicandas.

520. I. Tridentinum (a) ita habet, *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui ad monomachiam locum in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipsò sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio Civitatis, castri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur: & si feudalia sint, statim Dominis directis acquirantur.* Noto, equidem à Tridentino non nisi duella solemnia damnari, quæ nostra ætate exoleverunt. Cùm tamen pœnas Tridentini Gregorius XIII. extenderit etiam ad duellum privatum, ùt sonat dicti Pontificis Constitutio (b), expendenda sunt quædam Tridentini verba. *Locum ad monomachiam concedere*, idem est, ac securitatem præstare, vi cujus nemo in duello pugnantibus manus injicere, vel liberum ad suos reditum, quomodocunque cadente alea, intercipere possit. Ad hoc publica fide se obligabant olim, qui ejusmodi Campum *Francum*, ùt vocabant, diffidentibus præbebant, jure quandoque muniti ad eum præbendum. Tali jure gloriata fuisse legimus nonnulla Germaniæ oppida, veluti Halam Suevorum, Herbipolim, & de Norimberga testatur Goldastus (c). Notandum etiam venit istud: *Inter Christianos;* hinc si Princeps solis infidelibus, vel Judæis concederet in terra

sua

(a) Sess. 25. de reform. c. 19. (b) Vide n. 404. (c) P. 2. Constit. Imp. tit. 71.

ſua locum ad duellum, non incideret in pœnas Tridentini, licèt utique graviter peccaret, permittendo rem jure naturæ vetitam: incideret tamen probabiliter, ſi Chriſtiano pugnaturo cum infideli locum duelli concedat; quia non minùs indecenter Chriſtiani ſanguis effundendus offertur infideli, quàm ſi offeratur Chriſtiano alteri. Cùm verò pòſt Gregorius XIII. loquatur generatim de *permittentibus*, non exprimens inter quos, Sanchez judicare videtur, Principem etiam inter meros infideles permittentem duellum, incurſurum dictas pœnas: niſi fortè dicatur Gregorium tantùm voluiſſe explicare Tridentinum, adeoque non feciſſe extenſionem pœnarum.

Pœna Tridentini etiam infert id, *ut juriſdictione, aut dominio civitatis, caſtri, aut loci, in quo, vel apud quem duella permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur.* Si ſcilicet ab Eccleſia obtineant, ſive acceperint (utique titulo ex natura ſua reſcindibili) ejusmodi juriſdictione Civitatis, aut præfectura caſtri privantur. *Quòdſi feudalia ſint, ſtatim Dominis directis acquirantur.* Cùm verò aliud ſit feudum *Eccleſiaſticum*, quod ſcilicet conceditur à Prælato Eccleſiaſtico in bonis ad Eccleſiam pertinentibus: aliud *ſæculare*, quod à laico in bonis, ad Eccleſiam non pertinentibus, conſtituitur, & datur laico; crediderim ego, quòd Tridentino ſermo ſolùm ſit de feudo Eccleſiaſtico; non enim voluerit in feuda ſæcularia, avita, ac gentilitia falcem immittere. Sunt equidem delicta aliqua, quæ de jure feudali *caducum* reddunt feudum, & nomine *feloniæ* veniunt; at vel talia ſunt, quæ in ipſum Dominum directum feudi committuntur: vel tam atrocia ſunt, ut præterea vaſallus redditus infamis in curia Domini ſtare non ultrà poſſit. Quòd horum delictorum numerum etiam in feudis merè ſæcularibus augere Decreto ſuo Tridentinum voluerit, non crediderim. Certè poſtquam hodie ea pœna extenſa eſt ad Principes, duella privata non impedientes, & non rarò ejusmodi *non impedientes* invenire ſit, non tamen videmus facilè ullum ejusmodi feloniæ exemplum. Unde vel ad ſola Eccleſiaſtica feuda reſtricta eſt pœna: vel in rigore majore receptæ non ſunt ejusmodi Conſtitutiones. Nolim tamen ego hoc loco Commentarium ſcribere in Concilium Tridentinum, id quod reſervatum eſſe perbene novi S. Congregationi.

Illud non inobſervatum relinquam : Tridentinum de ſolemnibus duellis loquens, etiam *Imperatores*, & *Reges* expreſsè complecti voluit ; quos antea Pius IV. (a) exceperat. Poſt Tridentinum tamen Gregorius XIII., dum ad privata duella pœnas Tridentini extendit, Imperatorem & Reges non nominavit, ſed generali voce dixit : *locorum Dominos* : neque eo usque aſcendit Clemens VIII. confirmans Conſtitutiones prædeceſſorum. Equidem ait (b): *Pœnis ſubjacere tam ſi enumeratis, quàm ſi aliis etiam majoribus Eccleſiaſticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, & praeminentiis excellant.* At videntur hæc referri ad eos, qui vel primariam, vel ſecundariam actionem ad duellum pertinentem ipſimet admittunt, ùt conſideranti patebit. Unde, cùm aliunde conſtet, quàm cauta ſit Romana Eccleſia in feriendis ſummis Capitibus, dubitari poteſt, an ex hujusmodi culpa Excommunicationem incurrant Imperatores, & Reges : &, quod conſequitur, qui ijs pares cenſentur : id quod ego aliorum judicio relinquo.

521. II. Clementis VIII. Conſtitutio, præterquam, quòd omnia, in Tridentino contenta renovata velit, peculiariter hæc habet (c) : *Ipſas verò Civitates, oppida, terras, vel caſtra, in quorum territoriis id facinus, vel tacitè vel expreſsè permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magiſtratibus, vel Senatu, aut populo admiſſum fuerit, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto.* Complectitur ſummus Pontifex omnes regiminis formas, eásque interdicto ſubjicit, Monarchiam *per locorum Dominos*, Ariſtocratiam *per Senatum*, & Democratiam *per Populum.* Eſt autem *Interdictum* Cenſurá Eccleſiaſtica prohibens uſum Divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, *quatenus talis eſt.* Hoc ultimum additur, ut differat ab Excommunicatione, quæ eodem uſu privat, quatenus eſt communicatio cum fidelibus.

Dividitur in Locale, & Perſonale : *Perſonale* immediatè afficit perſonas : *Locale* immediatè locum. Præſens interdictum *locale* eſſe apparet; dicit enim Conſtitutio : *Civitates, oppida, terras, vel caſtra Eccleſtiaſtico ſupponimus interdicto.* Hujus effectus potiſſimus eſt, privatio Officiorum Divinorum, quo nomine veniunt functiones ſacræ, quæ fiunt à Clericis publicè

(a) In Conſtit. *Eaqua.* an. 1560. (b) Conſtit. §. XVII. (c) §. XIX.

cè, & ratione Ordinis sacri, uti Sacrificium Missæ, Horæ Canonicæ, Benedictiones publicæ &c. Cætera, quæ ad interdictum pertinent, videre passim est apud Interpretes Decretalium, ad tit. 39. L. V.

Hoc interdictum, in nominata loca latum est, siquidem eorum Domini, Magistratus, Senatus, aut populus facinus, seu duellum *tacitè*, *vel expressè permittant*, *aut tolerent*. Quid sit *tacitè* permittere, patet partim *ex Articuli præcedentis* §. *I.* partim patebit *ex* §. *mox secuturo.* Interim noto, interdictum locale, quamvis ab ipso jure sit latum, aliquam tamen denuntiationem requirere saltem declaratoriam criminis juxta principia generalia de Censuris. Unde cùm duella non rarò dissimulentur à locorum Magistratibus, vel inani pallio subitæ rixæ necquidquam involvantur: non facilè autem de declarato aliquo interdicto locali, apud nos quid auditum fuerit, fortè non ineptè dici poterit, hanc constitutionem quoad hoc caput receptam non esse, saltem in Germania. Id extra dubium est, quòd, si huic interdicto locus quis subjiceretur, relaxatio ejus reservata sit Sedi Pontificiæ. (*vide Constit. Clement.* §. *XIX.*)

522. III. Ampliùs se explicat dictus Papa verbis sequentibus: *Et non solùm locorum Dominos, sed & Magistratus, Præsides locum tenentes, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in castris vel extra ea, in alieno, vel hostili solo vel cum militibus exercitûs adversariorum Monomachiam, in quocunque casu, per præsentem, vel alias constitutiones hujusmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipsis est, non prohibentes, aut post admissum crimen veniam, & impunitatem concedentes*, pœnis à Tridentino latis subjicimus. Perstringuntur itaque præter Magistratus, Capitanei, locum tenentes, militum Duces, quando permittunt, aut non impediunt duellum, sive *in castris*, *sive in propugnaculis, etiam ubi S. R. E., aut Catholicæ fidei hostium furor impunè grassatur, vel in Dominiis per eos occupatis*, *& detentis.* (a) Dum videlicet fortè *justo bello indicto miles aliquis contra alterum in adversariorum exercitum militantem privatas inimicitias, atque simultates publicæ causæ velit immiscere.* (b), modò casus sit talis, in quo aliàs de se prohibitum sit duellum, nec excusationem inveniat. Unde colliges, multo magis perstringi



(a) Constit. §. VII. (b) Ibidem §. VIII

eos Duces militares, *qui suis* militibus inter se has pugnas indulgent: quin feriuntur etiam unà cum Magistratibus, dum post admissum crimen, *veniam & impunitatem concedunt.*

Inter pœnas præcipua est Excommunicatio *Major*, latæ *sententiæ*, qualem in ipsos pugiles latam pridem diximus. Quòdsi *Ecclesiastici fuerint*, (tales scilicet Principes, aut Prælati) qui ejusmodi negligentiæ se reos fecerint, *privatio omnium dignitatum*, *beneficiorum*, *& officiorum Ecclesiasticorum*, *& inhabilitas ad illa*, *& alia imposterum obtinenda: à quibus pœnis non nisi à Romano Pontifice absolvi possint.* Pœnam Excommunicationis hodiedum locum habere, non video, qui dubio sit locus; oportet tamen juxta Regulas generales de Excommunicatione receptas, ut negligentiâ suâ admiserint peccatum grave, & latæ Excommunicationis illi Præpositi notitiam habuerint. De privatione dignitatum, & inhabilitate ad illas, & alias imposterum obtinendas, dubito, num satis in usu sit Constitutio Pii IV. confirmata à Clemente. Siquidem tamen Princeps Ecclesiasticus reum se ejus criminis faceret, crediderim, ad hanc pœnam opus esse sententia declaratoria.

523. Ratio, quæ sacros Legislatores ad ferendas tam acerbas pœnas permovit, est grandis pernicies animarum, & corporum, quæ ex duellorum licentia, non refrænata, oritur. Unde ejusmodi peccant mortaliter, malè dum funguntur suo officio. *Arg. L. Congruit. ff. de offic. Præsid.* Docet id D. Thomas (a), Peregrinus, (b) Navarrus (c) Salon (d), aliíque. Unde Gobat, Theologus aliàs neutiquam rigidus, non mediocriter tamen doctus, fidenter asserit: (e) *Existimo, esse in Germania saltem, & in Gallia hoc tempore incapacem absolutionis Sacramentalis Principem, qui, audito subditorum suorum aliquem provocasse ad duellum alterum aliquem, talem provocantem non punit valde graviter, esto non sit secuta pugna: si autem secuta, necaveritque provocans provocatum, non ferat irremissibilem capitis pœnam; nisi ratio boni publici exposcat aliquam moderationem judicio prudentum non interessatorum.*

Pruden-

(a) 2. 2. q. 62. art. 7. (b) De Duello. q. 4. n. 11. (c) Manual. c. 25. n. 26. (d) In 2. 2. D. Thom. tom. 1. q. 62. art. 7. contr. 2. (e) Theol. experim. tract. 7. n. 573. Append. 2. l. F.

Prudenter, & cum judicio GOBAT apponit ſententiæ ſuæ limitem his verbis: ***niſi ratio boni publici moderationem exigat***; dum enim puniuntur Magiſtratus, ***poſt admiſſum crimen veniam, & impunitatem concedentes***, non crediderim ego, ita conſtringi jus, quod aliàs habent ſummi Magiſtratus faciendi reis gratiam, ſeu ***aggratiandi***, ùt ***art. præcedente*** explicatum eſt, ut nullò in caſu veniam, & impunitatem concedere poſſint, neque tunc, quando non eſt ſecuta pugna, aut cædes; nam præterquam, ***quòd in pœnis benignior ſit interpretatio facienda***: (a) videtur, quòd lex hæc, ſi omnem facultatem aggratiandi excluderet, futura non eſſet ſatis rationabilis, & læſura foret jus Magiſtratibus aliunde competens ex naturali æquitate. Jam verò ***placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe æquitatis, & juſtitiæ, quàm ſtricti juris rationem.*** (b) Item in omnibus quidem, maximè tamen in jure, æquitas ſpectanda eſt. (c) Unde admitto ***aliquam moderationem***: ſed tantùm ***judicio prudentum non intereſſatorum***, ùt loquitur GOBAT, notóque quòd varii generis ***intereſſati*** dentur. Aliqui capiuntur lucro, aliqui obſequiis, & laudibus, aliqui ſtudio partium, aliqui mira æſtimatione Nobilitatis, alii affectu erga agnatos: alii denique ***intereſſatorum*** commendationibus, aut ſtudio eisdem placendi; & ſi quæ ſunt aliæ humani judicii decipulæ. Hæc de pœnis ſtatutis in negligentes Magiſtratus: apud quos tamen honeſtas, & recta ratio præ omni pœna valere debet, niſi faſtigio, quo collocati ſunt, indigni audire velint.

## §. II.

### Pœnæ Magiſtratuum negligentium applicantur caſibus particularibus.

524. ***Septem Caſus Duellorum permiſſorum, vel non impeditorum.***
525. ***Quatuor caſus duellorum non ſatis punitorum.***

524. QUòdſi jam doctrinam, ex fonte triplici hauſtam, exemplis oporteat declarare, non referam facilè caſus alios, quàm fictos, tres priores ſi excipias. Si Lector factos quosdam noverit meis fictis ſimiles, in culpa non ero. Judicium itaque meum ita proferam, ut neque in

(a) R. J. 49. in 6. (b) L. 8. C. de Judic. (c) L. 90. ff. de R. J.

in quemquam dirigam telum : neque aliter sentiendi libertatem ereptam velim. Præmitto casus duellorum *permissorum* : sequentur casus duellorum *non punitorum*; in utrumque enim hocnegligentiæ genus statutæ sunt pœnæ Ecclesiasticæ.

Inprimis illum Principem, de quo Gobat refert (a) quòd non solùm laudaverit provocantem : sed hunc, dum nolentem comparere baculo percussit, equo donaverit in præmium veluti rei præclarè gestæ, hunc, inquam, non dubitamus meritum fuisse pœnas Ecclesiasticas omnes.

Secundò : ægrè etiam ille Senatus bellicus impunè abibit, qui centurioni, dum baculo à quoquam percussus opem imploraret, rescripsit, sibimet prospiceret, se cogere non posse milites, ut communia cum ipso munia obeant. *vid. n.* 281. nisi fortè ad majora mala evitanda, minus permittendum duxerit Senatus ille. Quæ tamen secutura graviora mala non satis ego perspicio, si recolo ea remedia, & Principum in Edictis suis studia, quæ satis amplè recensui alibi, scilicet *Cap. II. vid. etiam n.* 510.

Tertiò : Minùs à pœna Ecclesiastica immune pronuntiare velim factum illud (Principis id fuerit, vel Senatus sui) dum interfectori, postquam peracto duello, ad quod provocaverat, injuriâ non nisi per malignam interpretationem affectus., aliquamdiu in asylo latitaverat, centuriam interfecti attribuit, cui pridem is inhiaverat. Equidem ordo eum ad centuriæ præfecturam vocabat, utpote primum ex subcenturionibus ejus legionis : at an duellum facta cæde nihil pœnæ merebatur?

Quartò : Alius ille Magistratus, vel Princeps, de quo finxi N. 509. quòd provocatum ab extero ad urbem neutrarum partium ire jusserit, ac exigere, ut ibi provocans demonstret, vel in caupona coram teste sibi adjuncto, vel coram Prætore in curia, se esse fungi hominem, ùt exprobraverat, hic, inquam, Magistratus, cùm videatur, vel *tacitè permisisse duellum*, vel saltem *pro viribus non impedivisse*, ægrè pœnas canonicas evaserit, nisi fortè bona fides excusaverit, quam colligere datur ex illo qualicunque conatu, quo studuit remedium quærere provocato, legioni tumultuanti mitigandæ sufficiens.

Quintò

(a) Theol. experim. p. 1. edit. 2. tract. 7. cal. 18.

Quintò: Fuit Tribunus legionis cujusdam, qui conquerenti de accepta à commilitone injuria, adductis aliquantum humeris, respondit: *amice, faciliùs tu, quàm ego huic rei exitum invenies*, & sic à se dimisit. Dum ei à viro probo scrupulus injiceretur, eò se excusavit, quòd qualicunque sua authoritate, & imperata satisfactione aliud præter risum obtenturus fuisset nihil apud legionem in duellum obstinatam, neque sperare altioris judicii auxilium licuisset. Si quidem veritate nitatur hæc excusatio, Tribuni negligentia tanta vix fuerit, credo, ut pœnas Ecclesiasticas fuerit promerita.

Sextò: Certiùs eas promerentur Præfecti illi militares, qui in loco publico, ubi miles disponitur, in stationes successurus, duellum spectant, si quidem eum modum approbent, vel foveant. *vid. n.* 508.

Demum septimò huc referri potest celebre illud dubium: an suprema potestas possit duobus ad mortem damnatis imperare duellum ad recreandos spectatores. Videtur esse licitum, quia hoc aliud non est, quàm constituere alterum alteri justitiæ ministrum. At meritò id negant communiùs Authores; quia ejusmodi Princeps potestate sua abuteretur ad delectandos homines crudeli hoc spectaculo, à quo probæ mentes abhorrerent. Data tamen hac facultate, reus uterque licitè pugnat, tum ut agat ministrum justitiæ, tum salvandæ vitæ gratiâ antagonista superato: modò caveant sibi ab odio.

525. Octavò: Cùm pœna Ecclesiastica non tantùm in eos Magistratus, & Principes lata sit, qui duellum permittunt, & non impediunt; sed etiam in eos, qui post admissum *veniam, vel impunitatem concedunt*, (sine gravi scilicet causa *juxta n.* 523.) dubitari potest, an sufficienter puniti fuerint duo illi, quos equidem dignitate, aut nobilitate non admodum conspicuos, postquam tamen aliquamdiu secuti sunt castra, ad duelli facultatem evehit hodierni ævi persuasio. Unus levi perstrictus verbo, alteri à latere non discessit importunus exactor, donec eum vel invitum per ambages platearum ad aream pertraxerit, duellis sacram. Ubi etiam tulit importunitatis suæ prœmium, vulnera scilicet in vultu satis luculenta, quæ cæsim alter ei inflixit. Fingamus supremum Magistratum edoctum de facinore, aliam provocanti pœnam non indixisse, quàm ut curaret sua vul-

 nera,

nera, quæ pro merito retulisset. Fingamus Principem, de miti nimiùm sententia monitum, etiam officio uno, (geminum possedisse statuamus) eóque satis pingui, exuisse reum. Dubitatur, num Magistratus fulmen Ecclesiæ evaserit? Item num Princeps? Magistratum incurrisse satis certum est; quæ enim pœna, quòd pati debeat vulnera accepta in facie sine vitæ periculo? hanc pœnam injunxit provocatus; quid ergo fecit Magistratus? Principem faciliùs excusarem, nisi fortè in sua provincia duellum, etiam non secuta cæde, sub capitis pœna, vel exilio prohibitum per leges sit, à quibus sine gravi ratione deflectere non liceat.

Nònò: Fingamus, virum Equestrem, admissæ turpissimæ culpæ à Clito insimulatum, hunc ad duellum provocâsse, quod dum is, utpote cum infami inire recusaret, alter ad judicium provocat, actionem injuriæ intentans. Admissa est actio contra Clitum; quæritur num bene? Videtur, quòd non; eo quòd actio neganda sit ei, qui authoritate privata præoccupare voluit officium judicis, non sine hujus contemptu. Venisset, antequam provocaret, quamprimum injuriam acceperat. Actionem certè ejusmodi homini negant Edictum Coloniense, Palatinum, Bipontinum, Saxo-Gothaicum, Lotharingicum, Megalopolitanum, & complûra alia, quin ipsa æquitas naturalis. Docet CARPZOVIUS (a) per retorsionem tolli actionem injuriarum; si enim injuriam passus per retorsionem eandem repulerit, sibi ipsi in causa sua jus dixisse videtur, & indignus est, ut legis, aut Magistratûs opem sentiat, qui jus dicentis authoritatem, quam implorare debuerat, neglexit. Quòdsi sola *retorsio* quemquam actione reddit indignum, multo magìs *provocatio* id faciet.

Sed, quæres, quid ergo agat miser, infami nota conspersus, quò se convertat? vel in judicio absolvi debebit, vel ultro armatus irruere in Clitum. Ajo, si, actionem negante Prætore, suæ sibi innocentiæ sit conscius, subornet quempiam, qui ex indiciis illis ipsis, quibus Clitus se induci ad exprobrationem est passus, apud judicem eum denuntiet. Judicis tum erit inquirere, & trutinare suggesta indicia: quæ si minus ponderis

(a) Jurisprud. Forens. p. 4. Constit. 46. defin. 10.

ris habere deprehendantur, & declarentur, satis erit consultum honori. Neque *denuntians* inde quidquam damni capiet, veluti accusator solet capere, si in probatione succumbat; denuncians enim non tenetur se inscribere ad pœnam talionis, aut ad causam plenè probandam, ùt docent passim Doctores (a). Quod autem judices illos attinet, qui post factam provocationem adhuc admisêre actionem, si quidem etiam apud illos extitit edictum id vetans, malè egerunt contra debitam legibus observantiam: nec tamen pœnas Ecclesiasticas meriti sunt; eo quòd duellum neque permiserint, neque veniam & impunitatem eidem concesserint.

Decimò: At tales ego judices eximere nolim, qui pœna fermè nulla afficerent provocantem, contenti, quòd ex provincia abiret aliò terrarum, quò eum negotium quoddam vocat, cujus tamen tanta erat audacia, ut post litem suam in judicio decisam, & pronunciatam sententiam adversarium nihilominus gladio adoriri non sit veritus, quamvis fide jurata in judicio promiserit, id se non facturum. Gravissimæ consequentiæ hoc crimen est; si enim post supremæ potestatis sententiam pugnare adhuc pro honore necesse ducitur, frustra laboratur tollendis duellis, desperatus est morbus, cui tollendo unicum, quod superest remedium, non sufficit. Gravissimè itaque puniendum erat crimen, nec ferendum, ut tanta authoritas ludo haberetur. Peccârunt itaque: Pœnas tamen Ecclesiasticas non contraxerunt; quia *duellum* non erat, sed aggressio ex una, defensio ex altera parte: itaque *rixa* erat, quam impunitam dimiserant.

Undecimò: Fingendus adhuc casus unus est. Camillus & Hector, egregii bello duces, sua quilibet dignitate conspicuus, subita æmulatione collisi sunt. Camillus enim in rebus ad munus suum pertinentibus, ulla ab Hectore jussa accipere detrectavit, ob, nescio, quam antiquioris juris prærogativam, donec supremus Princeps pronuntiavit editâ sententiâ, ut dependeret Camillus ab imperio Hectoris. Ille irritatus hac sententia per Epistolam Hectori animum suum graviter exacerbatum exposuit. Hector lectæ epistolæ responsorias dedit, in quibus, invidiam à se amoliturus, sententiam Principis objecit. Cùm tamen Epistola Camilli etiam personam Hectoris videretur perstringere, addidit hic in responsoriis suis: *si de cætero,*



(a) vid. *Reiffenstuel* tit. de accus. & inquis.

*tero, quid sua persona vellet, sciret se nihil metuere.* Aliquot post dies, dum nihil minus opinatur Hector, Camillus adest, ad duellum provocat. Pugnatum fuit non segniter. Levi tamen vulnere finita est pugna. Admonitus Princeps, utrumque domi se continere jussit, donec post aliquot dies causa ventilata, & decisa fuerit, eâ clementiâ, ut Camillo, utpote magis reo, scripta fuerit levis objurgatio, de reliquo nihil ei fortunarum, aut gratiæ decessisse notatum fuerit. Dubitari in conficto hoc casu posset, an non judices nimis clementes hoc sibi judicio pœnas Ecclesiasticas sint promeriti, quia *post admissum crimen veniam, & impunitatem concessêre.* Vel si levis objurgatio, data Camillo, pœnæ nomine venit, aut domestica custodia per se servanda, donec post pauculos dies causa examinaretur, videtur ea pœna delicto nimiùm quantùm inferior, præsertim in iis Provinciis, ubi supplicium capitale statutum est in duellum etiam non secuta cæde. Delictum Camilli ex eo quoque crescit, quòd propter *subordinationem* per supremi Principis decretum expressè *definitam*, irritatus provocaverit. Nec dici potest, quòd contra privatam Hectoris personam se vindicaverit; ab hac nihil injuriæ acceperat; verba namque in responsoriis scripta non provocantis erant, sed virtutem profitentis. Videntur ergo hìc locum habere Ecclesiæ fulmina, & sententia Gobati, recitata *n.* 523.

Et profectò, quamdiu præsens negotium intra fictionem consideratur, vix est excusationi locus super. At si revera aliquando ita contingeret, ut tali duello talis sententia daretur, tunc crederem ego (saltem si judices scirem viros esse, alioquin integros, & conscientiæ rectæ) crederem, & mihi persuaderem, gravem causam eos habuisse tam mitis sententiæ. Novi siquidem ex Carpzovio (a) tredecim dari causas, ob quas pœna possit mitigari, scilicet ætatem teneram, senectutem, & corporis debilitatem, insaniam sive phrenesim, ebrietatem, surditatem in muto, calorem iracundiæ subitum, delicti incertitudinem, promissionem mitigationis factam ad eliciendam confessionem spontaneam, diuturnam captivitatem, intercessionem puellæ reum condemnatum petentis in matrimonium, peritiam vel insigne artificium delinquentis. Unam ergo harum causarum adesse toties crederem ego, quoties à viris probis tam lenem sententiam ferri cernerem.

Causa

(a) Pract. Crim. p. 3. q. 143.

Cauſa decima tertia, eſt Nobilitas: ſed præterquam, quòd hoc cauſæ genus prudenti declaratione indigeat, non video, quomodo contra leges duelli patrocinari Nobili poſſit; cùm hæ leges utique, non pro ruſticis & plebe, ſed ſi non unicè, certè potiſſimùm pro Nobilitate ſint ſcriptæ, vel pro iis, qui Nobilium jure gaudent. Aliud foret, ſi Nobilitati accedant collecta à reo præclara in Rempublicam merita. Hæc in caſu noſtro, ſi adfuiſſe fingamus, minùs poterimus condemnare judices. Quidquid ſit, ego, in quocunque caſu Magiſtratuum judicia ſemper in melius ſtuderem interpretari, niſi fortè in ſacro tribunali ea mihi dijudicanda eorum quis afferret.

Duodecimò: Princeps quidam Eccleſiaſticus Germaniæ admonitus de injuria, ab Aulico uno illata alteri, & futuro duello, id reſpondere ſatis habuit: Væ illis, ſi in territorio meo pugnent. Mediæ horæ itinere in alienam ditionem egreſſi, patratâ pugnâ, rurſus impunè in aula comparuerunt, provocans quidem eadem die, provocatus autem poſt triduum curato levi vulnere. Facilè ex dictis patet, an officio ſuo ſatisfecerit Princeps. Diſſimulavit crimen; quia *alieno* patratum *in territorio.* At ſui tamen fuerunt, & manſerunt ſubditi, qui crimen admiſerant. Quæſo, an etiam impunitos reliquiſſet, ſi rapinas & adulteria *in alieno territorio* exercuiſſent? Igitur pœnas incurret non tantùm aliis Principibus communes, ſed & eas, quas in Clericos ſpeciatim latas à *n.* 434. recenſuimus, id quod colligo *ex Clementinæ Conſtitutionis* §. *II. VI. X.*

Decimo tertiò: Punivit alicubi Magiſtratus ipſos pugiles poſt admiſſum duellum, juxta Edictum eo in loco promulgatum & receptum: pœnam tamen Patrinis non indixit, quamvis etiam his in eo edicto pœna peculiaris dictata extet. Dubium non eſt, quin hi Patrini peccârint graviter, & pœnas Eccleſiaſticas incurrerint *vid. n.* 37. At illud quæri poteſt, an Magiſtratus eisdem pœnis obnoxium ſe reddiderit, *dum poſt admiſſum crimen Patrinis veniam & impunitatem conceſſit?* Reſp. quòd non; quia in Conſtitutione CLEMENTIS §. *X.* damnantur *veniam, & impunitatem concedentes:* & tum primùm §. *XI.* Pontifex deſcendit ad actiones ſecundarias, inter quas etiam eſt agere Patrinum.

# ARTICULUS V.

## *An contra pœnas civiles sacro Asylo gaudeant rei de Duello?*

NEgat hoc Barbosa (a), asserunt alii. Itaque ut nihil desiderari patiar in præsenti opere meo, quod ad materiam de Duello pertinet, etiam de Asylo dicam, ad quod monomachus confugere solet, qui in duello vulneratum à se non leviter adversarium notat; commune enim hoc est horum Heroum receptaculum, timentium sibi à vindicante justitia. Id quoque sæpe accidit, ut Curia sæcularis, militaris præcipuè, Asyli sacrum jus turbidè invadat verbis, factisque. Itaque §. primo dabo prænotanda necessaria. Secundo, quæram, an duello Asylum bene neget Barbosa. Tertio: an etiam post Constitutiones Benedicti XIII., & Clementis XII. Asylum pateat duello lethali. Quarto: quid singulariter novissimè statuerit Benedictus XIV. Quinto: an justa querela contra asylum locum habeat?

## §. I.

### Prænotanda Necessaria.

526. *Definitio Asyli explicata*, 527. *Applicatur Duello.*

526. PRimò: Jus Asyli, spectans ad immunitatem *Localem* Ecclesiarum, dicitur privilegium locis, ad Dei cultum ordinatis, concessum, vi cujus rei ad illa confugientes sunt securi, nec per violentiam inde abstrahi possunt (b). *Per loca ad DEI cultum ordinata* intelliguntur templa etiam nondum consecrata, & benedicta, etiam templi atrium, & quidem ad triginta in minore Ecclesia, vel ad quadraginta passus in majore, quod tamen contrario usu in plerisque abrogatum esse censet Pignatellus (c): item cœmeterium, quamvis templo non sit contiguum, Monasteria, & Domus Religiosorum, horti, areæ, ædes, scholæ, intra septa Monasterii existentes: Oratoria, & Capellæ authoritate Episcopi Divino cultui in perpetuum

(a) Jur. Ecclef. l. 2. c. 3. n. 101. (b) Ex Cap. inter alia. de Immunit. Eccles. (c) Tom. 6. Consult. 25.

petuum dedicatæ, etsi in privatorum ædibus erectæ sint. *vid.* Delbene (a). *Per Reos* intelligimus eos, qui facinus ejusmodi commiserunt, ut propterea mortem, vel mutilationem sustinere deprehensi debeant, vel certè timere: vel etiam pœnam morti aut mutilationi æquivalentem, vel carcerem molestum & perpetuum, aut valde diuturnum, triremes, longissimum exilium, aut tam dirum verberationis genus, quod hominem reddat ineptum ad lucrandum victum. Ubi non est certa pœna statuta in delictum, sufficit, quòd reus exspectare debeat incertam sententiam, dictaturam certè pœnam oppidò gravem. Sunt *securi* in Asylo, hoc est, reus in loco Asyli jam constitutus non potest alligari vinculis, nec aliter vexari, nec potest ei negari victus, aut requies, aut vestis, nec inferri ullum damnum (b). Nec *per violentiam inde abstrahi possunt.* Hinc judex sæcularis mandans extrahi ex Asylo aliquem, eo gaudentem, ministri etiam extrahentes, & quicunque suam conferentes ad id operam non solùm peccant graviter contra Religionem & justitiam, sed etiam incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, à qua non sunt absolvendi, nisi restituant priùs extractum loco suo (c). Dixi, *Asylo gaudentem* si extrahant; quòdsi dubium sit, an delictum tale sit, quod gaudeat Asylo, vel an sit exceptum, de quibus *vid. n.* 530. extrahi non potest, nisi antea Episcopus fuerit requisitus, & sententiam dixerit. Plura de hoc, & de modo tradendi reum judici laico, patebunt legenti Constitutionem Gregorii xiv., & Benedicti xiii., de quibus paulò pòst: item mandatum novissimè editum in Diœcesi Augustana (d).

527. Unde hæc ut rite applicentur duello, considerandum inprimis veniet, an commissa pugna, non rixa potiùs, quàm duellum fuerit; nam rixa si fuerit, & facta sit cædes, faciliùs reus gaudebit asylo, saltem extra ditionis Pontificiæ terras; in rixa quippe cædes non fit animo adeò *præmeditato, ac deliberato.* Tum si duellum revera fuerit, sed sine cæde, videndum, quæ pœna in ejusmodi duellum lata sit in ea provincia: si pœna capitalis, vel alia admodum gravis, quales *numero præcedente* recensuimus, asylum patebit. Idem dico de sola provocatione, & de actionibus secundariis patrinorum, deferentium libellos provocatorios &c., nisi argumentum Barbosæ, paulò pòst discutiendum, prævaleat. Quòdsi denique cædes secuta primùm post unum, alterúmve diem fuerit, & pœna capitalis, aut ferme æquivalens in solum duellum

(a) De Immunit. Ecclef. cap. 16. dubit. 9. (b) Leg. 6. C. de his. qui ad Ecclef. confug. c. diffinivit. XVII. q. 4. (c) Cap. cit. (d) An. 1748. 5. Maii.

duellum lethale lata sit, attendendum erit, an mors sit secuta ex vulnere, & intra quale temporis spatium. *vid. n.* 460.

## §. II.

### An Duello Asylum bene neget *Barbosa?*

528. *Sententia* Barbosæ *explicatur.*
529. *Refutatur ejus ratio prima.*
530. *Et secunda.*

528. Augustinus Barbosa, celebre inter Jurisconsultos nomen, ita docuit. " Qui se simul ad rixam provocaverint, & duellum indixerint, immunitate minimè gaudent; quis enim dixerit, Excommunicatos, & ab Ecclesia dejectos, quibus sacræ sepulturæ loco interdicitur juxta Tridentinum, eos Ecclesiæ posse perfrui immunitate, quos nolit mortuos intra Ecclesiam, vel cœmeterium sepeliri? quòdsi mortuos Ecclesia à sacro loco depellit, & exhumari jubet, quis vivos illos subterfugio gaudere affirmet? Idem dicendum puto, cùm duo simul decertantes se certo in loco ad duellum provocarent, & alterum unus occideret; nam animus occidendi præmeditatus adest, qui, si veriorem sequamur sententiam, solus sufficit, ut quis Ecclesiæ immunitatem amittat. Ita ille. Ex quo colligitur, quòd Asylum neget non ei tantùm, qui in duello cædem commisit: *sed & provocantibus, & duellum indicentibus;* idque ex ratione gemina; quia scilicet excommunicati ipsa sepultura sacra excluduntur: ergo multo magis asylo, tum quia præmeditatum ejusmodi homicidium immunitatem amittit.

529. Sed non persuadet gemina hæc ratio; nam primò, quamvis excommunicationem incurrant, & sepultura priventur rei de duello, non sequitur, quòd etiam priventur asylo; satis quippe receptum est, quòd etiam Excommunicati, aut interdicti ab ingressu Ecclesiæ, utut publicè denuntiati, asylum habeant, juxta Sylv. Navarr. Ang. Arm. Delbene. (a). Ipsos hæreticos, alterius criminis, quàm hæreseos reos, gaudere asylo docent multi apud, & cum Delbene (b), quin ipsos non baptizatos Judæos, & Saracenos admittunt, si verè ad Christiana Sacra converti velint; quia scilicet non est indecens, ut benigna Mater Ecclesia etiam cuidam indigno favorem

(a) Apud *la Croix* l. 4. n. 1393. (b) Tom. 2. C. 16. dub. 22.

vorem concedat. Potissima autem ratio est Constitutio Gregorii XIV. ejusmodi reos non excludentis.

530. Ex qua ipsa refellitur argumentum secundum Barbosæ. Sic enim arguo: De jure communi facinorosis omnibus competit asylum, nisi crimen exceptum sit: atqui nec provocatio, nec ipsum duellum, nec patrata in eo cædes crimen est exceptum, privans asylo: ergo gaudent asylo. Non censentur alia excepta, quàm illa octo, contenta in Constitutione Gregorii XIV, (a) quæ hac in materia jus novissimum constituebat tempore Barbosæ, & in qua hæc legere est: *Laicis ad Ecclesias, locáque sacra confugientibus, si sint publici latrones, viarúmque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur; aut depopulatores agrorum, quíve mutilationes membrorum, aut homicidia in ipsis Ecclesiis, earúmque cæmeteriis committere non verentur: aut qui proditoriè proximum suum occiderint; aut assassinii, vel hæresis, vel lesæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.* Nihil in hac exceptione de duello. Cædes etsi sequatur, non erit *ex proditione;* ille enim occidit proditoriè, qui per insidias, & sub specie amicitiæ occidit incautum, sive nihil potentem sibi cavere. Præter hæc crimina autem nullum aliud, quamvis atrox, privat asylo juxta constitutionem Gregorianam; quia hæc voluit omnia, in materia immunitatis occurrentia dubia tollere, atque velut norma reducere omnia *ad unam tantùm formam*, statuens, ut sola enumerata octo delicta privent asylo, *non alia, etsi æquipolleant in jure expressis, vel adsit paritas, identitas, aut majoritas rationis.*



(a) *Cùm alias.* edita Anno 1591.

## §. III.

### An etiam post Constitutionem Benedicti XIII. & Clementis XII. Asylum pateat Duello lethali?

531. *Intra Diæceses, quarum Episcopi interfuerunt Concilio Romano, non patet.*

532. *Extra Italiam valet sententia* Pichleri.

533. *Cui aliquot notationes subjungimus.*

531. Benedictus XIII. piissimæ memoriæ Pontifex, postquam Concilium Provinciale in Ecclesia Lateranensi, utpote hujus Patriarcha, anno MDCCXXV. celebraverat, Constitutionem edidit (a), in qua inter alia nova delicta, asylo privantia, statuit primo mox loco: *si quis interficiat proximum animo præmeditato, ac deliberato.* Arctiores ergo limites asylo posuit, ac antè posuerat Gregorius XIV. utpote qui solum homicidium *proditorium*, non verò etiam id, quod sine proditione animo præmeditato, ac deliberato fit, hac immunitate excluserat. Inde colligo, duello *lethali* non patere asylum sacrum: id est, eo non gaudere, qui alterum in duello interfecit, quæ cædes utique fit animo *præmeditato, ac deliberato.* Vel enim pactio de levi tantùm infligendo vulnere præmissa non fuit duello; vel si præmissa fuit, futilis erat, & pro non adjecta habenda, *ut Cap. sequente* patebit. Quòd si ergo quis pugnando locum quærat vulneri, parum sollicitus, & prorsus incertus, an vulnus lethale sit futurum, nec ne: quin etiam animo ita sit comparatus, ut lethale quoque vulnus dare non abhorreat, modò possit dare, vel si aliud commodè dare non possit; quis neget, hunc *præmeditato, ac deliberato animo*, adhibita omni dexteritate, ac robore suo, vitam alteri eripere? Et tamen ita animo comparati solent esse monomachi. Quod tanto magis verum est de eo, cujus voluntas in lethale potiùs, quàm levius vulnus fertur. Homicidium ergo in Duello patratur animo *præmeditato, ac deliberato.* Et hæc ipsa est ratio, quòd omnis ætas, & omne tribunal pugilem ejusmodi, qui antagonistam duello occidit, pro vero homicida habuerit. Dubium videtur omnino tolli per Constitutionem Clementis XII. (b), ubi asylo excluduntur, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisset casuale, vel ad-

(a) Quæ incipit: *Ex quo Divina &c.* inserta Concilio in appendice. (b) Quæ incipit: *In supremo justitiæ solio* An. 1734.

ad propriam defensionem. Jam verò *rixa* minus quid est, quàm *duellum* (*vid. Cap. I. Art. I.* §. 2. 3.) Ergo duello multo minùs favet Constitutio.

532. At cùm hoc Concilium Romanum à Benedicto xiii. celebratum, *particulare* tantùm fuerit, qualia nullos fidei articulos definire, neque statuta; ac morum decreta pro universali Ecclesia condere possunt, nisi à Pontifice approbata, & recepta fuerint pro tota Ecclesia: item cùm ea, quæ per Clementem juris communis, & Gregorianæ, ac Benedictinæ Constitutionum sanctionibus addita fuerunt, ultra fines (verba recito Constitutionis Benedicti xiv.) temporalis dominii Apostolicæ Sedis minimè extendantur, quæritur jam, an homicida monomachus hodie extra Italiam in terris nostris excludendus asylo sit?

Ad hanc quæstionem Respondet P. Pichler (a), sequentem in modum: "Hæc Constitutio Benedicti xiii. sicut in his nostris partibus, quantum " mihi constat, specialiter promulgata non est, ita, an recepta sit, aut in " usum deducta, dubito, sicut tamen in praxi observatam fuisse scio Con- " stitutionem Gregorianam,, (quæ scilicet hunc homicidam non excludit.) "Unam tamen scio Diœcesin, in qua conformiter dictæ Bullæ binis vicibus " Episcopi authoritate ex asylo extraditi sunt, qui homicidium præmedita- " tum commiserant.,, Sic dictus Author in suo præclaro compendio. Geminum hunc casum clariùs recenset in suo *Jure Canonico practicè explicato.* (b). "Venit ad me, inquit, Reverendissimus quidam Vicarius Generalis " vir magnæ doctrinæ, dicens, se Constitutionem Benedicti xiii. novissi- " mam secutum, jam duos extradidisse ex asylo Curiæ sæculari: num bene? " hoc ex me cupere eum intelligere. Reposui, ipsum omnino potuisse hoc " facere: at obligatum non fuisse juxta meam doctrinam, qua trado, " Bullas Pontificias novam legem ponentes, non obligare in Provinciis, " in quibus promulgatæ non sunt debito modo, præsertim pœnales, cor- " rectorias, & revocatorias, qualis est ista Benedictina.,, Tum recenset longam disputationem, in quam cum Vicario Generali incidisset, circa necessitatem promulgationis faciendæ etiam in Provinciis.



(a) Comp. Jur. Can. l. 3. tit. 49. N. 6. (b) Lib. 5. tit. 37.

Demum iterum concludit: " Vicarium potuisse hoc facere : sed " non fuisse obligatum; quia existentes in cæteris Provinciis nullibi pro- " hibentur acceptare legem Pontificiam, apud se non promulgatam : si- " cut etiam non jubentur acceptare. Ergo licitè potuit (citra obligatio- " nem tamen) iste Reverendissimus ultronea acceptatione sequi Constitu- " tionem, Romæ, & postea per Concilium in tota Italia debito modo pro- " mulgatam. Ac certè, si fuisset causa Romam, & ipse propterea dela- " tus, vicisset, ac ibi apud legitimum judicem assistentiam invenisset pro " foro externo, ac proin etiam in interno tutus fuisset, sicut tutus fuit " extradendo.

533. His doctissimè disputatis liceat subjungere quatuor annotationes.

Primò : Etsi promulgatio Romæ facta sufficeret ad obligationem inducendam in Provinciis, necdum tamen obligatus fuisset Vicarius, ut reum asylo excluderet; quia non constabat adhuc, an eam legem per quasdam Provincias Italiæ promulgatam, Pontifex etiam voluerit ad reliquum orbem propagare; potest enim quandoque rationem habere condendi pro una tantùm provincia legem quamdam, præcipuè dum in Concilio non nisi Provinciali condit.

Secundò : In quibus Diœcesibus (audio in pluribus extra Italiam id jam esse factum) jam aliquoties *homicidio præmeditato*, & facto *animo deliberato* negatum fuit asylum, in iis negandum erit etiam posthac; lex enim, acceptata per usum, obligat. (a)

Tertiò : In quibus Diœcesibus recepta necdum est ea Constitutio, consultum erit recipere, præcipuè si necessarium credatur ejusmodi frænum coërcendæ licentiæ duellorum, qua de re etiam Principes, pro salute publica solliciti, laudabiliter consilia cum Episcopis communicabunt.

Quartò : Consultum erit in iis Diœcesibus, ubi Constitutio per usum recepta necdum est, eam promulgando recipere, antequam casus ejusmodi contingat; quòd si enim, occiso quodam per duellum, nobilis ejus familia apud Episcopum instaret, ne asylum interfectori detur, durum accideret reo, tum primùm per acceptationem Bullæ in ultimum discrimen conjici

(a) L. de quibus. 32. ff. de leg.

conjici. Jus quidem Episcopus semper habet Bullam acceptandi; at etiam ejusmodi reus jus se habere crederet exigendi, ut secum agatur secundùm usum, qui vigebat tempore commissi delicti,

## §. IV.

### Quid singulariter novissimè statuerit BENEDICTUS XIV.?

534. *Constitutiones præcedentes partim extendit.* 535. *Partim declarat.*

534. SApientissimus hic Pontifex, cujus *sapientia* in condendis decretis *est quasi arena in littore maris* (a), Constitutionibus Prædecessorum suorum novam Constitutionem addidit circa immunitatem localem (b), in qua præcedentes extendit

Primò: quoad *personas*; cùm enim GREGORIUS XIV. & BENEDICTUS XIII. de Laicis tantùm essent locuti, pòst CLEMENS XII. etiam Ecclesiasticos esset complexus, nunc Constitutione postrema etiam Regulares comprehendi declarantur, ut, si qui unquam (quod DEUS avertat) homicidium animo præmeditato ac deliberato patraverint, à beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ exclusi censeantur. Cavetur simul, ne quis mulieres, aut milites exceptos fore esse existimet.

Secundò: fit extensio ad *facta*, scilicet ad gravem etiam vulnerationem, ita ut ad perdendam asyli gratiam necesse non sit, percussum jam exspirâsse; modò Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor, è loco immuni servatis servandis extractus, carceribus mancipari permittitur; hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus à legibus constitutum superstes vivat, & quidem sub iisdem pœnis, quibus in BENEDICTI, & CLEMENTIS literis ii subjiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam sufficientibus sibi traditum restituere recusant, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.



(a) 3. Reg. 4. 29. (b) An. 1750. Idib. Mart. cujus initium: *Officii nostri ratio.*

Tertiò : Extenditur Constitutio etiam quoad *loca*, dum sic loquitur Pontifex : " Visum nobis est, eadem, quæ in hac materia à Præde-
" cessoribus nostris constituta sunt, ad alias quoque regiones, quarum su-
" premi Principes id postulâssent, opportunè ampliari posse. Itaque in
" Concordatis, tum quæ Anno MDCCXLI. cum charissimo in Christo Fi-
" lio nostro Carolo utriusque Siciliæ Rege Illustri : tum quæ anno se-
" quenti cum alio pariter charissimo in Christo Filio nostro Carolo Emma-
" nuele illustri quoque Sardiniæ Rege sancita fuerunt, contentas in Cle-
" mentis Literis dispositiones in eorundem Regum dominiis locum habere
" concessimus; mox etiam ad alia Principum id expetentium dominia
" peculiaribus respectivè editis literis, quarum exemplum videre est in
" *Tom.* i. *Bullarii nostri Constit.* LXXXVIII., quæ incipit : *Alias felicis*, extendi-
" mus, & ampliavimus. "

535. Constitutiones sic extensas etiam quoad quædam Capita declarat. Primò ait, equidem standum esse antiquo jure, ut scilicet causa extractionis è loco immuni in casu excepto ad solos Episcopos, aliósque Episcopis superiores Prælatos pertineat : sed quoniam nonnullæ querelæ super hoc delatæ fuerunt, quòd quædam Curiæ Ecclesiasticæ extractionem delinquentium diutiùs, quàm par est, protrahere consueverint, hinc monentur Episcopi, ut sufficientibus indiciis absque mora collectis extractio decernatur, & rei vel in Episcopalibus carceribus nomine Ecclesiæ detineantur, vel, si indicia adsint, aliàs ad torturam sufficientia, etiam ad Curiæ Laicalis carceres transferantur. Pro majore acceleratione permittit Pontifex, ut Episcopi, à loco delicti absentes, Vicariis suis foraneis, sive etiam aliis Ecclesiasticis personis committant indicia juridicè colligenda. Id præcipuè æquissimum Pontificis nostri animum declarat, quòd expresè dicat, Ecclesiastici zeli officium non in eo esse statuendum, ut justitiæ cursus per Apostolicas Constitutiones præscriptus adversùs facinorosos homines impediatur; sed in Ecclesiarum immunitate ac juribus asserendis, ubi hæc contra sacrarum legum præscriptum, violari contingat.

Declaratur secundò, quid agendum in casu, quo reus ex loco delicti confugit ad asylum Ecclesiæ in alia ditione, ex qua vi consuetudinis rei solent remitti ad locum commissi criminis. Scilicet si delictum juxta Constitutiones Pontificias pro excepto haberi debeat, mandat Pontifex,

ut

ut Episcopus ille, ad quem ratione loci delicti commissi id pertinere dignoscitur, indicia ad capturam requisita cumulari faciat, eáque transmittat ad Episcopum ditionis, intra cujus Jurisdictionis fines illius delicti reus asylum delegit, ut hujus Antistitis auctoritate, aliisque servatis servandis à confugii loco extrahi, ac si ita res feret, externæ postulanti Curiæ valeat consignari.

Declaratur tertiò, quòd ii, qui in spretum Ecclesiasticæ authoritatis, posthabito recursu ad Superiores Ecclesiasticos, loca immunia obsidere præsumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur, sive aliter in Curiæ sæcularis potestatem se dedere cogunt, quòd hi, inquam, iisdem pœnis subjaceant, quibus subjecti pridem fuerunt Curiæ sæculares, & Judices delinquentem sine interventu Ecclesiasticæ authoritatis capientes, extrahentes, incarcerantes, vel ad declarandum, crimina esse excepta, procedentes. Quibus ego tamen verbis non prohibitum existimo, custodiam aliquam loco immuni addere, ne interea, dum causam Episcopus cognoscit, elabatur reus; modò aliàs molestiæ nihil vel loco, vel reo inferatur, nec, recursu ad Superiores Ecclesiasticos posthabito, authoritas Ecclesiastica spernatur.

Hæc sunt, quæ circa asylum sapientissimè in Ecclesia constituta esse novimus, húcque pertinere existimavimus.

## §. V.

### An contra hoc Asylum justa querela locum habeat?

536. *Auditur querela.*
537. *Refellitur ratione, & demonstratur ulteriùs, quòd*
538. *Asylum non eximat reum penitus à pœna.*
539. *Nec sit confictum in favorem Clericorum.*
540. *Et quòd invalescente abusu, tolli, aut restringi possit.*

536. SUnt non rarò jurium Ecclesiasticorum vel imperiti quidam, vel osores, qui, nescio, quibus studiis ducti, improbare non verentur asyli securitatem, & cæde fors quadam in duello patrata, mox, ubi homicida in locum immunem se subduxerit, detonare in ejusmodi receptacula

cula audiuntur : longè prudentiùs acturi, si in duellum ipsum suam bilem exonerarent, nec defenderent ejus usum, unicam effusi sanguinis causam. Quòdsi iniquum ipsis non habetur duello congredi, quòdsi necessitatis titulo hanc pugnam excusant, quin & fortitudinis laude exornant, cur victori pugili securitatem invident, sacro in loco quam quærit? Fingamus ejusmodi convitiatorem, vel ejus amicum quempiam asylo egere, tunc, verso stylo saluberrimum hoc institutum appellabunt, quo consulatur reo, mala sorte redacto ad cædem humanam : at in causa aliena severi admodum sunt, damnantes uno halitu & reum, & jura Ecclesiæ.

537. Noverint ergo jus asyli esse antiquissimum, & coævum ipsis nascentis Ecclesiæ temporibus; quia GELASIUS Papa, (a) apertè pronuntiat, nec potestatibus, nec Principibus unquam licuisse, ut hominem in sanctuariis constitutum violenter abstraherent. Pontifex autem hic sedit ab anno 492. ad annum 496. Unde satis constat, quòd facta ab ARCADIO prohibitio anno 398., ne scilicet reus in Ecclesia securitatem haberet, necessariò immunitatem jam habuerit ante se : quamvis & hæc prohibitio brevì pòst revocata sit, (b) & ejus architectus Eutropius consilium hoc suum, velut alter Beryllus, luerit, abstractus ab aris, ad quas confugerat reus perduellionis. (c) Hoc jus asyli pluribus aliis in Conciliis confirmatum fuit, ab Aurelianensi sub HORMISDA Papa anno 514. Matisconensi primo sub PELAGIO II. circa annum 588. Moguntino anno 858. In duobus Conciliis posterioribus jam fuerunt excepta aliqua crimina, ne scilicet Ecclesiæ clementia abusu noceret. Demum hæc immunitas sacrorum locorum luculenter confirmata est ab Oecumenico Concilio Tridentino (d). Typum hujus immunitatis in synagoga jam invenimus, cui *sex urbes refugii* ipse DEUS designaverat, *ut fugeret ad eas, qui fuderit sanguinem.* (e)

Nolim equidem ex iis esse, qui ex asylo Judaico æquitatem hodierni asyli rectà probare contendunt; scio enim, quantum differant. Im-

(a) C. Frater. 10. XVII. q. 4. (b) L. 2. Cod. de his, qui ad Eccles. (c) vid. *Gothofred.* Comment. ad Cod. Theodos. leg. 16. & 17. de pœn. leg. 3. de his, qui ad Eccles. confug. (d) Sess. 25. Cap. 20. (e) Numer. C. 35. v. 6.

Impune erat Judæis, propinqui sui necem nece homicidæ vindicare, id est, ùt explicat CORNELIUS à LAPIDE, facti impunitatem in foro externo habebant; indulgendum enim aliquid erat impotentibus Judæorum animis, prurientibus in vindictam: ergo constituit DEUS has urbes refugii, ad quas, qui cædem talem admisissent, se reciperent, ut ibi laterent tuti, donec examinatâ causâ pateret, an deliberatè occiderint, vel casu fortuito, vel ad sui tutelam. Si hoc, remittebantur ad locum refugii, donec, Sacerdote magno mortuo, in libertatem liceret prodire: econtra occidebantur, si destinato consilio occidissent. Jam verò asylum Christianorum etiam his, qui destinato consilio occiderunt, patuit hactenus, saltem usque ad BENEDICTI XIII. Constitutionem. Ad hæc non sex solùm urbibus unius regionis, sed cuilibet loco sacro cujuslibet urbis est indultum toto terrarum orbe: nec soli homicidio, sed etiam criminibus aliis non exceptis. Unde colligere licet, exemplo veteris legis stabiliri quidem aliquem asyli usum: non tamen hodiernum, multo benigniorem.

At quid prohibet, in lege Gratiæ benigniùs agere? quid prohibet, Ecclesiis longè sacratioribus plus privilegii dare? Causa asylorum fuit, ait CORNELIUS à LAPIDE, reverentia templorum, & locorum sacrorum, atque ipsius DEI; dum enim domus DEI habentur Sacrosanctæ, celebratur ejus gloria, & majestas; secundò ejus misericordia, & benignitas commendatur. Hæc utique in lege nova multo magìs valent, ac valuerant in antiqua. Sileo morem gentilium, qui similem securitatem locis suis sacris concedere fas, & decens esse existimabant, ùt passim legere est. (a) Dum ergo præterea authoritas Conciliorum, & antiquissimarum legum, tam Ecclesiasticarum, quàm civilium hodiernæ asyli formæ invictum superaddit robur, parum curandi sunt oggannientes, herì nati blaterones.

538. Ajunt quidem, bonum publicum exigere, ut puniantur scelera: asylum esse inventum Clericorum, quo sibi authoritatem, & venerationem concilient: abusum hunc à florentissimis regnis vel admissum nunquam fuisse, vel eliminatum. Ut triplex hoc accusationis caput refellam,



(a) vid. Div. *August.* L. 1. de civit. C. 34. *Pausan.* l. 1. In Attic. &c.

Scito primò, Bonum publicum exigere quidem, ut puniantur delicta: at non ut puniantur *omnia*, & *semper*, & *morte nocentis*. Bonum publicum etiam exigit, reverentiam haberi locis sacris; *cùm summa sit ratio, quæ pro Religione facit* (a), neque enim per privilegium asyli tam reis, quàm locis sacris, favere cupiunt Pontifices. Unde nuper Cathedra Canonica Ingolstadiensis sapientissimè hanc thesin concertationi proposuit: (b) *Jus asyli tanquam privilegium favorabile, exigit latam interpretationem, quatenus cedit in favorem Ecclesiæ. Ubi autem solummodo agitur de favore Reorum, experimur recentiores Pontifices dubia inter Doctores exorta, identidem resolvere in strictiorem partem.* Dein ne quis putet, duella lethalia per asyli gratiam abire omnino impunia, perpendat, rogo, quid potestati Judicis laici liceat contra reum in asylo constitutum. Abripi ad carceres, & ferale pegma non potest, fateor: at potest reus citari, non comparens spoliari bonis, quæ habet extra Ecclesiam, dignitatibus, & officiis exui, proscribi patria. Potest etiam proferri sententia mortis, inferendæ, quandocunque extra asylum deprehendetur. Ita docent Authores plurimi (c). De proferenda tamen mortis sententia dubito: neque velim consuetudinem, si alicubi vigeat, laudare. Nihilominus pœnæ hæ tantæ sunt, ut fortè non majores statuerent multi Judices laici, si ipsi reum deprehendissent mox à commissa in duello cæde.

539. Scito secundò, Clericis, & Religiosis longè plus molestiæ, quàm commodi ex asyli gratia accedere. Militari custodia circumdantur eorum ædes: reum debent alere suis, vel Ecclesiæ sumptibus, si ex propriis alere se nequeat: in tricas molestas cum Ducibus militum incidunt, ut multa alia sileam. Unde nunquam audivi gratulantes sibi, dum hospes ejusmodi sacras fores pulsavit. Tradere petentibus reum non possunt, nisi Excommunicationem reservatam velint incurrere. (a) De favore ergo Ecclesiarum agitur, non Clericorum. Id tamen notari velim, si Clericis molestiæ inferantur, ad custodiam Rei non necessariæ, aut immoderatæ,

non

(a) L. 43. ff. de Relig. & sumpt. (b) Ord. 29. in Præcognit. Jur. Can. P. Xav. Zech.
(c) Apud *Delbene* de Immunit. Cap. 16. dubit. 31. n. 11.

non minùs violari immunitatem Ecclesiæ, ac si inferantur confugienti ad Ecclesiam.

540. Scito tertiò, si alicubi terrarum ex spe hujus immunitatis nimiùm invalesceret duellorum licentia, licebit Principi, aut senatui curare, ut vel restringatur, vel, si necesse sit, tollatur asyli favor, uti factum in Gallia novimus; Immunitas enim localis neque est juris naturalis, neque divini, uti major pars Authorum tenet. (b) Equidem ex utroque jure reverentia quædam locis sacris debetur: modum tamen venerationis definire situm est in potestate Ecclesiæ. Unde non video, cur non consuetudine, si hæc sit introducta, ùt debet (c) asyli favor restringi, vel tolli possit, saltem si introducta sit post Tridentinum, & Constitutionem Gregorii xiv.; hæc quippe videtur abrogare omnes præcedentes consuetudines (d). Securior autem modus ponendi limites asylo, seu potiùs hujus abusui, si fortè alicubi necesse sit, est, ut Magistratus, communicatis cum Episcopo consiliis, agat de acceptanda Bulla Benedicti xiii. hac acceptata monomachus, si cædem patraverit, asylo non gaudebit. Vel recurri potest ad summum Pontificem, cui *visum est*, ùt habent verba Benedicti xiv., privationem asyli, à Prædecessoribus statutam, *ad alias quoque Regiones, quarum supremi Principes id postulâssent, opportunè ampliari posse.* Quòdsi duellum, etiam non secuta cæde, sub pœna capitis, vel alia gravissima, lege civili esset prohibitum, & invalescenti temeritati frænum oporteret injicere, monendus, & rogandus esset ipsemet summus Pontifex, ut pro paterna sua vigilantia hoc effugium clauderet monomachis, vel tollendo id refugium ex toto in ea provincia, vel restringendo ad loca pauciora, vel alio, quo visum fuerit modo; Episcopus enim, quamvis potestatem habeat Bullam in Concilio Provinciali Romano editam adoptandi pro sua quoque Diœcesi: non potest tamen sponte sua aliud delictum ab asylo excludere, quod in ea Bulla exclusum non fuerit.

His omnibus probè notatis, perspicuum est, quòd de nostro Asylo justa querela locum non habeat.

Kkk 2 CAPUT

(a) Extrav. 3. de Pœnit. int. com. (b) apud *Delbene* l. c. dubit. 2. (c) in Cap. fin. de consuet. (d) *Delbene* l. cit. dubit. 6. 7.

# CAPUT X.
## DE DUELLO INNOXIO.

CAput ultimum supereſt, & breviſſimum. De rariore duelli genere agit, &, ſi non innocuo, ſaltem minùs noxio. *Innoxium* ergo dum dicimus, *minùs noxium* intelligimus; non enim ita ſanguinarium eſt, ut ad necem uſque graſſari velit. Frænare iram poteſt vel pactione, qua pugnam certis legibus *reſtringat*: vel mera *fictione*, qua ſeriò agere ſolùm ſimulet: vel etiam *abrumpendo* calentem pugnam, dum necdum lethale quid accidit. De his aget *Articulus primus.* Tum *altero Articulo* explicabimus aliud duellum, quod ſcientia Equeſtris Italica videtur habuiſſe pro innoxio.

### ARTICULUS I.
### *Explicatur Duellum triplici modo innoxium.*

SEcernere, & declarare dubia oportet, de quibus confusè, & ſparſim hinc inde variorum libri agunt. Itaque §. *primo* proponemus duellum innoxium, *ex reſtricto modo pugnandi. Secundo* innoxium *ex fictione. Tertio* innoxium *ex abruptione pugnæ.*

### §. I.
### Duellum innoxium ex reſtricto modo pugnandi.

541. *Explicatur varius reſtringendi modus.*
542. *Qui non excuſat in Civitate bene ordinata.*
543. *In Civitate malè ordinata eſt duellum reſtrictum licitum, quando non reſtrictum licitum eſt.*
544. *Et prohibitum, quando alterum eſt prohibitum.*
545. *Id quod etiam probatur ex Juris-conſultis.*
546. *Et occurritur objecto dubio.*

541. REſtringi pugnandi modus poteſt primò, ſi pactio ineatur à provocante, & provocato de dirimendo certamine, quamprimum alteruter vulneratus fuerit, aut ſanguine manaverit: vel ſecundò quamprimum

mum certus ictuum numerus utrinque fuerit vibratus, aut globorum numerus explosus : vel tertiò si spondeant mutuò se curaturos, ut vulnus non nisi leve detur. Si jam moveatur quæstio, quid sit sentiendum de ejusmodi duellis, restrictis ex modo pugnandi per pactionem statuto, distinguendum esse arbitror juxta statum Civitatis, in qua committuntur, an scilicet in statu *Civitatis bene ordinatæ*, ubi Magistratus, vel Princeps, læsiones honoris judicare, & læsos à damno servare vult, & potest : vel num in statu *Civitatis malè ordinatæ*, ubi tale præsidium in Magistratu, & Principe invenire non est, de quo statu gemino utique sat multa hactenus diximus.

Dico primò: In statu Civitatis *benè ordinatæ* ejusmodi duella illicita sunt. Ratio prima est; quia damnata sunt in Constitutione Clementis VIII. (a) dicentis: *iisdem pœnis, decreto, & constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sunt de dirimendo certamine, cùm primùm alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit.* Ratio secunda reprobans etiam tertium casum, quo promittunt se curaturos, ut non nisi leve detur vulnus, petenda est ex §*o sequente*; nam argumentum, quo ibi impugnatur duellum innoxium ex fictione, etiam huc quadrat. Ratio tertia occurrit in conclusione proxima, qua probamus, ea duella etiam in ipso statu Civitatis malè ordinatæ esse ùt plurimùm illicita. vide n. 544. Nec dubito, quin hæc duella Excommunicationi subjaceant, primus enim & secundus casus clarè exprimuntur à Pontifice : tertius quamvis non ita expressus sit, verè tamen duelli, & quidem illiciti rationem habet.

543. Dico secundò : Quando in Civitate *malè ordinatâ* sub certis *circumstantiis* licitum est duellum ex toto serium, nullo pacto restrictum, e. g. dum agitur de servando non tantùm honore, sed etiam necessaria sustentatione (*vid. Cap. IV. & V.*) tunc etiam licitum est duellum restrictum modo triplici recensito. Ratio clara; quia dum licet majus, licet etiam minus.

At de eo dubitari potest, an non duellum ita restrictum possit esse licitum, quamvis in iisdem circumstantiis duellum, hac restrictione



(a) §. 9.

carens, esset prohibitum; cùm enim sit minus, non semper erit prohibitum, quando prohibitum est majus. Nihilominus

544. Dico tertiò: Quandocunque prohibitum est duellum ex toto serium, nullo pacto restrictum, etiam prohibitum est duellum dictis tribus modis restrictum; nam primò si pactio præmittitur de certamine dirimendo, *quamprimum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit*, fateor, equidem hæc pugnandi ratio ita crudelis non est, ac alia, sine limite, ac ulla moderatione grassans in vitam hominis, aut nolens desistere, donec unus pugilum prostratus herbam mordeat: satis tamen infestum est pretiosæ vitæ, & membrorum integritati; quia utique res incerta est, an non primum vulnus lethale, aut an non saltem admodum nocivum nobilioribus partibus, aut uni sensuum sit futurum. Pugiles certè feriunt, ùt possunt, &, qua data porta, irruunt in adversum corpus, malentes prævenire, quàm præveniri.

Secundò: etiam ea pactio, ut cesset pugna *post certum ictuum, aut globorum numerum*, etsi quandoque vitam servare possit, huc tamen nihil facit, quia jam primi ictus, globíque possunt esse fatales, vel valde noxii, ùt mox pluribus dicemus.

Tertio: Inane etiam pactum est, *de non dando alio vulnere, quàm levi*; difficillimum quippe est, in medio pugnæ discernere, num rima, quæ patet, ad nobiliores corporis partes gladium ductura sit, vel minus nobiles. Quis adeò dexterè jaculari norit, ut securus sit, se, currente etiam equo, non aberraturum aliquot transversis digitis? audivi ex non uno in hac palæstra versato, id pro certo spondere neminem posse, ùtùt exercitatissimum. Fors alter excutiendo gladium meum minùs dexterè, hunc ipsum eò diriget, quò ego non destinaveram. Multo minùs securitatem dabunt glandes plumbeæ, non solùm dependentes à mea destinatione, sed etiam ab alterius motu. Ad hæc, quis, dum pugna calet, temperabit sibi facilè, ut aditu opportuno, ad corpus adversum fortè detecto, abstineat?

545. Certè Jurisperiti propositum abstinendi in pugna à lethali vulnere adeò inane esse judicant, ut, si cædes sequatur, homicidam pœnâ ordi-

nariâ

nariâ afficiendum esse censeant, velut acsi nihil excepisset, seu reservâsset, quorum sententiam, ait Carpzovius (a), juri ac veritati consentaneam esse arbitror, eo quòd percutiens gladio, animo solùm vulnerandi, æquè in dolo est; & quia scit, vel saltem scire debeat, *certo, & destinato modo vulnus, præsertim gladio, vel simili instrumento, ad homicidium perpetrandum apto, dari non posse.* Id ipsum variis testimoniis, & rationibus confirmat ulteriùs.

Denique etiam vulnus non lethale datum, e. g. in gutture, aut oculo, aut digitis, aut naribus, quoties non integritatem corporis lædit cum gravissimo incommodo? obligamur autem gravissimè non solùm vitam, sed & usum membrorum integrum servare: ergo ejusmodi duello periculoso exponere illicitum est, quoties illicitum est exponere duello ex toto serio, & nulla pactione restricto.

546. Cùm autem restrictum minùs malum sit, quàm aliud non restrictum, dubitari potest, an non pro minore damno avertendo uti restricto liceat, eo quòd pro majore damno, e. g. jactura sustentationis necessariæ liceat adhibere id, quod non restrictum est? Resp. Cùm, spectando periculum, inter utrumque hoc duelli genus modica sit differentia, sed differentia potissimùm se teneat in sola voluntate, non videtur etiam ratione damni faciendum esse notabile discrimen.

## §. II.

### Duellum innoxium ex fictione.

547. *Casus primus de duello ficto.*
548. *Damnatur in statu Civitatis bene ordinatæ.*
549. *In statu Civitatis malè ordinatæ admittitur, si agatur de vitando gravi damno.*
550. *Quod non necessariò debet esse ita grave, ac in duello serio.*
551. *Duellum fictum illicitum Excommunicationi non subjacet.*
552. *Casus alter, ubi gladius tantùm evaginatur ob inæqualitatem personarum, damnatur.*

547. Gemino casu explicabimus, quæ ad rem præsentem pertinent. Casus primus ita habet: Conradus vir nobilis, in dignitate civili constitutus, ab alio eiusdem conditionis in frequenti cœtu æqualium vile

(a) Pract. Crim. p. 1. q. 1. n. 28.

vile convicium tulit, quod fuerat concocturus sine ultione, nisi conjux, mulier impotens ac imperiosa, virum excitâsset ad vindicandi modum, nobili, ùt ajebat, dignum animo. Itaque vel invitus Conradus statuere conviciatori horam, & locum duelli debuit. Cùm tamen uterque pacem præ bello coleret, urbis Gubernatorem curârunt per subornatum quemquam moneri de re tota. Qui suis partibus ut non deesset, excubiis ad urbis portas vigilantibus in mandatis dedit, hos duos, cùm datâ horâ exirent, reducere ad custodiam quemque domesticam. Ita hæc provocatio fuit innoxia ex fictione. Quòdsi Gubernator neglexisset eum obicem ponere, illi ulteriùs progressi gladios quidem strinxissent: at ea tantùm lege, ut inani strepitu contenti aërem verberarent, non corpora peterent in præsentia patrinorum fidorum & amantium pacis. Quæritur, num licitum fuisset hoc duellum, vel illa provocatio ficta?

548. Dico primò: In statu *Civitatis bene ordinatæ*, ejusmodi duella, & quod sequitur, etiam provocatio ad illa, conscientiæ repugnant. Ratio generalis est; quia privata authoritate, neglecta publica potestate, jus sibimet dicere injuriosum est Magistratibus, Reipublicæ noxium, ùt pluribus ostensum est *Cap. II. Art. V. VI.* Et quamvis pugna omnino ficta sit: nihilominus peccant pugnantes pravo exemplo; quærunt enim fidem facere aliis, quasi seriò dimicassent. (quid enim fictio nota prodest ad servandum honorem?) ergo persuadere aliis conantur, sibi viluisse leges humanas, Divinásque, duellum serium prohibentes: quod, quàm periculosum sit in materia honoris, & quot turbarum causa, consideranti facilè patet. vid. MENDO. (a)

Aliam rationem addit P. SCHMALZGRUEBER (b) his verbis: Finis adæquatus legum, præcipuè Ecclesiasticarum non tantùm est, impedire cædes: sed *etiam tollere usum detestabilem duellorum*: ùt patet ex Bullis Pontificum, ac decreto Tridentini. Finis autem hic non obtineretur, si liceant duella ejusmodi ficta, quæ respectu omnium (si amicos excipias) habent speciem veri duelli, adeoque veris duellis authoritatem con-

(a) l. 3. Jur. acad. q. 29. append. de duell. §. 4. (b) tit. de cleric. pugn. n. 30.

conciliant, eorúmque usum exemplo roborant, atque ad imitationem invitant: ergo etiam hæc per leges Ecclesiasticas sunt prohibita. Quin addo, etiam per divinas, & naturales; utpote vetantes, ne veris duellis authoritas concilietur, eorúmve usus pravo exemplo roboretur. Et hæc de statu Civitatis bene ordinatæ dicta sunto. Magìs dubium est,

549. An in statu *Civitatis malè ordinatæ*, ubi nemo judex læso hoc in causarum genere succurrit, duellum hoc fictum conscientiæ repugnet? Videtur, quòd non; nam primò nihil affert periculi, saltem propinqui. Secundò rationes contrà allatæ in statu Civitatis bene ordinatæ, vim non habent in statu Civitatis malè ordinatæ; privata enim authoritate ab honoris dispendio, vel aliis adhuc connexis damnis se liberare fas est, ubi liberandi ratio est innoxia, & frustra imploratur Magistratus. Neque hoc faciens pravo exemplo nocet; Magistratus, suo non fungens officio, est, qui nocet. Id equidem verum est, finis adæquatus legis Ecclesiasticæ, qui est, non solùm cædes, sed etiam usum duellorum impedire, nonnihil detrimenti pateretur ex ficta hac velitatione: at hoc tanti non esse videtur in casu singulari, ut sub culpa gravi obliget honoris damnum, aliáque connexa fortè incommoda perpeti potiùs, quàm illud qualecunque detrimentum fini legis Ecclesiasticæ afferre; tunc impediretur finis legis, si ex obvia quavis causa ad pugnam simulatam liceret avolare. Dein habet Ecclesiasticus legislator, cur potiùs de conniventia potestatis profanæ conqueratur, quæ si in foro suo judicaret injurias, privata authoritas deberet cedere.

Hìs perpensis judico, *frivolè aut levi de causa* fictum duellum inire nefas esse etiam in statu Civitatis malè ordinatæ. Ratio est; quia semper aliquid pravi exempli inde oritur, diffundendum in plures non sine Reipublicæ aliquo incommodo; & quamvis potior culpæ pars in negligentem judicem recidat, nihilominus sine gravi causa etiam minorem culpæ partem in se talis homo suscipit. Quòd si tamen quis iniquè, & graviter læsus (quò non refertur exprobratio imperiosæ cujusdam mulieris) nulla succurrente potestate publica, honoris, ac fortunarum grande dispendium ficto hoc duello avertere sciret, securâ conscientiâ, meo quidem judicio, id tentaret. Ratio est; quia duellum serium succurrentibûs his adjunctis, fas est inire, ùt satis probatum est *Cap. V.* ergo multo magìs fictum.

550. Quæres autem primò, an non *minus damnum* sufficiat ad licentiam duelli ficti, quàm sufficere dixerimus (*Cap. VI.*) ad duellum serium? e.g. an, dum quis societate honoratorum excluditur: vel dum sola dignitas, remanente tamen sustentatione necessaria, foret amittenda: vel ubi tantùm pars sustentationis in discrimen adducitur: vel ubi spes, aut jus ad pingue munus evertitur, an non tunc, inquam, saltem simulato duello locus sit, si per hoc averti talia damna valeant? Item quæres, an non sufficiat ad provocandum læsio materialis, sive animo prorsus inconsiderato mihi facta, grave tamen post se tractura damnum, si duello non vindicetur: an non læsio illata mihi semiplena cum attentione? an non læsio illata per revelationem criminis veri? vel an provocato ad comparendum non sufficiat solum grave damnum, quod esset passurus, quamvis consideratò alterum læserit? Singula hæc membra examinavimus *Cap. VI.* singulorum loca facilè ex Conspectu operis invenies. Resp. Ex ratione naturali utique colligi, minus damnum, & minorem læsionem sufficere duello ficto, non suffecturum duello vero; cùm ex hoc ficto nemini quidquam mali oriatur. *Scandalum* sive pravum exemplum si abesset, non dubitarem asserere in statu Civitatis malè ordinatæ post apertè denegatam justitiam licitum esse duellum fictum, etiam in propositis casibus, pro quibus duellum serium difficulter admitteretur: at cùm pravi exempli etiam in hoc statu sit habenda ratio, hoc *scandalum* erit ponendum in una lance: damnum, quod non inito duello esset ferendum, in altera, & sic prudentûm judicio æstimare oportebit, quid præponderet.

Oppones fortè, & dices: pravum exemplum redundat in publicum: damnum econtra hominis singularis est; præcavendum autem esse damnum publicum præ singulari: ergo semper præponderabit ratio pravi exempli, nec instituenda comparatio habebit locum. Item pravum hoc exemplum viam pandit, & inducit ad duella seria eo ipso, quòd ficta credantur esse seria, & cernantur committi à viris cæterà probis: ergo requiritur tam magnum damnum, & læsio tam magna, quanta ad duellum serium. Resp. Nec inesse tantum ponderis huic pravo exemplo, nec totum, quod inest, premere monomachum; nam rarissima sunt duella ficta, præsertim inter viros militares: patrini id non ferrent: vel ti-

men-

mendum ſemper eſſet, ne quis eorum cum tempore fictionem proderet. Uti poſſunt hoc duelli genere fere ii Nobiles, quibus civilia ſectantibus non eſt animus ad digladiandum : familiam alunt, pacem colunt, nec uſum armorum habent; unde ad ſimulatam hanc velitationem non niſi inviti extrema in neceſſitate trahuntur : patrinos ſibi pacificos eligunt, & probatæ fidei, non adſtituros, ſi res ſeriò ageretur; hinc rara ſunt ejusmodi duella ficta. Non eſt ergo quòd grandem morum ſtragem timeamus, præſertim ubi conſtat, ad amoliendum non leve damnum, vel incommodum tale quid ſuſcipi, & quidem malo medelam non ferente Magiſtratu; aliud foret, ſi obvia quavis ex cauſa ad talem pugnam liceret avolare. Accedit, quòd pars potiſſima hujus mali exempli in Magiſtratum, fruſtra imploratum, recidat.

Unde concluditur, in ſtatu Civitatis malè ordinatæ, dum adſunt conditiones requiſitæ, poſſe quandoque duellum ſimulatum eſſe licitum, & quidem faciliùs, quàm ſerium; in ſtatu autem civitatis bene ordinatæ eſſe prohibitum. Jam

551. Quæres ſecundò : an in duellum fictum illicitum ſit lata Excommunicatio cum aliis pœnis Eccleſiaſticis, quas *Cap. VIII.* in duellum ſerium latas vidimus? Dixi : *in duellum fictum illicitum*; nam licitum quando eſt, pœna Eccleſiaſtica locum non habet, ùt dictum n. 271. Reſp. Probabiliùs non eſſe latam. Ratio eſt; quia duellum ſimulatum non eſt *duellum*, ſed mera fictio duelli, *deeſt nempe animus vulnerandi, vel occidendi*, qui à definitione duelli abeſſe non poteſt. *vid. n.* 3. Hac ipſa quidem fictione peccatur : ſed non peccato *duelli;* hoc peccatum alterius *ſpeciei* erit, quam deſumes ex rationibus *n.* 548., quibus probavimus eſſe illicitum.

Contrà dices primò : In Clementina §. *IX.* etiam puniuntur duella cum pactionibus inita, per quas cavetur, ne fatalia ſint. Reſp. Ibi de pactione noſtra nihil dicitur : ſed de pactione dirimendi certamen, quamprimum alteruter vulneratus fuerit, aut certus ictuum numerus illatus.

Dices ſecundò : Legum Eccleſiaſticarum finis eſt, non tantùm vulnera, & neces impedire, ſed ipſum tollere duellorum uſum, ùt clarè patet

ex Tridentino: ergo etiam duellum fictum punitur pœnis Ecclesiasticis, si hunc usum foveat: atqui fovet, ùt ex ipso nostro argumento secundo *num.* 549. patet: ergo &c. Resp. Negando consequentiam enthymematis; etsi enim duellum quoque fictum illi fini aliquid detrimenti afferat, non sequitur, quòd pœna per legem dictata hoc quoque duellum afficiat. Extensio ab uno *serio* ad alterum *fictum* non facilè debet fieri, præsertim in *odiosis*, quò utique pertinent leges *pœnales*. Finis autem, seu *ratio legis non est ipsa lex;* ùt habet commune effatum. Et quamvis illud quoque valeat: *ubi est eadem ratio, ibi est eadem juris dispositio:* excipiuntur tamen leges pœnales, ubi etiam propter *identitatem*, vel etiam *majoritatem* rationis non est facienda extensio, ùt docent passim juris Ecclesiastici Interpretes *in Tit. de Constitut.*

Nolim huc afferre opiniones varias Authorum, quorum aliqui non distinguunt inter statum Civitatis bene & malè ordinatæ; aliqui non satis declarant, an ejusmodi fictionem ab Excommunicatione tantùm, vel etiam à peccato absolutam velint: alii qui quoad rem mecum sentiunt, argumenta adhibent, quæ mea facere nolim. Videri potest Pignatellus (a), Schmalzgrueber (b), Sporer (c), la Croix (d).

552. Casus II. Hic quandoque accidit, ubi inter duos prorsus in dignitate inæquales evaginato solùm gladio datur satisfactio. Sic in exercitu quodam primorum Ducum quispiam ignominioso nomine compellaverat inferioris notæ virum, qui à calamis erat tabulario militari, charactere tamen Subcenturionis gaudebat. Hic, læsum in honore se credens, dum satisfieri à Duce sibi petit, vix non cum risu rejicitur. At, re delata ad Senatum militarem aulicum, rescribitur, ut strictum opponendo gladium Dux læso satisfaciat: quo honore etiam hic, ùt debebat, contentus, evaginato suo quoque gladio Ducem venerabundus salutavit in præsentia complurium.

Quæritur primò: An licitum fuisset Duci dare ejusmodi satisfactionem sponte sua, etsi mandatum non accepisset, nec accepturum se credidisset ex Curia?

Quæ-

(a) Tom. 9. Consult. 88. n. 92. (b) Ad tit. de Cleric. pugn. (c) Theol. Mor. Tract. V. in 5. præcept. (d) L. 3. p. 1. n. 840.

Quæritur secundò: An hoc mandatum potuerit dare Senatus bellicus sine peccato, & pœna Excommunicationis?

Quæritur tertiò: An mandato huic morem gerere sine peccato potuerit Dux?

Quæritur quartò: An imperatam hanc satisfactionem potuerit acceptare læsus?

Resp. ad primum: Non futurum fuisse licitum, quia res est pessimi exempli, si in primo ordine constitutus Dux publicè declaret ipso facto suo, se quoque esse ejus sententiæ, imò velut regulam agnoscere, viro militari imminutum honorem resarciri debere non via juris, sed armis. Et quid aliud fuisset professus Dux, quàm serium duellum in hoc casu convenire, séque non recusaturum fore, nisi inæqualitas conditionis aliud præscriberet. Non posset majus firmamentum, & robur pseudo-legi illi accedere, quàm dum ei se subjiciunt illi, quibus ex officio incumbit hanc ab exercitu insaniam proscribere.

Sed dices contrà: Sic miser Subcenturio, si Dux recusâsset stringere gladium, nec similis sententia aliundè sperari potuisset, contemptui publico fuisset expositus: & quid misero superfuisset, nisi statione sua excedere, & incertam alibi terrarum fortunam sectari? digna utique hæc calamitas videri poterat Duci strenuo, cui oblato ad speciem gladio mederetur, ferme ut de paradoxo illo actu charitatis dicebamus *n.* 350. Resp. Pravum exemplum toti exercitui dandum tanti momenti esse, ut ei postponi ex æquo deberet calamitas privati hominis, etsi hæc alia ratione averti non posset. Potest autem, si Subcenturioni, statione sua excedenti, Dux opem ferat, vel per commendatitias ad obtinendum munus civile, vel de suo ære proprio alimenta procuret. In illo casu paradoxo Themistocles nihil debebat Epaminondæ, utpote à se non offenso. Etiam pravitas exempli jam aliundè manaverat, tum à legione rejiciente hominem, convictum mendacii: tum à Principe, reluctantes non compescente.

Resp. ad secundum: Ea me veneratione ferri in Magistratus, ut, dum eos absolvere non possum, condemnare verear. Decisionem Lector eruere poterit ex principiis datis *Cap. IX. Art. IV.*

Resp. ad tertium: Si mali nihil continuit mandatum Senatûs, morem gerere potuit. At si id mandatum jussit mali quid, & præterea Dux non parendo grave sibi malum accivisset, decisio quærenda est ex illis principiis, quibus obediendi obligatio in subdito definítur, quæ cùm ad materiam de duello non spectent, ampliùs illis immorari nolim.

Resp. ad quartum: Potuit acceptare; quia etiam ad duellum serium potuisset progredi, si secus unà cum honore sustentationem necessariam debuisset amittere, juxta doctrinam *Cap. IV. V. VI.* stabilitam.

## §. III.

### Duellum innoxium ex abruptione.

553. *Ad Casum propositum resolvendum*
554. *Mutuantur principia ex bello publico,*
555. *Et transferuntur ad hoc bellum privatum.*

553. Conseruerat jam manus Themistocles cum Sophocle, quem provocaverat. In pugnæ ardore, post libratos aliquoties ultro citróque ictus, satisfactum sibi esse pronuntiat Themistocles. At non mihi, reponebat Sophocles, expecta sis, faxo, ut me non provoces posthac: sed mox intercedunt patrini, pugnantes separant, indicta utrinque pace.

Q. primò: An abrumpere debuerit pugnam Sophocles, petente Themistocle?

Q. secundò: Si Sophocles prior petiisset finem, an Themistocles quoque, & quando obligatus fuisset desistere?

554. Quæsitum I. decidere juvat ex principiis, de bello publico receptis. Refert Schiara (a), Cajetanum, & Bannez existimâsse, cœpto semel bello, non obligari eum desistere, cui pars adversa tunc primùm satisfactionem offert, quam debebat offerre antè; ferme sicut judici integrum est prosequi cœptum semel judicium, seu procedere contra reum, etsi

(a) Theol. Bell. l. 1. Diffis. 10. n. 5.

etsi hic, jam facti pœnitens, læso satisfacturum se spondeat. Rationem dant; quia scilicet non dans satisfactionem ante bellum semet constituit extra statum satisfaciendi, & ponit in statu executionis justitiæ vindicativæ, quam perficere jam fas est alteri, nisi fortè, ùt DRIEDO addit (a), pro loci, temporis, personarum, aliarúmque circumstantiarum conditione lex charitatis suggerat, oportere à bello inchoato desistere.

At verior, & communior sententia docet, pacem, & satisfactionem, quocunque offeratur tempore ab hoste, esse acceptandam, si modò per illam securitati publicæ, non præsenti solùm, sed & futuræ satis prospiciatur. Id quod fit per cautiones exigi solitas, ait BÖHMER (b), quas *Guarantias* vocant; quæ si oblatæ, & tales fuerint, ut nulla ex causâ respui possint, bellum nihilominus prosequi volens injustè agit, & aggredi censetur. Ita VITRIARIUS ad GROTIUM (c). Idem censet SCHMIER (d): SCHIARA adducens complures, & inter hos MOLINAM (e). Exemplum adversariorum, mutuatum à judice, eis non favet, ait SCHMIER, siquidem etiam in civilibus judex nequit ultrà contra reum procedere, quando hic post litem jam motam ad satisfactionem se obligat, cessante tunc fine, cujus gratia judicium susceptum erat. Itaque & Princeps bellum continuare nequit contra hostem, dum hic post intervallum satisfacere seriò desiderat, belli fine, id est, reparatione injuriæ, jamjam adimpleto. Quòd tardiùs satisfacere volens extra statum satisfaciendi se posuerit, negat MOLINA; nam ab eo temporis momento cessat injuria, quo offertur satisfactio: pro injuria autem præterita exigere nihil potest Princeps, & hoc intelligendum esse ait tam de bello, quàm de *actuali* conflictu, si revera possibile esset, durante conflictu, debitam satisfactionem offerre. Addit tamen, cùm vix talis satisfactio post bellum jam commissum præstari valeat, qualis de rigore justitiæ potest exigi, qua scilicet resarciantur damna illata, persolvantur belli impensæ, nec non valor periculorum, laboris & industriæ &c. Hinc bella gerentem ex rigore justitiæ non obligari statim abstinere ab armis: lege verò charitatis, non plus teneri quàm ex DRIEDONIS sententia dictum.

A bel-

(a) Apud *Molin.* tom. 1. tr. 2. disp. 103. n. 23. (b) Introd. ad J. P. U. l. 2. c. 1. §. 11. (c) L 2. c. 1. quæst. ult. (d) Jur. Univ. l. 4. c. 1. n. 121. (e) Tom. 1. tract. 2. disp. 103. n. ult.

555. A bello publico ad privatum si applicemus doctrinam, apparet, in hoc æquè, atque in illo esse desistendum, quamprimum data est satisfactio, id est, quamprimum Themistocles, quem fingimus iniquè læsum à Sophocle, & non nisi gravissima necessitate adactum provocasse, profitetur se non habere ultrà, quod exigat. Cessat tunc ratio, cur Sophocles pergat tam suam, quàm antagonistæ vitam prodigè periculo exponere.

At, quid si Sophocles sciret, nullâ fere datâ causâ se frivolè fuisse provocatum ad pugnam, non recusandam sine gravissimo damno, an non tunc meritò persequeretur aliquantum pugnam, præsertim cum spe perstringendi vulnere non lethali Themistoclem, in modum scilicet castigationis promeritæ, ne tam facilè posthac redeat? jus castigandi frivolè offendentem competit homini etiam privato in statu naturali (*vid. n.* 179.) cui statum Civitatis malè ordinatæ æquivalere diximus. Favet, quod complures apud Molinam docent, (a) durante conflictu non obligari quemquam posse, ut desistat, quamprimum offertur satisfactio.

Resp. leve vulnus facilè posse esse fatale, vel saltem graviter noxium membrorum integritati, ùt explicatum *N.* 542. difficile certè est modum tenere in calore pugnæ: nec minùs difficile, non nisi ex amore justitiæ absque odio agere. Quod illi Authores apud Molinam docent, refutatur ab ipso Molina. Videntur etiam loqui ex persuasione prorsus solida, si de conflictu belli publici sermo sit, quòd nempe eo durante vix possibile sit satisfactionem debitam offerre una cum securitate de eadem præstanda. In casu nostro belli privati res aliter se habet.

Quæsito II. satisfit paucis. Si nempe est iniqua causa Themistoclis, tunc sicut incipere nunquam licet, sic finire debet momentis singulis. Si æqua fuit, tunc desistere debet, quamprimum in salvo est honor suus, & connexa cum eo bona fortunæ, id quod fideles patrini judicabunt.

ARTI-

(a) Loc. cit.

# ARTICULUS II.

## *Explicatur aliud Duellum, quod scientia Equestris Italica pro innoxio venditavit.*

CUm sæpius per decursum operis mentionem fecerim libri illius præstantis, quem Author Illustrissimus Marchio Maffeius, ab eruditione sua satis orbi litterato notus, inscripsit *scientiam Equestrem*, (a) occasio jam se offert ex instituto de hac scientia tractandi. De Duello *innoxio* agimus hoc Capite: ad duellum *innoxium* etiam hanc scientiam revocare volebant aliqui, inter quos præcipuè numerandus venit Comes Bellincini, qui Marchionem ita interpretari voluit, & explicare, acsi is solum scientiæ abusum, non usum improbâsset, utpote qui *innoxius* esset, culpáque liber. Mancam ego crederem tractationem meam, si hanc *scientiam Equestrem*, in Italia præcipuè celebratam, tot authorum libris explicatam, silentiô præterirem. Primò itaque hujus scientiæ ortum & placita exponam. Tum referam, quomodo illam damnet Maffeius: demum quomodo ùt innoxiam studeat proponere Comes Bellincini (b).

### §. I.

### Scientiæ Equestris ortus, & placita.

556. *Ortus.* 557. *Placita.*

556. SUb finem sæculi XV. initium datum est scribendis hac de re voluminibus bene amplis, continuato labore per sæcula sequentia ad nostra usque tempora, ait Maffeius (c). Ultra quinquaginta Authores



(a) Scienza Cavalleresca. (b) Giunte all'opera intitolata della Scienz. Cavaller.
(c) L. 2. c. 4.

ejusmodi numerantur, quorum primi erant Legum periti, cæteri Nobiles, aliíve Philoſophiam moralem profeſſi, qui ſcientiam hanc pertexuêre multa ſubtilitate, inani ſpeculatione, ridicula propè frivolarum quæſtionum ventilatione. Artem, qua viri equeſtres læſum honorem defenderent, ſuáſque tricas componerent, quin neceſſe haberent implorare competentem judicem, *ſcientiam* dixere *Equeſtrem*, ſeu ſcientiam *honoris*, & duelli (a). An ei in ſenſu rigido nomen *ſcientiæ* conveniat, ipſe Comes Bellincini dubitat. Id ſatis patet, qualemcunque hanc ſcientiam, ubi mitiorem exitum cauſæ non invenit, plerumque terminari in duello: ſed non ineundo, niſi poſtquam ad illius regulas & diſcuſſa injuria fuerit, & exceptiones oppoſitæ, & ſtatutum, quis actor, quis reus, factáque electio armorum, & plurima alia capita abſoluta ab electis ex Nobilitate arbitris.

557. Mirum, quos apices & ſcrupulos acuta Italorum ingenia in hac arte ad omnem acribiam examinârint. Diſputatum fuit de mutanda querela, de augenda, ſtabilienda, relinquenda: de exceptionibus dilatoriis, peremptoriis: diſcuſſum, quis victor dicendus foret, ſi ambo vitam perderent: quod fruſtum ex armis, in pugna ſi perdatur, plus probri afferat: quodnam vocabulum honori plus vel minus detraheret. Tum de clauſulis chartæ provocatoriæ actum: de genere & conſtitutione armorum. Sic primum de hac materia editum opus capita omnino ducenta complexum eſt. In ſtatuenda definitione *honoris* Dialecticam totam exhauſere; cùm ultra viginti definitiones varias numerare ſit. In ejus diviſione jam duo genera honorum, jam tria, jam plura poſuere. His *honor*, & *reputatio*, & *bonus conceptus* videbantur univoca: aliis æquivoca. Circa injurias ponderandas applicârunt categorias Dialecticas & Philoſophorum prædicamenta. Pro dignoſcendo actore & reo, etiam poſt datas varias regulas, annis quandoque opus erat, adeò intricata ſunt omnia. Nolim plura ejusmodi memorare. Quòd ſcientificam hanc machinam duello crexerint Itali, dandum eſt eorum genio vivido, nec ſatis occupato, ait Maffeius (b).

§. II.

(a) *Peſcett.* Dial. I. apud *Maff.* l. 2. c. 4. (b) L. 2. c. 8.

## §. II.

### Damnatur à Marchione *Maffeio.*

558. *Quid Libro primo.* 559. *Quid in reliquis libris doceat.*

558. SApienter prorſus Marchio *libro primo* demonſtrat, ei ſcientiæ rationem neutiquam ſuffragari. Singula principia excutit, ut, quàm à ſano judicio abludant, cuilibet ad oculum pateat. Falſa eſſe illorum ſcriptorum principia circa honorem, inde colligit, quòd dum honorem omnibus bonis anteponendum eſſe clamant, *honorem* cum *honeſto* malè confundant, ùt nos jam expoſuimus *n.* 65. *noſtri tractatus.* Secundò negat, per injuriam cuiquam demi honorem poſſe, ſi per honorem *bona exiſtimatio* intelligatur; quis enim virum cæteroquin probum & egregium, mox condemnet ad infames fungos, quamprimum petulans lingua ejusmodi eum probro ſalutaverit? prudentiores certè indignabuntur protervo conviciatori, bene gnari, quantum regnet hodie maledicendi licentia. In hoc quidem contemptu negatus eſt honor ille, qui *teſtificatio excellentiæ alterius* appellatur: ſed ab uno tantùm privato fuit negatus, qui ruinam afferre bonæ exiſtimationi non valet, ſi ea vigere in aliorum judiciis pergat. At in his quoque deficiet, ajunt ſcriptores, ſi læſus ſilens ferat contemptum illum; ſic enim paſſim judicabitur mereri injuriam, vel certè fortitudine carere.

Sed econtra oſtendit Marchio, quòd vindicatio maculam non abſtergat; namque, etiam qui verè rei ſunt, ad exprobrationem criminis excandeſcunt, & vindictam ſpirant. Nemo Græcorum aut Romanorum, nemo Philoſophorum & prudentum ſimile judicium tuliſſe auditus eſt. Negat quoque Marchio, quòd vindicatio ſit ſignum fortitudinis, argumentis id ſtabilit, qualia ferme nos attulimus à *n.* 121. Tum ridet eos, qui in ſola vindicatione injuriæ honorem reponunt, nec interim erubeſcunt alienis inhiare uxoribus, contrahere æs alienum, perſequi injuſtas lites, luſu & otio vitam terere. Quærit etiam, quo privilegio Nobiles ac mili-

litares viri exempti sint ab observatione legum, vindictam privatam prohibentium ? Docent quidem ii scriptores, nobilem virum justitiæ & fortitudinis præ aliis debere esse studiosum : at, instat Marchio, nunquid primus actus justitiæ est, obedire Magistratui, & vi privata abstinere ? Et quæ hæc justitia, si vir quisquam, vel dexteritate tractandi arma, vel viribus corporis, aliísque adminiculis ad felicem pugnam antagonistæ suo multùm inferior, honorem tamen suum protervè læsum præsentissimo vitæ periculo redimere debeat ? Sic *toto libro primo* exagitat Maffeius principia illius scientiæ Equestris.

559. *Libro secundo* demonstrat, nulla authoritate eam scientiam niti. *Tertio* demum nullam utilitatem, sed potiùs incommoda gravissima in rempublicam inferre ostendit. Donec tandem *Capite ultimo* æquiora principia substituat, quibus si mores accomodarent homines; majore cum honore & tranquillitate essent vitam acturi. Ita doctè Maffeius. Unde mirum non est, si calamum tam generis splendore nobilitatum, quàm copiosa eruditione tinctum debitis laudibus mactaverit orbis litteratus.

## §. III.

### Scientia Equestris frustra dealbatur à Comite *Bellincini*.

560. *Fucum allinit.*
561. *Apertiùs se prodit.*
562. *Et refutatur.*

560. POstquam Marchio Maffeius hanc machinam scientificam admodum labefactaverat, Comes Bellincini ruinam ejus miseratus, calamum strinxit, quo non quidem impeteret Marchionem : sed ejus doctissimum tractatum eò detorqueret, ut eo videretur non tam usus scientiæ, quàm abusus fuisse improbatus. Huic usui itaque ut Comes patrocinaretur, dexterè incrustavit, ac dealbavit labem multiplicem, qua fœdatus apparebat honoris Colossus.

Pro fundamento ponit, quòd vir nobilis virtutem justitiæ & fortitudinis sibi debeat habere quàm commendatissimam; nisi enim justus & stre-

strenuus sit, nunquam impleturum sui mensuram nominis, nec quadraturum defendendae Religioni aut patriae. Jam verò defendere honorem propulsatâ injuriâ, justitia & fortitudo imperant. Triplici autem modò, ait, obviari potest injuriae. Primò: Si ex principiis Christianis committatur Deo. Et haec grandis perfectio est, ad quam eluctari paucis ex Nobilitate est datum. *Habitus* inveteratis Christianae mansuetudinis requiritur, ut quis impactam fortè contumeliam tacitus & quietus ferat. Quotusquisque autem est ex Nobilitate Italica, qui *habitum* ejusmodi possideat? Accedit, quòd periculosa sit ista patientia; nam ad injuriam qui silet, videtur ipsus credere; quòd meritò haec sibi facta fuerit: sicut qui post latam contra se sententiam acquiescit, quin ad superius tribunal provocet, ipsus videtur agnoscere sententiae justitiam. Vel certè agit talis vir patiens (quantum quidem externo oculo metiri datur) quod alius esset imbellis fungus acturus pro eo rerum articulo. Itaque vel ad judicem de contumelia deferenda querela est, vel alio *licito modo* erit propulsanda. Illud cùm Nobilem non satis deceat, hoc ultimum servando honori remedium supererit: qui tamen *licitus modus* eo solùm *fine* utique *honestissimo* adhibendus erit, ut pax quaeratur, & finis imponatur litigiis. Quae cùm ita sint, concludit Comes, patet, quòd Scientia Equestris non tantùm à vitio timiditatis removere hominem curet, sed etiam ab altero extremo, praecipiti scilicet ira, & deproperata vindicta; dum injuriam docet *placido modo* abstergere. En honestatis speciem, fucúmque, quem duello allinit.

561. Apertiùs loquitur *Cap. VIII.* ubi in eum fere sensum disserit: Non in omni causa judicem declinare potest vir Equestris. Si vel ratione personae, vel materiae, vel loci contingat, ut privata fortitudine honorem vindicare nequeat, tunc primùm justitiae, quam sectari utique debet, praeceptum est, seposita vindicta privata authoritatem publicam implorare. Quòdsi verò injuria facta sit inter *aequales*, & repelli possit intra *terminos naturalis defensionis*, *à legibus concessos*, tunc laudabile est propria authoritate honorem vindicare; sic enim justos nos exhibebimus permanendo intra limites justae defensionis, simúlque strenuos, dum propriis viribus nos defendendo ab imbellibus discernimur. Quin magis expedit non uti rigore judicis; ne scilicet in ruborem detur,

néve pœnæ subjiciatur illatæ offensæ reus. Judicio itaque Nobilitatis offensus se potiùs committat, sic æquitatem legum, omisso rigore, sectabitur. Obligare eum, ut semper ad judicem recurrat, idem esset, ac in dubium vocare amplissimum privilegium Equestris Ordinis, quo ei arbitrium in suorum litigiis competit. Quid? quòd etiam injuria ejusmodi esse possit, cui abstergendæ tota authoritas judicis non sufficiat; sit enim Vir Equestris læsus exprobratione timiditatis, sit vocatus imbellis fungus, judicis sententia, utut offendentem damnet, ac puniat, non demonstrabit, quòd offensus sit vir strenuus, nisi talem se ipsus probet defensione justa. Demum per judicium Nobilitatis sopiuntur brevi tempore molestæ tricæ, quibus tollendis per actionem injuriarum judex alius complures forte annos frustra consumpsisset. Asseritur autem hæc licentia vindicandi virtute propria honorem soli Nobilitati; quia de hac existimandum, quòd sui magis potens ab iræ excessu cavere sibi sciat. Demum commendat Comes iterum, iterúmque, ut satisfactio exigatur ex solo impulsu virtutis, quin aliud, quàm justitiam respiciamus.

562. Cautè hæc legenda, & dijudicanda sunt; videtur enim sub fuco latere, quod primo obtutu non satis apparet malum. Non ego improbo, si læsus in honore recurrat ad arbitrium Nobilium; amicè jurgium componere res est oppidò laudabilis. At si Nobiles hi arbitri conviciatorem ad petendam veniam, vel aliam satisfactionem condemnent, quam tamen ille aversetur, quid consilii erit super? Quid si causa sit adeò intricata, ut facilè dispici nequeat, quis offensæ ansam dederit, ubi tunc exitus invenietur? nunquid ipsimet Nobiles attractis humeris armato juri relinquent litigantes? Etsi expresse hoc non fateatur Comes: negare tamen non audet, quin tacitè videtur concedere. Certè id scriptores, quorum Patronum contra Maffeium videtur agere, id innuunt, & apertè tuentur ùt licitum. Tunc scilicet *laudabile erit propria authoritate* injuriam vindicare, & ille *alius modus licitus* locum habebit? tunc cum *fortitudine & justitia* duellum inibitur? Privilegium componendi jurgia Nobilitati non abrogo, nec cujvis alteri hominum conditioni: facient hoc etiam judice minimè invito: at ubi componi tricæ non possunt amicè, præ gladio potiores ille

sibi

ſibi partes arrogabit. Obſecro, cur judicis officium implorare virum Nobilem dedeceat tunc, quando ei cum Nobili res eſt? ſemper *primum juſtitiæ præceptum fuit, ſepoſita vindicta propria authoritatem publicam implorare.* Agatur licet de abſtergenda timiditatis nota fortè impacta ab ore maledico, valet & huic mederi judex, probationem exiget admiſſæ aliquando vecordiæ, ſecus calumniam puniturus. Nobilium autem arbitrorum ſententia, conſideratis ſcientiæ hujus aphoriſmis, plerumque eò propendebit, ut gladio exigatur, & præſtetur ſatisfactio: id verò vitæ, necíſque arbitrium nullæ leges Nobilitati concedunt.

Itaque Nobilis contemptum contemptu heroico vindicet. Non ex imbelli animo id proficiſci judicabimus; quia *de Nobilitate credimus, quòd ſui magìs potens ab ira exceſſu cavere ſibi ſciat.* Vel, ſi fortè timet, ne tacendo fateri videatur objectum probrum, provocet ad tribunal, ad quod tot edictis Principes invitant fideles ſubditos.

Cætera, quæ à Comite afferuntur, talia ſunt, quibus vel non contradico: vel quæ à Marchione §o. *præcedente* convulſa vidimus: vel à nobis in decurſu tractatus ſatis fuerunt enervata.

Habes hîc amice Lector, quæ de Duello Honoris Vindice ſcribenda duxi. Ea de maleſano hoc furore attuliſſe mihi videor, quæ Nobiles animos ad illum deteſtandum meritò pertrahant. Quæ autem de licentia Duelli in *Civitate malè ordinata* ſcripſi, eò ſolùm tendunt, ut Magiſtratus excitentur ad arripienda media, Duello eliminando opportuna, quibus neglectis Furia hæc ſpeciem neceſſariæ defenſionis induet. Qui de contagione ſcribunt, animant ad comburendas merces, ſupellectilem, ipsáſque ædes & naves infectas: dúmque oſtendunt, graſſante peſte ſingulos non ſolùm jus habere, ſed etiam compelli poſſe ad ejusmodi ſtragem edendam; per hoc non intendunt promovere graviſſima ſubditorum damna: ſed potiùs excitant tam Magiſtratus, quàm ſubditos ad præcavendas has triſtes peſtiferæ luis conſecutiones. Simili fere ratione nullum ſtimulum acuendæ Magiſtratuum ſeveritati opportuniorem fore credebam, quàm ſi ob oculos

los ponatur, gravissimæ cladis licentiam suâ indulgentiâ in Rempublicam invehi. Faxit DEUS, cujus *Honori* labor iste omnis consecratus est, ut *Verum Honorem*, cujus inanem umbram multi duello sectantur, opportunis viis Viri Nobiles & Militares ambiant, & efficacibus mediis Principes tueantur.

# FINIS.

INGOLSTADII, Typis Joannis Pauli Schleig, Electoralis Academici Typographi, Anno Domini 1751.